8
3-c
25
M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 G
17

CC
I
44

8. 3. c. 25

Digitized by Google

priv.



TRAIECTI ad RHENVM
Typis: Theod. Ackersdyk et Gisb: Zylii
Anno 1658.

BIBLIOTECA
9
VITTORIO

TYPOGRAPHI BENEVOLO LECTORI.

DAmus tibi hic Lector opuſcula de ſtudiorum Ratione, deque iis bene Inſtituendis, in omni ferè facultate conſcripta à Doctiſsimis noſtri ſeculi viris, nimirum à Jo. Gerardo Voſſio, Lipſio & aliis. ſicut in ſequenti indies videre eſt. Addidimus huic editioni Clariſsimi D. Voſſii perutilem tractatum Chronologicum nunquam ante hac editum; nam privatim ſolum diſcipulis ſuis imbuit, ut cum fructu in Hiſtoriis verſari poſsint. Benevole Lector, fruaris Hoſce noſtros conatus cum utilitate, & indies plura non minus præclara atque utilia ex officina noſtra, Deo Opt. Max. fortunante, expecta. & Vale.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

TYPOGRAPHI BENEVOLO LECTORI.

DAmus tibi hic varia opuſcula de ſtudiorum Ratione, deque iis bene Inſtituendis, in omni ferè facultate conſcripta à Doctiſsimis noſtri ſeculi viris, nimirum à Jo. Gerardo Voſſio, Lipſio *& aliis. ſicut in ſequenti indies videre eſt. Addidimus huic editioni Clariſsimi* D. Voſſii *perutilem tractatum Chronologicum nunquam ante hac editum; nam privatim ſolum diſcipulis ſuis imbuit, ut cum fructu in Hiſtoriis verſari poſsint. Benevole Lector, fruaris Hoſce noſtros conatus cum utilitate, & indies plura non minus præclara atque utilia ex officina noſtra, Deo Opt. Max. fortunante, expecta. & Vale.*

JOannes Alexander Braſſicanus rogavit ERASMUM qua ratione doctus poſſet fieri, reſpondit ex tempore: Si doctis aſſidue conviveret: Si doctos audiret non minus ſubmiſſe quam honorifice: Si, doctos ſtrenue legeret: Si doctos diligenter ediſceret: denique ſi ſe doctum nunquam putaret.

IN-

INDEX
Eorum quæ hoc libello continentur.

GER. JOAN. VOSSII *Diſſertatio bipartita. cujus pars prior agit, quibus diſciplinis perfecta conſtet eruditio: altera, quomodo variæ adeo diſciplinæ optime addiſcantur.* Fol. 1.

EJUSDEM *Introductio in Chronologiam.* 21

EJUSDEM *Appendix de Imperiis, quæ potiſſimum in hiſtoriis celebrantur.* 39

EJUSDEM *De ratione univerſam legendi Hiſtoriam diſſertatio.* 242

EJUSDEM *De imitatione tum oratoriâ, tum poëticâ; deque recitatione veterum, libellus.* 48

IUSTI LIPSII *De ratione legendi Hiſtoriam, ad Nicolaum Hacquevillium epiſtola.* 157

EJUSDEM *De recitatione in conventu publico & privato, ad Othonem Hartium epiſtola.* 170

EJUSDEM *De notis, & notariis veterum, ad Leonardum Leſſium epiſtola.* 183

EJUSDEM *Inſtitutio epiſtolica.* 193

EJUSDEM *De diſtinctione & interpunctione. ad Hubertum Audeiantium epiſtola.* 222.

EJUSDEM *De Bibliothecis ſyntagma.* 231.

HERMANNI VULTEJI *De Studio Iuris diſſertatio.* 266

ÆGI-

ÆGIDII MOMMERII *De ratione legendi, diſcendique jura, ad Callimachum Heſſum epiſtola.* 316

JACOBI ACONTII *De inveſtigandarum tradendarumque artium ac ſcientiarum methodo.* 325

LUDOVICI CROCII *De ratione ſtudii Theologici inſtructio.* 398

JOHANNIS HOORNBEECKII *Brevis Inſtitutio ſtudii Theologici.* 497

CASPARIS SCIOPPII *Diatriba de compendioſa & facili Linguam Hebræam & Chaldæam condiſcendi ratione.* 517

HENRICI MOREELSE JCti. *Diſſertatio de Manuductione Studioſi Iuris per Academiam ad Rempublicam.* 563

JOANNIS HEURNII, *De Medicinæ ſtudio bene inſtituendo, diſſertatio.* 587.

JOANNIS DE RAEI *Diſſertatio de Subſidiis, gradibus ac vitiis notitiæ vulgaris in naturæ Contemplatione & officio Philoſophi circa eandem.* 616.

JOANNIS ALBERTI BANNI *Diſſertatio epiſtolica de Muſica Natura, origine, progreſſu, & denique ſtudio bene Inſtituendo.* 664.

REGULAE VITAE. *Sapientis, harmonica, tranquillæ, actuoſæ. negotiis obrutæ, liberaliter otioſæ, peregrinantis deniq;.* 694

SYL-

SYLLABUS CAPITUM DISSERTATIONIS JOHANNIS ALBERTI BANNI DE MUSICA.

I. *Poëſis res ingenioſa, ac Muſica ſubalterna.*
II. *Numeri Poëtici & Muſici differentia. Ex Muſica ignorantia, plurima Autoris commenta.*
III. *Occaſio & ratio indagationis Muſicæ.*
IV. *Cauſſa hujus Commentarioli de Muſica conſcripti.*
V. *Muſica à natura eſt: perfectio ab arte. qualis apud Græcos ſuerit.*
VI. *Quomodo Ars creverit. Quæ ſcripta Græcorum ac Latinorum de Muſica.*
VII. *Præcipui inter veteres Euclides, Boëthius, & Beda. Melopœja Veterum qualis.*
VIII. *Melior ac facilior Methodus Guidonis Aretini: ex qua imperfectarum conſonantiarum inventio, ac præcepta Compoſitionis prodierunt.*
IX. *Qui è recentioribus Muſicam perfecerint, rectiùsque tradiderint.*
X. *Summa Muſicæ ſex Capitibus recenſita.*
XI *De Syſtemate.*
XII. *De tribus generibus Muſicæ.*
XIII. *De modis ac Circulis.*
XIV. *De Modulamento.*
XV. *De Compoſitione.*
XVI. *De arte Cantandi.*
XVII. *Perfectio noſtræ Muſicæ Græcorum hiſtoria de ratione ac energia Muſicæ à Pythagora*

8
3-c
25

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 G
17

CC
I
44

8. 3. c. 25

[illegible] Google



TRAIECTI ad RHENVM
Typis: Theod. Ackerſdyk et Gisb: Zylii
Anno 1658.

TYPOGRAPHI BENEVOLO LECTORI.

BIBLIOTECA NAZ.

D*Amus tibi hic varia opuſcula de ſtudiorum Ratione, deque iis bene Inſtituendis, in omni ferè facultate conſcripta à Doctiſsimis noſtri ſeculi viris, nimirum* à Jo. Gerardo Voſſio, Lipſio *& aliis. ſicut in ſequenti indice videre eſt. Addidimus huic editioni Clariſsimi* D. Voſſii *perutilem tractatum Chronologicum nunquam ante hac editum; nam privatim ſolum diſcipulis ſuis imbuit, ut cum fructu in Hiſtoriis verſari poſsint. Benevole Lector, fruaris Hoſce noſtros conatus cum utilitate, & indies plura non minus præclara atque utilia ex officina noſtra, Deo Opt. Max. fortunante, expecta. & Vale.*

JOannes Alexander Braſſicanus rogavit ERASMUM qua ratione doctus poſſet fieri, reſpondit ex tempore: Si doctis aſſidue conviveret: Si doctos audiret non minus ſubmiſſe quam honorifice: Si, doctos ſtrenue legeret: Si doctos diligenter ediſceret: denique ſi ſe doctum nunquam putaret.

IN-

INDEX
Eorum quæ hoc libello continentur.

GER. JOAN. VOSSII *Diſſertatio bipartita. cujus pars prior agit, quibus diſciplinis perfecta conſtet eruditio: altera, quomodo variæ adeo diſciplinæ optime addiſcantur.* Fol. 1.
EJUSDEM *Introductio in Chronologiam.* 21
EJUSDEM *Appendix de Imperiis, quæ potiſſimum in hiſtoriis celebrantur.* 39
EJUSDEM *De ratione univerſam legendi Hiſtoriam diſſertatio.* 242
EJUSDEM *De imitatione tum oratoriâ, tum poëticâ; deque recitatione veterum, libellus.* 48
IUSTI LIPSII *De ratione legendi Hiſtoriam, ad Nicolaum Hacquevillium epiſtola.* 157
EJUSDEM *De recitatione in conventu publico & privato, ad Othonem Hartium epiſtola.* 170
EJUSDEM *De notis, & notariis veterum, ad Leonardum Leſſium epiſtola.* 183
EJUSDEM *Inſtitutio epiſtolica.* 193
EJUSDEM *De diſtinctione & interpunctione. ad Hubertum Audeiantium epiſtola.* 222.
EJUSDEM *De Bibliothecis ſyntagma.* 231.
HERMANNI VULTEJI *De Studio Iuris diſſertatio.* 266

ÆGI-

ÆGIDII MOMMERII *De ratione legendi, diſcendique jura, ad Callimachum Heſſum epiſtola.* 316
JACOBI ACONTII *De inveſtigandarum tradendarumque artium ac ſcientiarum methodo.* 325
LUDOVICI CROCII *De ratione ſtudii Theologici inſtructio.* 398
JOHANNIS HOORNBEECKII *Brevis Inſtitutio ſtudii Theologici.* 497
CASPARIS SCIOPPII *Diatriba de compendioſa & facili Linguam Hebræam & Chaldæam condiſcendi ratione.* 517
HENRICI MORELSE JCti. *Diſſertatio de Manuductione Studioſi Iuris per Academiam ad Rempublicam.* 563
JOANNIS HEURNII. *De Medicinæ ſtudio bene inſtituendo, diſſertatio.* 587.
JOANNIS DE RAEI *Diſſertatio de Subſidiis, gradibus ac vitiis notitiæ vulgaris in naturæ Contemplatione & officio Philoſophi circa eandem.* 616.
JOANNIS ALBERTI BANNI *Diſſertatio epiſtolica de Muſicâ Natura, origine, progreſſu, & denique ſtudio bene Inſtituendo.* 664.
REGULAE VITAE. *Sapientis, harmonica, tranquilla, actuoſa, negotiis obrutæ, liberaliter otioſa, peregrinantis deniq;.* 694

SYL-

SYLLABUS CAPITUM DISSERTATIONIS JOHANNIS ALBERTI BANNI DE MUSICA.

I. *Poëſis res ingenioſa, ac Muſica ſubalterna.*

II. *Numeri Poëtici & Muſici differentia. Ex Muſicæ ignorantia, plurima Autoris commenta.*

III. *Occaſio & ratio indagationis Muſicæ.*

IV. *Cauſſa hujus Commentarioli de Muſica conſcripti.*

V. *Muſica à natura eſt: perfectio ab arte. qualis apud Græcos fuerit.*

VI. *Quomodo Ars creverit. Quæ ſcripta Græcorum ac Latinorum de Muſica.*

VII. *Præcipui inter veteres Euclides, Boëthius, & Beda. Melopœja Veterum qualis.*

VIII. *Melior ac facilior Methodus Guidonis Aretini: ex qua imperfectarum conſonantiarum inventio, ac præcepta Compoſitionis prodierunt.*

IX. *Qui è recentioribus Muſicam perfecerint, rectiùsque tradiderint.*

X. *Summa Muſicæ ſex Capitibus recenſita.*

XI *De Syſtemate.*

XII. *De tribus generibus Muſicæ.*

XIII. *De modis ac Circulis.*

XIV. *De Modulamento.*

XV. *De Compoſitione.*

XVI. *De arte Cantandi.*

XVII. *Perfectio noſtræ Muſicæ Græcorum hiſtoria de ratione ac energia Muſicæ à Pythagora*

DISSERTATIONIS GENERALIS BIPARTITÆ

Pars Prior,

QUÆ TRADIT,

Quibus Diſciplinis perfecta conſtet Eruditio.

IN ratione ſtudiorum primò in conſiderationem venit, quàm varia ſint diſciplinarum genera. Ac aliæ quidem *communes* ſunt; aliæ excellentiæ cauſa *erudita* nuncupantur. Communes voco, quibus etiam ſe dant, qui inter eruditos referri non ſolent. Quales Ariſtoteli VIII. Polit. ſunt Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice: ac quorundam judicio etiam Graphice. Grammatiſtice, eſt legendi, ſcribendique ſcientia: quæ doctrina planè eſt divina: etſi, quia puerilis, & vulgaris, eò vulgo abjecta, diſpretaque habeatur. Gymnaſtice, in corporis exercitatione conſiſtit. Ac veteribus erat ſimplex, bellica, athletica. Noſtri

temporis Gymnaſtice præter ſaltationem, comprehendit digladiationem, equitationem, & natationem. Muſice, ſecundum Pollucem Triplicem harmoniam obſervat: unam ore, alteram manu, tertiam pedibus. Ut ad eam non minùs, quam Gymnaſticen ſaltatio pertineat: ars nec inutilis, nec laude indigna, quamdiu ſe intra honeſtatis continet cancellos, nec excellere eâ ſtudet, quem id non decet: Graphice, eſt ars pingendi: quæ in nonnuliis plus etiam præſtat, quam dictio, aut ſcriptura: ac in peregrinationibus etiam plurimum juvat.

Diſciplinæ eruditæ vel ſunt verborum, vel rerum. Verborum cura vel Grammatica eſt, vel Rhetorica, vel Poëtica. Grammatica ars purè loqui docet: Rhetorica ornatè, Poëtica lege metricâ. Loquor vero nunc de artibus iſtis, quatenus circa verba ſolum verſantur: non quatenus Grammatici iidem ac philologi, variæque eruditionis amantes. Nec prout ſumitur Rhetorica pro facultate Oratoriâ: vel Poëtica fabulis naturæ arcana involvit, vitæve exempla proponit. Quomodo & Rhetorica, & Poëtica partes ſunt longe auguſtioris conſiderationis, quippe partes eloquentiæ, de quâ poſtea dicetur. Optandum autem foret, ut, ſicut olim, ita nunc etiam gens aliquâ ſupereſſet, quæ latinè loqueretur. Expe-

peditiſſimam haberemus addiſcendæ linguæ Romanæ viam. Nunc cum hodie perpaucorum ea ſit laus, ut pure ſcribant: pauciorum ut loquantur; cum præceptis vero, ſi pauca quædam exceperimus, ita comparatum ſit, ut ea aliquo uſque provectos juvent, incipientes vero potius morentur: vix alia profectò ratio ſermonis formandi, quam ſi veteres legamus, & ſequamur. Modum vero ejus rei inferius exponam. Dubitet quoque aliquis, num, quia nunc de eruditis ſolum diſciplinis loquimur, eò hic agatur de puritate ſermonis in iis modo linguis quæ olim obtinuere vulgò: nunc vero à *ſolis* ſciuntur doctis: ut ſunt Romana, Græca, Hebræa, Arabica, aliæ: an etiam de puritate in peregrinis illis, quæ hodiéque in uſu ſunt totis gentibus: quales Gallica, Italica, & ſimiles. Vulgares enim videntur, quia notitiam earum vulgares animæ poſſident, rerum omnium imperitæ. Mihi medii ſunt generis: interim parum referre cenſeo, utrum doctrina earum reducatur ad diſciplinas communes, an eruditas, dummodò fateamur uſum earum eſſe eruditis maximum, partim ad vitæ publicæ, privatæque commercia: partim ad intelligendas res magnas, quæ vix aliis, quam vulgaribus illis linguis ſunt exaratæ. Imo in puritate etiam, & elegan-

tiâ linguæ vernaculæ exercitari utile puto: qualis his terris Belgica. Nam & illa non aliis minus linguis ſuas Veneres habet: quas exiguæ fortaſſis laudis eſt ſcire: illaudatum tamen neſcire. Adde, quod nec rarò adverſus linguæ vernaculæ puritatem peccat vulgus: ſæpe etiam eruditi, dum invitâ linguâ belgicâ, ad latinum eam morem accommodant; Walonibus noſtris ſimiles, cantantibus belgicè, aut belgis imperitioribus latinè. De verborum doctrina ſatis.

Rerum doctrina vel eſt ſingularium, vel univerſalium. Prior illa vocatur Hiſtoria, quæ cum linguæ ſtudio optimè conjungitur. Cum enim Hiſtoria partim rerum naturam deſcribat, partim res geſtas narret; ex naturali quidem communia rerum pene omnium vacabula diſcemus: ex geſtorum illâ hauriemus proprias perſonarum, ac locorum appellationes, ſine quarum notitia non poëtæ, non oratores, non ullum intelligi poſſit ſcriptorum genus. Ut ſatis liqueat: etiam ad diſcendam linguam latinam non eſſe expeditiorem proficiendi modum, quam ſi cum Cicerone, aut Terentio hiſtoriam jungamus. Sed longè majus eſt, quod ex hiſtoria naturali naturalis ſcientia, & ars medica naſcitur: ex hiſtoriâ vero rerum geſtarum tota Philoſophia

pra-

practica, cum jurisprudentiâ originem trahit. Ex ſingularibus enim ad univerſalia devenitur. Hæc univerſalis doctrina à Platone dividebatur in προπαιδείαν vel παιδείαν. illa præparat, hæc perficit. Προπαιδεία continet Matheſin, & Logicen. Matheſis verſatur vel circa quantitatem diſcretam, ut Arithmetica, vel continuam, ut Geometrica. Logice dirigit intellectum in cognitione veri: præcipuaque ejus inſtrumenta ſunt argumentatio, definitio, diviſio, methodus. In quibus etiam multum ſola poteſt natura. Sed non omnibus par obtigit naturæ felicitas, & ars dux eſt certior naturâ.

Atque hæc de προπαιδείᾳ: quæ ſic dicitur, quod diſcendi ordine antecedat παιδείαν. Ut enim ædificare volentis prior eſt fundamenti cura: poſtea autem ſtructuræ: ita ſe etiam res habet in doctrinarum ſtudiis. Structura παιδείας nomine cenſetur: Ea partim cognoſcitur lumine naturæ, partim ſupernaturali. Prior Philoſophiam continet & eloquentiam. Philoſophia conſiſtit in ſapientiæ, & prudentiæ ſtudiis. Sapiētia comparatur notitia naturæ. Atque ad eam, ut dixi, etiam medicina refertur. Prudentia comprehendit ſcientiam moralem, & civilem. Ex poſteriori enaſci-

tur Juriſprudentia. Eloquentia docet aptè dicere ad perſuadendum; Idque vel proſâ oratione, ut Oratoria; vel carmine, ut Poëtica. Utraque Politicæ eſt inſtrumentum; ſed ut Politicus ſit Orator, multum refert: cùm in re familiari ubi multum ornat, & amicos parit: tum præcipuè ſi dicendum in concione ad populum: in curia ad ſenatum, in caſtris ad militem, in legationibus ad exteros reges, vel reipubl. Antiſtites. Sed Politicum itidem eſſe Poëtam, nihil neceſſe eſt, quia bonum quod ex dramatis, & aliis poëmatis redundat ad Remp. per alios exſequi licet. Quare Lælius & Scipio, ſive Furius, aut Sulpitius, nobiliſſimi homines, non ipſi ſuo nomine dramata ediderunt, etſi adjuvarint Terentium. Sed ut à Politico hoc ſtudium non requiratur, tamen ejus notitia auget nominis decus. Imo nec à laude carminis tragici abhorruere Aſinius pollio, & Auguſtus, ut Julium Cæſarem mittam, qui tragœdiam ſcripſit, ſed junior. Supereſt doctrina ſupernaturalis, ſive Theologia Chriſtiana, quæ doctrina eſt divinitus revelata à Deo, & officio hominis, in ſpem vitæ æternæ. Quia vero hic periculoſius erratur, utile eſt in tanto eccleſiæ ſuper variis capitibus diſſenſu, ut ipſi ſcripturas legamus, idque animo humili, & affectibus minime mancipato.

pato. Recentibus etiam doctoribus addemus veteris eccleſiæ interpretes, ac conſiderabimus,in quibus diſſenſerint, & quando diſſenſus ille cœperit, & ubi alii alios tulerint,& ubi non item. Quo pacto futurum, ut & neceſſarie veritati, & eccleſiæ concordiæ melius conſulatur.

DISSERTATIONIS GENERALIS BIPARTITÆ

Pars altera,

QUÆ OSTENDIT,

Quomodo variæ adeò diſciplinæ optimè addiſcantur.

VIdimus, quam late pateat doctrina. Ea vero eſt humanæ mentis imbecillitas, ea voluptatis vis in animos noſtros, ut licet in ſtudiis ad ſumma contendamus,ſic quoque longe abfuturi ſimus à ſummo. Tanto magis in pueritiæ, & adoleſcentiæ inſtitutione ſemper eſt collimandum ad id, quod eſt perfectiſſimum: hoc eſt,ut eo tandem homo pertingat, nihil ut penitus neſciat: ſaltem eo contendendum, quatenus diſcentis ingenium,& fortuna ferat,

& vitæ genus ſinat, cui quis deſtinatur. Atque hoc optimè perſpexit vaſtiſſimæ eruditionis vir, nec ſine laude nominandus, Nicolaus Damaſcenus, Auguſti Cæſaris amicus: qui & ab eo placentis, & dactylis nomen Nicolaorum impoſuit. Hic, ut ex vetuſtioribus prodidit Suidas, docto patre natus, & celebris in patria erat adhuc imberbis: nullo Grammaticorum inferior, inque omni poëtica exercitatus, ſi ut comœdiæ ejus & tragœdiæ etiam laudarentur ab eruditis, & intelligentibus. Provectior vero etiam evaſit egregius dicendi artifex; nec Muſicæ ſolum, ſed univerſæ Matheſeos contemplationi ſe addixit: tandem & toti Philoſophiæ, in quâ omnigenam Ariſtotelis doctrinam maxime æmulatur. Hoc miraculum hominis dicebat, quemadmodum qui ſuſcipiunt peregrinationem longinquam, alicubi quidem divertunt, noctemque commorantur: alicubi ſolum prandent; alibi vero diebus aliquot ſubſiſtunt, & alia curiosè, alia obiter ſpeculantur reverſi vero proprias inhabitant domos: ſimiliter univerſæ amantibus doctrinæ, ac eruditionis in quibuſdam ſtudiis brevi, in aliis longo eſſe tempore commorandum: quaſdam diſciplinas eſſe integras addiſcendas: in quibuſdam elementa ſufficere: atque ubi ex omnibus iis, quod utile eſt in-

inſtituto ſuo, hauſerunt, quaſi domum reverſos in ſapientiæ, ac prudentiæ ſtudiis, quæ philoſophiæ nomine continentur, aſſiduos eſſe oportere. Ex ejus igitur viri conſilio contenti eſſe debemus perfectione ejuſmodi, quò nihil penitus neſcire dicamur, quia nullius ſtudii ſimus prorſus expertes: interim alia ſciamus leviter, alia mediocriter, alia accuratè. Leviter quædam ob exiguum uſum, pro vitæ genere quod propoſitum eſt nobis, ac ejuſmodi eſt ſatis elementa hauſiſſe. Mediocriter alia ob uſum majorem, & quod ſine iis intelligere, vel tueri neſciamus, quæ ſcopus ſunt ſtudiorum noſtrorum. Exactè vero, quæ potiſſimum tangunt vitæ genus, quod inſtituimus. Variant enim ſingula iſtorum pro vitæ propoſito. Ita hodiè majori jure linguæ Græcæ peritia requiritur in medico, quam in juriſconſulto: major etiam notitia ſcientiæ naturalis. At juriſconſulto magis opus cognitione hiſtoriarum, & philoſophiæ moralis, ac civilis. Theologum magis quã juriſconſultum, aut Medicum, Logicis, & Metaphyſicis imbutum eſſe convenit. Etiã illi eſt magis neceſſaria notitia Orientalium. Hiſtoriæ vero Eccleſiaſticæ notitiam potiſſimum quidem in Theologo requiram: mediocri interim opus cenſeo omnibus eruditis: præſertim ſi futurum ali-

quando, ut ſedeant ad clavum Reip. Quales, imprimis etiam in religionis negotio, non alienis modo, ſed ſuis etiam oculis videre par eſt. Scripturas igitur ſedulo legant, & ut ante dicebam, antiquis interpretibus ſociare diſcant novos, novis etiam antiquos.

Expoſuimus hactenus duo iſta, quæ & quatenus ſunt diſcenda. Tertium reſtat, qua ratione facillime tam vaſta rerum notitia paretur. Pene ab incunabilis ordiendum: non tetricâ ratione, ſed ſuavi, & quaſi luſitando. Sane pueriles animi miræ capiuntur narratiunculis, & picturis. Quare quandrienni etiam vel minori, interdum & antequam legere diſcat, mater, vel pædagogus librum proponat, qui pictas exhibeat hiſtorias omnes veteris, & Novi Teſtamenti. Figuræ ſingulæ monſtrentur, explicentur. Ita breviculo ſpatio puer hiſtoriam biblicam ſciet. Exemplis etiam ſubjicere liceat ſalutaria præcepta, quæ inde colliguntur. Sic metus Numinis, & reverentia inſtillabitur. Etiam ſylvam vocum latinarum occaſione eadem addiſcere licebit. Exempli gratiâ, in primâ picturâ, quæ creationis hiſtoriam proponit, videre erit Solem, Lunam, Stellas, Virum, Feminam, arborem, ſerpentem, pomum, leonem, bovem, cuniculum, pavonem, alia; in quibus

puer

puer rogatus quid quidque ſit, latinè etjam nominare diſcet. Ac par ratio fuerit in cæteris picturis.

Mox conſequetur, vel etiam ſociabitur Grammatiſtice, ſive legendi, & ſcribendi ſcientia. Literæ luſitando variæ diſcuntur. Inter alios modos, ſi ſphærulis luſoriis, literæ alphabeti ſingulæ è chartâ agglutinentur, nec alias puero liceat obtinere, quam in quibus literarum ſcriptarum nomina ſciat: quarum oblitus erit, etiam ſphærulas deperdat. Quod ſi firmiuſcula erit pueri pro ætatula manus, poſſit non à legendo, ſed à ſcribendo ordiri. Nàm dum diſcit literas formare, eàdem diſcet eas noſcere. Utile autem incipere ab alphabeto Italicarum literarum ſive, ut vocant, currentium. Nam ſi calet puer ſex, ſeptem figuras, nullo negotio diſcet univerſas: quia reliquæ inde formantur. Exempli gratia noſcit ex *c. e:* ex *i.* novit *n, m, u:* ex quibus de paucis reliquis facile erit judicare.

Hinc jam tempus vulgaria diſcere paradigmata nominum & verborum, ſed in nominibus ſine illis, ut vocant, articulis. In verbis, ut unum ſit Imperativi tempus, primæ perſonæ expers: citra etiam modum optativum, qui Subjunctivo continetur. Hæc addita citra fructum puero difficultatem augent. Mox hauriet præcepta

artis Grammaticæ: quæ adeo ſunt pauca, ut pagellis viginti liceat complecti. Quod & in Græcis locum habeat: imo ea quaternione, ut vocant, unico ſoleo comprehendere. Vulgo multa inſerciunt Grammaticæ planè Philoſophica, quæque à tenera ætate intelligi nequeant. Et hæc verè carnificina: non quaſi & iſta non aliquando diſcenda ſint. ſed & ætate inque ſtudiis aliquantum provectis, ut ſermonis etiã naturam, & cauſas intelligant. Quare iſtorum loco puer præcipuarum rerum vocabula petat ex Nomenclaturâ Junii. Sylvula hæc vocum ex facilibus, quos dixi, canonibus cognitis, vel fabellæ Æſopicæ, vel paucula poterunt ex Eraſmo, Corderio, aliove, colloquia proponi, ut ita uſus canonum melius appareat. Sed mox ſcriptores ad veteres veniendum. Ex quibus conducet Terentius ad ſermonem familiarem, & epiſtolicum. Propter quem & elegantiores aliquot Ciceronis epiſtolæ elegantur. Ob metricam vero rationem poſt enarratam proſodiam, à Catonis diſtichis ordiri licebit. Vel ſelectis quibuſdam ex Marone, Ovidio, Horatio, atq; aliis. Quo pacto puer in omni verſuum genere illuſtre habebit exemplum. Atque hæc nunc dicimus ſolum, ut liqueat, quomodo optimè conſequamur intelligentiam canonum, de ſermo-

monis Romani puritate, ornatu, metro. Qui vero potiſſimum ſunt legendi propter ſtylum, & ut præter lectionem requiratur uſus, ſive ſtyli exercitatio, poſtremo à nobis loco exponetur. Etiam jam tum imo multo etiam ante, puta ſexenni, vel ſeptenni utiliter cenſeo datum iri chartas tres, quatuor geographicas: ut inde diſtinguere diſcat tres continentes, & in Prima Aſiam, Africam, & Europam. In ſingulis harum nobiliores regiones, & terminos, primariaſq; urbes, velut Romam, Carthaginem, Athenas, Spartã, Conſtantinopolim, Hieroſolyma, &c. Oſtendatur ubi Chriſtus natus, paſſus: ubi imperator Germanicus dominetur, ubi Turcicus: ubi Caſtiliæ Rex, ubi Luſitaniæ: ubi Rex Gallus, Britannus, Danus, Polonus, Suecus: ubi pontifex Romanus, ubi ſita tellus, atq; urbs, quam ipſi incolimus: & ſic in cæteris. Puero ſcire hæc, monſtrareq; poſtea aliis, voluptatem adferet honeſtã, ac multum lucis in hiſtoria, ſacrâ, externâ, veteri, novâ. Earum ſacra petatur è Sulpitio Severo: Romana è Floro, Stadii operâ eluſtrato, & Cæſaribus Sex. Aurelii Victoris. Externa è Juſtino hauriantur. Suppleãtur in his cætera è Bucholcero, aut Caluiſio, vel ſimili. Ubi vero adepti ſumus generalem temporum omnium notitiam, ad quod etiam tabulæ quædam chro-

chronologicæ conferent: adeundi qui fuſius omnia tractarunt: ante alios Livius: qui præterquam quod purè adeò & perſpicuè ſcribat, quoque præcepta, & exempla adfert, quæ Dei providentiam doceant; ac prudentiam augeant moralem, ac civilem: etiam orationes habet in vario admodum argumento profuturas plurimum eloquentiæ ſtudioſo. Qui vero fusè de ſingularum penè gentium imperiis ſcripſerint, aliâ quadam diatriba perſequimur: unde peti malo, ne ſit, quod dici ſolet Δὶς κράμβη θάνατος.

Hiſtoriam excipit Matheſis ac Logice: hinc partim philoſophia, tam naturalis, quam civilis, partim eloquentia. Sed qui doctores vel primi, vel felicius aliis tractarunt, accurate exponimus libris de ſcientiarum omnium natura, uſu, & ſcriptoribus præcipuis: quos propediem puto lucem viſuros.

Quæ hactenus diximus ea pertinent ad intelligentiam verborum, & rerum. Præter ea vero opus eſt, ut ſciamus loqui, & ſcribere purè, & perſpicuè, tum copiosè ornatêque. Dixeris, ſi quis intelligit ſermonem Romanum, & loquuturum hunc & ſcripturum. Sed ſæpe linguam intelligimus, quâ loqui neſcimus, quia uſus abeſt. Nec ſi purè ſciamus loqui, eò atque perſpicuè, atque

atque adeò copioſe, ornatèque id præſtare ſumus idonei. Hæc vero duobus conſequimur: optimos legendo, & quos legimus imitando.

Videndum igitur nunc, qui ſint imitandi, & quomodo imitandi. Ecquis ſit imitandus, vocari in dubium non debet: Quippe, ut dictum, nullus jam populus eſt, qui loquatur latine. Quare veterum opus lectione, qui ſermone Romano præſtiterunt. Sed duo hic attendere convenit: prius pertinet ad proprietatem vocum ſimplicium, & conjunctarum. Hæc ex uno quopiam diſci nequit. Ut falluntur qui putant haud aliis utendum eſſe verbis, quàm Ciceronis: cum non de omnibus rebus ſcripſerit Cicero: eoque ſi de re ruſticâ, militari, architectonicâ, aliiſque tacendum propterea non ſit, alios cogamur adire ſcriptores. Nempe Ciceronis imitationem non ponimus in verbis, ſed lineamentis, & torâ orationis formâ. Nec quia Ciceronem nomino, eo præſcripſero omnibus lectionem Tullii, ut unici ducis. Nihil enim invitâ faciendum Minervâ. Suum autem quemque ingenium ad aliud, atque aliud dicendi genus trahit. Sed utcunque diverſi ſint modi, quibus ſtylo etiam inveniamus laudem: non tamen in iis eſt iſte, ſi multos imitemur: quomodo dictio nunquam futu-

ra

ra eſt æquabilis,& conſtans. Unus igitur aliquis imitandus, iſque optimus. Nam ſi bonum imitemur, non optimum, haud facile evademus boni, quia raro adæquamus, quem nobis æmulandum propoſuimus. Meliores autem dare non poſſumus, quam qui vixere Julii ac Auguſti temporibus, quales ex profanis Tullius, Cæſar, Livius: & mox M. Seneca, Vellejus, Curtius, Fabius. Unum autem imitari expedit; vel ſi quem addere velimus, is eſto quam ſimillimus, ut ſi Tullio Fabium addamus. In eo autẽ, quem imitamur aliquantulum aſſidui eſſe debemus: neque ad proprietatem modo ſingularum vocum attendendum: ſed etiam conjunctarum: ut quæ nomina his illis verbis: quæ verba his vel iſtis nominibus ſocientur. Utrumque horum ſedulo exponit in Theſauro ſuo Rob. Stephanus. Claudicat vero hac parte toties recoctus Calepinus. Conſiderandus etiam particularum uſus; de quo Turſellinus, & Stewechius. Perutile vero, ſi, ut in Nomenclatore ſuo Junius voces ſingulas retulit, atque reſolvit ad certas claſſes; ita etiam faciamus in conjunctis: veluti quæ formulæ dicendi obtineant jure forenſi, quæ in militari, quæ in ruſticâ, & nauticâ, aliiſque. Ad hæc diſpiciendum in ſcriptore, quem nobis propoſuimus, (præcipue in Tullio)
quo-

quomodo ſententiam ordiatur, continuet, claudat:quo pacto narret, ad aliud transeat,interroget, ratiocinetur; qua ratione exemplis illuſtret, vel aliena verba proponat, firmet, aut refellat. Atque utile etiam in codice quopiam, ſumma in pagina titulis hujuſmodi annotatis, ſubdere inferius, quas formulas invenimus legendo: eaſque varias, ut major in imitando copia ſuppetat, nec eadem ſemper chorda oberrando paupertatem noſtram prodamus. Et tamen in formulis ejuſmodi, & phraſi universâ videndum,à quo,ubi, quando,& qua occaſione, quidque dicatur. Nam variat ſtylus pro genio tum dicentis, tum rerum,quæ dicuntur: aliterque loquimur in epiſtola,vel ſermone familiari, aliter in diſputationibus aut artibus tradendis: aliter in texendâ hiſtoriâ, aliter in concitato,ferventique dicendi genere, ut fere in cauſis forenſibus. Imo ne par quidem ratio eſt in ordinatione verborum. In epiſtola enim (niſi forte ob gravitatem argumenti; aſſurgere debeamus)haud multum ſolliciti ſumus, ne multæ concurrant vocales; ne multæ conſonantes aſperæ, ne multa grandia, aut exilia multa:utcumque ea ſatius ſit miſceri. verum ſubinde aliquis talium neglectus commendat, ideoque ipſa cura eſt incuria. At in oratione ſtudioſè

ea

ea ſunt obſervanda : ac prætereâ curandum, ut periodica ; ac numeroſa ſit oratio: adſueſcendæque aures, ut de ſoni diverſitate judicium ferre valeant. Negligi hoc officium à pædatribis multis ſolet : ſed miras venerea addit orationi, ita ut pro his obſervatis, aut neglectis eadem oratio haud eadem videatur. Ex uno Tullio hæc optimè hauriri diximus ſuperius, cum de Rhetorico ſermonis ornatu ageremus. Puero autem poſt ſelectiores in omni argumento epiſtolas, legendæ etiam orationes faciliores, quales Catilinariæ, & ad Cæſarem dictæ : poſtea accedet omnium perfectiſſima, pro Milone. Etiam ex philoſophicis ejus viri quædam delibanda : ut Lælius, & Cato : quos ſequuntur mox aurei officiorum libri. Nam ſic eâdem opera ſtylus magna capiet incrementa, & bona pars diſcetur philoſophiæ moralis : ſine cujus notitiâ non conſtat eloquentia : ut quæ philoſophiæ practicæ, ut diximus, ſit inſtrumentûm.

Quos ſcriptores ad facultatem bene dicendi comparandam imprimis legere conveniat, ſatis mihi videor expoſuiſſe. Venio nunc ad alterum caput, quod eſt de imitatione, ſive exercitatione ſtyli, quæ facundiam perficit, imò penè ſola artificem facit. Eſt vero alia pueris convenientior, alia

alia majores exigit vires. Prior eſt duplex: una, ſi aliqua ex Tullio, aliove reddas vernacula linguâ: poſt aliquod vero dies, modo bene ſint expreſſa (de quo, ſi opus, doctor prius judicium faciet) eadem à puero latine reddantur. Denique ex Tullianorum collatione judicium fiat, quæ à magno illo dicendi magiſtro melius dicta ſint, quo pacto futurum, ut puer, quaſi ſub ipſo Cicerone præſenti proficiat. Poſterior exercitatio eſt, quando puer epiſtolam, vel hiſtoriolam ſumit, non diſconvenientem multum ſuis rebus: atque eam mutatis aliquibus ſuo accommodet inſtituto. E. G. Cicero varios in epiſtolis conſolatur: ex harum una, vel pluribus conſolaturo fas erit ſua excerpere, etiam verbatim periodos totas. Sic ex Tullio melius diſcet lineamenta ſermonis Romani, & formare ipſum orationis corpus At majoribus jam viribus eſt opus, quando in argumento multum diverſo imitatio fit eaque inſtituitur, ut non alteri pene omnia, ſed multa etiam nobis debeantur: & quæ ex altero deſumpta, ea etiam noſtra plane videantur, quia, ut artificioſi fures ſolent, iis novam plane formam tribuimus. Cæterum cum initio quis in hoc exercetur, ſatius eſt pauca ſcribere, & tardè: non vero accipere, quæ ſtatim ſe offerunt; ſed quærere

me-

meliora, imò optima. Quin ne quidem aliquo uſque jam in dicendi ſtudio progreſſi induſtriam hanc omittere debemus. Siquidem qui facultatem benè dicendi comparavit, ſi ingenium quodammodo habeat in numeraro, & ita uſu veniat, ut extemporali dictione ſit opus, non incommode id præſtabit: ſed ſi dare propterea extemporali dictioni ſe volet ſemper, facilitate amittet bene dicendi facultatem.

GERAR-

GERARDI JO. VOSSII
INTRODUCTIO
IN
Chronologiam.

LECTORI BENEVOLO S.

HAbes hic candide *lector*, *brevem & perutilem ſtudiis tractatum Chronologiæ, quo* Clariſſimus Voſſius *anno fere* MDCXXXI. *privatim diſcipulos imbuit, ut cum fructu in hiſtoriis verſari poſſint. Quod enim in capite ſunt oculi, id in hiſtoriis vir magnus ſolet appellare Geographiam, & Chronologiam, quare non ſatis illi fuit bonarum diſciplinarum ſtudioſis, digito oſtendere viam ad Geographiam; ſed itidem fecit ad Chronologiam. Et ut eam facilius memoriæ inſculperet, omne ævum à mundi exordio, uſque ad conſequentia tempora, per certa intervalla diſpeſcuit, ad quæ omnia quæ in hiſtoriis occurrunt, facili negotio revocari poſſunt. Hæc ſcriniis deprompta, ut prelo committerem, impulit quorundam hortatio, amor præceptoris, & affectus erga communia ſtudia.*

Utere. & Vale.

A. ZYLIUS.

GER.

GER. JO. VOSSII INTRODUCTIO IN Chronologiam.

PROLEGOMENA.

TRia ſunt, quæ obſervanda ſunt unicuique, qui animum ad diſcendum appulit. Primò, ut diſcat intelligere. Deinde ſapere; denique eloqui. *Intelligere,* ea gratia, ut alios intelligamus, & ab aliis intelligamur. Quo pertinent ſtudium linguarum, ut Hebræarum, Græcarum, & Latinarum, & aliarum, quæ maxime ſunt in uſu, ut hodierno ſeculo lingua Gallica. *Sapere*, ut res ipſas intelligamus. Illud ſtudium dicitur ſapientia, ſive Philoſophia. At cum tria ſint, circa quæ meus verſetur, *Res*; *Cogitatio*, quæ eſt ſignum rerum, & *Sermo* ſeu *verba*, quæ ſunt cogitationis ſignum; idcirco etiam accedat oportet *eloqui*, ſeu *bene dicere*, ut eleganter animi ſenſa proferamus, & cogitata in actum deducamus. Hoc efficit Rhetorica ſeu ſtudium eloquentiæ.

Qui vero ritè ſapere volet, is ſibi hos tres

tres libros commendatiſſimos habeat, librum naturæ, librum providentiæ, & librum ſcripturæ. *Liber naturæ* eſt de operibus Dei, unde intelligitur Dei potentia, omnia ex nihilo condentis. Sapientia, valde ordinate omnia condentis. Bonitas, omnia propter nos condentis. Ad librum naturæ pertinet Philoſophia naturalis, ſive Phyſica, ex .gr. quid ſit Eclipſis Lunæ &c. *Liber providentiæ* eſt Hiſtoria rei, unde comparatur ſapientia, & prudentia civilis. Hiſtoriæ autem uſus duplex eſt, partim ſpectans Deum in gubernandis omnibus. Unde diſcitur, quomodo Deus nos homines gubernet, & imperium ab uno ad alterum transferat; atque ita inſervit hiſtoria promovendæ pietati. Partim ſpectans nos, quomodo nos ipſos, domum, & rempub. adminiſtremus. Huc pertinet Ethica, Oeconomica, & Politica. Omnes quidem legunt hiſtoriam: ſed non omnes uno, & eodem fine. Puellæ, & opifices etiam legunt hiſtoriam; ſed ſpeculationis tantum gratia. Verum ne ſimiliter à nobis fiat, ſed prudentiæ civilis conſequendæ grata, eam legamus. Tertius liber erat, *Liber Scripturæ*, qui facit ad cognoſcenda opera Dei, & ex operibus, ipſum Deum, Deique voluntatem. Hic plane pietati colendæ & promovendæ inſervit. Unde li-

que

quet omnia noſtra ſtudia revocari poſſe ad quinque capita. Primum eſto, Intelligentia. 2. Sapientia. 3. Eloquentia. 4. Naturæ cognitio. 5. Denique Hiſtoria. Ad Hiſtoriam cum fructu legendam, imprimis utilis eſt Geographia, & Chronologia. Impræſentiarum agemus de fundamentis Chronologiæ.

De Poëtica Temporum diviſione.

UT itaque quædam præmittamus, de diviſione temporum, apud Poëtas, & alios ſolemni, antequam agamus, de ea partitione temporum, quæ potiſſimum in uſu eſt. Sciendum apud Poëtas, omne mundi tempus dividi in quatuor ſæcula, in Aureum, Argenteum, Æneum, & Ferreum.

Aureum ſeculum cœpit à Mundi exordio, & duravit uſque ad Saturnum regno exactum.

Hoc aureum ſeculum, nihil aliud ſignificat, quam felicitatem majorum noſtrorum in Paradiſo.

Saturnus enim eſt ipſe Adamus. Quod inde liquet, quia Saturni pater dicitur eſſe Cœlus (Cœlus eſt nomen Dei; cœlum, nomen elementi) At Adamus, an non eſt etiam filius Cœli, ideſt Dei? Deinde Saturni mater dicitur fuiſſe Tellus. An non Adami

mi mater etiã fuit tellus? Eſt enim ex maſſa terræ à Deo cõditus. Illud de Saturno teſtã-tur Heſiodus, in Th. & Orpheus. Adamus autẽ ſucceſſu temporis, in Deos eſt relatus, & pro Numine cultus, dictuſq; eſt Saturnus.

Poſt aureum ſeculum ſucceſsit argenteum, quod cœpit ab exacto Saturno, & duravit uſque ad Nimrodum, ſive Iovem Belum.

Poëtæ fabulantur, Saturnum regno exactum primam agriculturam exercuiſſe, proinde pingitur falce, quia falcis inventor eſt. Atqui Adamus poſtquam paradiſo exactus eſt, etiam primus fuit, qui agriculturam exercuit. Hoc ſeculo dicuntur omnes artes inventæ. Id ipſum etiam teſtatur S. Scriptura Geneſ. 4. poſt exactum Adamum contigiſſe, Jabetus artem conficiendorum tabernaculorum invenit. Tubalcainus primus uſum metalli invenit: qui, certis literis præciſis, eſt Vulcanus, atque hic Poëtis inventor eſt omnis artis fabrilis. Iubalinus auctor & invẽtor eſt artis Cithariſtiæ. Tum domus demum ſunt cõditæ, ut teſtatur etiã Ov. 1. Metamorph

Tum primum ſubiere domus, domus antra fuere. Atqui tum Cainus etiam primus urbem condidit, quam de nomine filii Hanoch, Hanochiam appellavit.

Æneum cœpit ſub Nimrodo. ſeu à Iove Belo, & duravit uſque ad annum primum reditus heraclidarum.

Nimirod fuit filius Chus, nepos Cha-

mi, pronepos Noachi. *Gen.* x. Is idem eſt, qui profanis auctoribus dicitur Jupiter Belus. quæ vox manavit à Phœnicibus, apud quos Baal, & contracte Bal, & Bel, unde Belus, ſignificat dominum. Sub hoc fabulantur bella cœpiſſe. Atque Nimrodus fuit ſtrenuus bellator, cujus tyrannidem fugiens Aſſur, Filius Semi, Nepos Noachi, qui in gentili hiſtoria dicitur Ninus, urbem ſibi cognominem, Niniven condidit in Aſſyria. Hinc intelligens, quod Iuſt. lib. I. ait Ninum regem Aſſyriorum primum bella finitimis intuliſſe &c. Fieri poteſt Ninum, pro Numerodo poſitum, ut facilis confuſio eſt, in priſca hiſtoria.

Ferreum ſeculum cœpit à reditu Heraclidarum in Peloponneſum, uſque ad hæc tempora, & quæ ſequuntur.

Itaque hæc ætas cœpit eo tempore, quo deſiit proſapia eorum, qui ad Trojam depugnarunt. Id autem, quod de hac ætate dicitur, non poteſt accommodari ſacræ hiſtoriæ, quia tam florentiſſimum fuit imperium Hebræorum, cum inciderit in tempus Samuelis, & Davidis &c.

Varronis Diviſio.

VArro, Latinorum doctiſſimus, omne ævum diviſit, in tria tempora, in ἄδηλον, μυθικὸν, & ἱστορικὸν.

Ἄδηλον

Ἄδηλον cœpit à mundi initio, & duravit uſque ad diluvium Ogygium.

Hoc tempus ita dicitur, quia nihil eorum, quæ tum acta ſunt, hiſtoriis perſcriptum eſt. Ogygium diluvium accidit in terra Attica tempore Ogygis, regis Thebanorum, qui vixit temp. Iſaaci, & Jacobi. Notandum hic, veteres tria diluvia confundere. Univerſale, quod eſt Noachium, Ogygium, de quo hic; & Deucaleoneum, quod accidit in Theſſalia temp. Moſis.

Μυθικὸν ſeu fabulare cœpit à diluvio Ogygis, & duravit uſque ad primum Olympiadem.

Id tempus ita vocatur, non quia omnia ſunt fabuloſa, quæ illo tempore accederunt: ſed quia fabulis involuta ſunt.

Ἱστορικὸν cœpit à prima Olympiade, & durat uſque ad hæc, & conſequentia tempora.

Olympiades cœperunt tempore Azariæ Reges Judæ CCV. annis à morte Salomonis, ſurſum legendo tempora, & ducentis (quindecim minus) ante combuſtionem templi Hieroſylimitani.

Eliæ Diviſio.

Circumfertur alia vulgaris diviſio temporum, quæ eſt Eliæ; non Eliæ Theſ-

bitæ, ſed alterius Eliæ Rabbini, qui vixit poſteriore ævo, tempore templi ſecundi. Hic ſolet dicere,

Bis mille annis inane.
Bis mille annis lex.
Bis mille annis tempus Meſſiæ.

Vel ſic:

Bis mille annis ſine lege,
Bis mille annis ſub lege.
Bis mille annis poſt legem.

Unde ſunt, qui concludunt, mundum non amplius, quam bis mille annos poſt Chriſtum duraturum, quod quam frivolum, & incertum ſit, patet ex ſcriptura No. Teſtamenti. Interim tamen ex hoc dicto Eliæ, abunde refelluntur Judæi adventum Meſſiæ pernegantes.

Accurrator Temporum Diviſio.

OMne ævum ab orbe condito, uſque ad hoc tempus, & ea, quæ ſequuntur, dividitur in partes tres.

I. Ab orbe condito, uſque ad vocationem Abrahami ex Carrhan urbe Meſopotamiæ, ſive uſque ad fœdus Dei cum Abrahamo initi.

II. A vocatione Abrahami uſque ad Chriſtum natum.

III. A Chriſto nato, uſque ad noſtra tempora, & ea, quæ ſequuntur.

De Primo Intervallo.

PRimum intervallum, à mundo condito, uſque ad vocationem Abrahæ, eſt annorum ſpatium 2023. Hoc tempus memoriæ ergo, rurſus in duas partes poteſt diſpeſci, in illud, quod eſt,

A mundi exordio, uſque ad diluvium, & ſunt anni. — — — 1656
Ad diluvio uſque ad vocationam Abrahæ, & ſunt anni. — — — 367

2023

Obſervanda hic eſt quorundam hominum ætas, ut liquido hæc pars è ſacris comprobetur. Adam vixit 930 annos, à morte Adami, uſque ad nativitatem Noachi, ſunt 126. Hinc uſque ad diluvium ſunt 600 anni. Sexcenteſimum enim annum agebat Noachus, cum inciperent aquæ diluvii Gen. VII. 11. Habemus itaque 1656. annos; qui effluxerunt ante diluvium.

930
126
600

1656

His ſi addantur 367 anni, à diluvio uſque ad vocationem Abrahami, haben-

tur prædicti anni 2023. Ut autem hac in parte etiam conſulatur memoriæ; numera, quot ſunt in anno intercalari dies; ſunt autem 366. (nam cum annus conſtet 365. diebus, & ſex horis. Sex horæ quater ſumtæ efficiunt diem unum. hic dies, quarto quoque anno, additur Februario. Atque ita annus intercalaris habet 366. dies) Illis vero jam adde unum diem, & tum dies pro annis computentur, & ſic facile ſemper ſcire poteris illud intervallum à diluvio, uſque ad vocationem Abrahami, quod eſt 367. annorum.

Curſum hic notandum eſt, uti à mundi initio, uſque ad Noachum, ſub quo diluvium contigit, recta linea, ſive paterna, decem perſonæ fuerunt; ita etiam à Noacho, uſque ad Abrahamum, quocum Deus fœdus iniit, recta linea decem perſonæ fuerunt, ita ut Abrahamus poſt Noachum decimus fuerit. Ut Gen. v. & xi. videre eſt.

Adam	930	Sem	600
Seth	912	Arphaxat.	438
Enos.	905	Salach.	433
Kenan	910	Eber ſeu heber	464
Mahalael	895	Pelech ſeu Pſalech	239
Jared vixit.	962	Rega, ſeu Reu.	263
Enoch	365	Saruch	230
Methuſalem	969	Nahor	148
Lamech.	777	Tharach.	205
Noach ante diluvium	950.	Abraham	175
			Gen. 25.6.

Noach ante diluvium vixit 600. annos, & poſt diluvium, 350.

Hic numerus facile memoriæ mandari poteſt, obſervato numero ternario.

Hic

Hic quæritur cum primi ſeculi homines tam diu vixerint, quales anni ſint intelligendi, an Menſtri, an Arcadium, qui trium menſiū, an Arcananorum, qui ſex menſium erant, an vero Solares, quales noſtri ſunt?

Reſp. Menſtri intelligi non poſſunt, quia ubi centeſimo anno dicuntur homines generaſſe ſecundum illam computandi rationem, octavo fere ætatis anno generaſſent, quæ ætas non eſt apta generationi. Neque etiam anni trium vel ſex menſium intelligendi, ut liquet ex hiſtoria diluvii, ubi, fit mentio ſeptimi, & decimi menſis; item decimi ſeptimi, & vigeſimi ſeptimi diei menſis. Gen. 8. 4. 5. 14. Unde conſtat annum tum temporis, uti nunc 12. menſes habuiſſe, & menſes fuiſſe plurima dierum, quales nunc ſunt. Certum igitur eſt annos ſolares eſſe intelligendos 365. dierum, & ſex horarum, quibus olim Hebræi, Chaldæi, & Ægyptii uſi ſunt.

Porrò quæritur, cur homines primo æuo tam diu vixerint?

Quadruplex ejus rei poteſt dari cauſa;

I. Ratione Dei, quæ eſt quaſi cauſa finalis; ut propagaretur genus humanum: ut artes invenirentur, & poſteris tradi poſſint.

II. Ratione temperamenti, quæ eſt cauſa naturalis efficiens, quia tum terra

nondum diluvio erat corrupta, ac proinde omnia vivida, & florida erant. Deinde corpora vigidiora erant.

III. Ratione ſcientiæ, quia tum homines intellecta pollebant, ideoque melius per naturalem cognitionem ſcire poterant, quid utile, & inutile quid ſalubrius, & magis noxium valetudini eſſet.

IV. Cauſa eſt Ethica, & moralis, quia tum homines magis ſobrie vivebant, ſolis plantis victitãtes, nã nulla mentio fit eſus carnis, & potus vini ante diluviũ. Excepto uno, quod in ſacrificiis, extraordinarie, uſus edendæ carnis obtinuiſſe videtur.

De Altero Intervallo.

ALterum intervallum à vocatione Abrahami ex Meſopotamia, uſque ad Chriſtum natum complectitur annos 1927. Hoc tempus memoriæ juvãdæ gratia, iterũ diſpeſci poteſt in quinque ſpatia.

I. A vocatione Abrahæ uſque ad exitum Iſraelitarum ex Ægypto, quod annorum eſt 430.

Hic numerus exacte invenitur in ſacris expreſſus Exod. XII. 40. Gal. 3. 17. Hoc ſpatium bimembre eſt; quippe Hebræi in terra Canaan peregrini fuerunt 215 annis. Item ſub Ægyptiis ab ingreſſu uſque ad exitum ex Ægypto duce Moſe 215 annis.

430

II. Ad

II. Ad exitu ex Ægypto, uſque ad conditum templum Salomonis 480.

Hic numerus annorum invenitur 1. Reg. 6. 1. & per partes hac ratione probari poteſt. Moſes poſt egreſſũ ex Ægypto vixit 40. annos in deſerto. Succeſſor Moſis Joſua præfuit populo 17. annos. Poſt Joſuã ſucceſſere judices, quorum primus fuit Othoniel, ultimus Heli. Ab Othoniele uſque ad Heli excurrunt anni 299. Poſt Heli ſucceſſit Samuel, qui imperavit 40 annis, annumeratis decem annis, quibus cum Saule regnavit. Poſt Samuelem ſucceſſit quidem Saul, at quia impius fuit Rex, ideo illius anni, quibus Rex fuit, cum annis Regis Davidis in unum computantur, ſuntque 40 anni, quibus David regnavit. 1 Reg. 2. 11. Poſt mortem Davidis quarto anno Regni, cœpit Salomon ædificare templum Domini Hieroſolymis. 1. Reg. 6. 1.

Poſt egreſſum Sub Moſe	40
Sub Ioſua	17
Sub Iudicibus	299
Sub Heli	40
Sub Samuele	40
Sub Davide	40
Ad extruct. templi ſub Salomone	4
	480

Memoriæ cauſa, hac ratione, hic numerus annorũ colligi poteſt. Sumatur primo maximus numerus, qui eſt 299. addatur unus

 ut fiat

fiat numerus rotundus 300. Deinde ſume quater quadringentos annos, qui computari faciunt 160. Adde his trecentos illos annos, habebis 460. Adde itē 17. annos quibus Ioſua imperavit, habebis 477. Huic numero jā ſubtrahatur, quod ſupra additum eſt, & relinquetur æqualis numerus.

Adde his quatuor imperii Salomonis annos, habebis 480.

	300
	40
	40
	40
	40
	460
17. *ſubſtracto uno manet*	16
	4
	480

III. A condito templo uſque ad deſtructum à Nabuchodonoſore, Rege Babyloniæ, ſunt anni 430.

Sumitur rotundus numerus, memoriæ ergo, alioquin tantum ſunt 428 anni. Sunt itaque 430 anni, duobus minus.

Salomon poſt conditum templum vixit annos 36.

Poſt

Poſt Salomonem, ultimus Rex Judæorum fuit Zedechias, quo uſq; ſunt anni 392

428

IV. A deſtructione templi, uſque ad Ariſtobulum, Regni inſtauratorem ſunt anni 480

Exacte loquendo ſunt anni 485. ſed memoriæ gratia ſumitur rotundus numerus. Hoc ſpatium temporis, hunc in modum poteſt probari. A deſtructione templi, quæ accidit ſub Zedechia, quocum reliquus populus Babylona eſt traductus (cum magna pars decennio ante, ſub Jechonia, Babylona in captivitatem abducta foret) uſque ad Cyrum Regem Perſarum qui captivitatem ſolvit, & liberam Iudæis, urbem, & templum inſtaurandi poteſtatem dedit, ſunt anni 60. A Cyro Perſarum Rege uſque ad pugnam ad Arbelam commiſſam, qua Alexander Magnus Perſas vicit, & imperium in ſe tranſtulit, ſunt anni 200. Ab Alexandro Magno, & ejus ducibus, ſub quibus aliquamdiu fuerunt, uſque ad Iudam Maccabæum ſunt anni 163. A Iuda Maccabæo, uſque ad Ariſtobulum ſunt anni 62. Breviter hoc pacto colligantur anni.

Sub Chaldais	60
Sub Perſis	200
Sub Græcis ſeu ſub Syro-Macedonibus	163
Sub ſuis ducibus	62
	485

V. Ab Ariſtobulo uſque ad Chriſtum natum, ſunt anni 100.

Hic etiam memoriæ ergo ſumitur rotundus numerus, nam exacte computando ſunt anni 104. Atque ita Chriſtus in terris natus, ſecundum vulgarem calculum, anno mundi 3950. Secundum Schaligerum, & doctiores, natus eſt duobus annis ante, ſub finem Septembris Anno mundi 3948.

Computus annorum à vocatione Abrahami, uſque ad Chriſtum natum per partes.

		430	
		480	
	430	428	*Num. exactus.*
Nu. Rotund.	480	485	
	100	104	
		1927	

De Tertio Intervallo.

TErtium intervallum à nativitate Chriſti incipiens, & excurrens in hæc uſque

que tempora, complectitur annos 1658. Hoc ſpatium bipartitum eſt.

A Chriſto nato uſque ad Carolum Magnum ſunt anni	800
A Carolo Magno, uſque in hunc annum currentem ſunt anni	858

Prius membrum, hoc pacto rurſum ſubdividi poteſt. A Chriſto nato, uſque ad Honorium (qui poſt mortem patris Theodoſii, cum fratre Arcadio diviſit imperium, hoc in Oriente, illo in Occidente, regnante) ſunt anni 395. Rurſus ab Honorio, uſque ad Momyllum Auguſtulum, in quo imperium Occidentis deſiit, ſunt anni 80. Denique à Momyllo Auguſtulo, uſque ad Carolum Magnum, Imperii in Occidente inſtauratorem, ſunt anni 325. Qui ſimul cum præcedent collecti efficiunt 800 annos. His ſi addantur 858. anni poſterioris membri, habetur præſens annus. 1658.

TABEL-

TABELLA CHRONOLOGICA.

	Rotundus intervallorũ numers	Anni mundi exacti	Anni fluentes	
A mundo condito uſque ad ad diluvium.	1656.		1657	
A diluvio uſque ad vocationem Abrahami.	367	2023	2024	
A vocatione uſque ad exitum ex Ægypto exacte numerando ſunt tantum 428. anni. At rotundus numerus in Sacris eſt expreſſus	430	2452	2453	
Ab exitu Iſraelitarum, uſque ad templum conditũ.	480	2932	2932	In hoc numero convenit Voſſio cum Vbbone Emmio, quia hæc duo tempora in medium anni inciderunt.
A condito uſque ad deſtruct. templi, exacte loquendo ſunt tantum 428.	430	3360	3360	
A deleto uſque ad Ariſtobulũ. exacte loquendo ſunt 485.	480	3845	3846	
Ab Ariſtobulo uſq; ad Chriſt. natum, exacte numerando ſunt 104.	100	3949	3950	
A Chriſto nato uſque ad Carolum Magnum.	800			
A Carol. Mag. uſque ad hæc temp.	858		1658	

Qui porro, in hoc ſtudio, cum fructu verſari cupit, adeat præter cæteros Vbbonem Emmium, in Chronologia Clariſ. Voſſio commendatiſſimum.

A Po-

APPENDIX DE IMPERIIS,

Quæ potiſsimum in Hiſtoriis celebrantur eodem Authore.

ANtiquiſſima & celeberrima olim fuerunt Chaldæorum, & Aſſyriorum imperia. Chaldæorum, ſeu Babylonicum imperium, caput habuit Babylona, cujus primus conditor fuit Nimrod. Aſſyriorum vero caput Ninive fuit, condita ab Aſſyre filio Semi, Noachi nepote. Hæc imperia ſæpe inter ſe concurrerunt; at tandem ſumma imperii pervenit ad Aſſyrios, quorum ultimus Rex fuit Sardanapalus; duravitque hoc imperium 1300. annis.

Poſt Aſſyrium ſucceſſit imperium Mediæ, cujus primus Rex fuit Arbaces, vel ut alii Arbactus; ultimus vero Aſtyages, avus Cyri. Habuit hic filiam Mandanem, quæ nepſit cuidam ignobili Perſæ, ex quo connubio natus eſt Cyrus.

Poſt hoc, ſucceſſit imperium Perſicum, quod cœpit a Cyro, & deſiit in Dario Codomanno, quem devicit Alexander Magnus.

Poſt

Poſt Perſicum, incepit imperium Græcorum quod ab Alexandro Magno initium duxit, & aliquamdiu ab ejus ducibus adminiſtratum eſt, donec imperium Alexandri à ducibus divideretur.

Atque hæc ſunt quatuor illa hiſtoriis celebrata Orientis imperia.

Poſtea, defuncto Alexandro M. Imperium Alexandri à ducibus in quatuor regna diviſum eſt; In Macedonicum, Syriacum, Ægyptiacum, & Pergamenum.

Macedonicum cœpit ab Antipatro, & in Perſe deſiit.

Syriacum, à Selenco Nicanore cœpit, & in Tigrane deſiit; quem Pompeus devicit.

Ægyptiacum, à Ptolomæo lagi filio cœpit, & in Cleopatra Antonii amaſia deſiit: quam Auguſtus Cæſar apud Actium vicit.

Pergamenum, vel ut alii, Attalicum, vel Mithridaticum, ab Eumene cœpit, & in Attalo deſiit. Alii malunt hanc laudem Ponticis regionibus tribuere, & dicunt fuiſſe imperium Ponticarum Regionum. Cœpit à Lycimacho, & in Attallo, ſeu Chithadate deſiit; qui à Pompeio etiam devictus fuit.

Poſt hæc, ſucceſſit Imperium Romanorum: quod dividitur in pueritiam, adoleſ-

leſcentiam, ἀκμὴν ſive virilem ætatem, & ſenectutem.

Pueritia ſub ſeptem regibus fuit, uſque ad Reges exactos. Tum Imperium Romanorum tantum patebat ad 15 vel 17 miliaria Italica.

Adoleſcentia cœpit à regibus exactis, & duravit uſque ad primum bellum Punicum. Tum temporis tota Italia ceſſerat Romanis.

Ἀκμὴ ſive virilis ætas cœpit à primo bello Punico, & duravit uſque ad ultima tempora Auguſti.

Senectus cœpit à morte Auguſti, & duravit uſque ad Momyllum Auguſtulum. Quo devicto ab Odoacro, finis Imperii fuit in Occidente, neque amplius Cæſares fuerunt dicti Imperii Romani moderatores, uſque ad Carolum Magnum, qui tandem hoc nomen reſumſit poſt 324 annos. Manetque adhuc hodie ad Ferdinandum uſque.

DISSER-

DISSERTATIO PARTICULARIS.

DE

Ratione,& ordine, univerſam legendi Hiſtoriam.

QUI animum ad Hiſtoriam appellere volet, optimè auſpicabitur à generali notitia omnium locorum, ac temporum. Ac propterea primum è generali aliquâ totius orbis tabulâ addiſcet præcipuas mundi partes, & quibus limitibus hæc diſtinguantur. Hinc ſeorſim generales Europæ, Aſiæ, Africæ, atque Americæ, tabulas contuebitur, ut inde cognoſcat præcipuarum regionum ſitum. Adde his typum veteris imperii Romani. Ab hiſce veniendum ab tabulas particulares regionum de quibus præcipuæ tractant hiſtoriæ: ut Palæſtinæ & vicinarum regionum, ob hiſtoriam ſacram. Item Italiæ, Græciæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ.

Vetus ſitus optime cognoſcetur ex tabulis Ptolemaicis à Mercatore concinnatis. Utile etiam eſt ad manum ſemper eſſe Onomaſticon, ſive ut ipſe inſcripſit, Theſau-

ſaurum Geographicum Ortelii. Breviter ex antiquis orbem deſcripſere Mela, Plinius, Solinus, Dionyſius. E junioribus Glareanus, & Cluverius.

Fusè, & graviter de omnibus olim Stabo, quatenus quidem orbis tunc cognitus erat: ſed partim ut recens ſimul ſitus addiſcatur, partim quod ſuperiori ſeculo, novis terris inventis, Geographiæ acceſſit, operæ ſit addere, Geographica Bertii, & Ortelii Theſaurum orbis terrarum; aut Atlantem Mercatoris.

Ubi quis ex ſex, ſeptem tabulis, & compendio aliquo Geographico mediocrem ſibi notitiam paravit, nobilium terrarum, & præcipuarùm in iis urbium, pari ratione ex canone aliquo Geographico addiſcere opus erit generalem ævi omnis deſcriptionem. Ubi conducent duò canones illi Chronologici Ubbonis Emmii, quos compendioſos, & ſuccinctos appellat, ac pleniori, fuſiorìque ſuæ Chronologiæ præmiſit.

Multum tamen lucis acceſſerit, ſi diſtincte omnia tempora quatuor tabulis proponantur. Quarum *Prima* continet res Hebræorum ab orbe condito, uſque ad excidium Hieroſolymitanum. *Altera* complectitur res Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, & Græcorum. Ex quibus Aſſyriæ in-

incipiunt à Nino: Medicæ ab Arbace, Perſicæ à Cyro, & Græcæ, prout hic conſiderantur, ab Alexandro Magno: deſinunt autem in Cleopatrâ ab Auguſto devictâ. *Tertia* tabula continet res Romanas ab Romulo, uſque ad diviſum imperium inter filios Theodoſii; vel uſque ad Romam, ab Odoacro captam. *Quarta* proponit Orientis imperium, uſque ad captam Conſtantinopolin: inde imperium Occidentis, uſque ad noſtra tempora. Plenius hæc repræſentabunt Zonaræ, & Euſebii chronicon, cum appendicibus Hieronymi, Proſperi, Marcellini, & utriuſque Palmerii. Item chronologia Bucholceri, & Calviſii. Et chronicon à tribus illis, Carione, Melanchtone, & Peucero conſcriptum. Sed in annorum ratione ſequendi potius juniores, præſertim in annis mundi.

Vidimus de generali notitiâ omnium locorum, & temporum: deinde veniendum ad particularem: ac prout hiſtoria erit, ita ei præmitti debet notitia regionis, de qua hiſtoria ea tractat.

Non dubium autem quin in hiſtoriâ particulari incipiendum ſit à ſacra: ſive rebus Hebræorum, V. T. præſcriptis; & vita Chriſti, ac Apoſtolorum, de quibus in N. T. Hæc ſummatim comprehendit Sulpitius Severus, ac penè hiſtoriam ſacram

per-

perducit ad annum à Chriſto nato cccc. Cui addi non inutile eſt hiſtoriam eccleſiaſticam Pappi, & hiſtoriolas, quas in Chronologia ſua habet Abrahamus Bucholcerus. Hæc initiis ſufficient.

Poſtea verò utramque perficient hanc partem Joſephus, Euſebius, Socrates, Theodoretus, Evagrius. Item Anaſtaſiùs, Leutbrandus, Abbo, & Platina de vitis Pontificum. Sed fuſiſſime omnium Centuriatores Magdenburgenſes, & Baronius, cujus gemina extat epitome. Judicio vero non exiguo opus in Centuriatoribus. In Baronio etiam majori: quem interea negare non poſſumus, præclare meritum eſſe de antiquitate Eccleſiaſticâ.

Poſt cognitam Eccleſiæ hiſtoriam, quid turpius ignoremus, quam quæ vel noſtris, vel parentum, aut avorum, vel proavorum temporibus, partim terris contigerunt noſtris, partim vicinis? Hæc enim cum vulgo etiam cognita ſint, & in conviviis, ac circulis narrari ſoleant, omninò turpiter ſe homo dederit literatus, ſi iſta neſciat, quæ ſunt quaſi ante pedes. Batavo igitur neceſſe ſit ſcire, quo pacto comitatus Hollandiæ ad Burgundos, inde ad Auſtriacos, atque Hiſpanos provenerit. Item geſta Caroli V. initia tumultuum Belgicorum. Bellum quod tot annis du-

duravit, & quæ intereà temporis memoratu digniora, in Germaniâ, Galliâ, Britanniâ, & vicinis terris.

Nec noſſe ea magni erit laboris; qui à pueris etiam pleraque eorum à parentibus,& ſenibus audimus. Operæ nihilominus fuerit legere etiam hiſtoricum unum, alterum, qui breviter iſta ſint complexi, uti à nonnullis chronologis factum. Poſtea autem hæc fuſius diſcere licebit è Sleidano, Thuano, Cambdeno, Meterano, Borrio, & aliis.

Poſtquam res maximè memorabiles temporum noſtrorum,& ſeculi quod proximè anteceſſit, animo inſcripſerimus, accingemus nos ad gentium ſcriptores antiquos. Atque ex his primi legendi, qui res tractant Romanas: cujus rei ratio ſatis eſt aperta. Nam auſpicari ſtudia ſolemus à Cicerone, & aliis ſcriptoribus Latinis, qui abſque mediocri intelligentia hiſtoriæ Romanæ intelligi minimè poſſunt: ut in quibus paſſim Romuli, Numæ, Tarquinii, Camilli, & aliorum ducum Romanorum mentio fiat.

Summatim autem res eas cognoſcere licebit ex Floro, cum commentariis Stadii, Vellejo, Eutropio, Sex. Aurelio Victore, Rufo, Pomponio Læto, & Baptiſta Egnatio de principibus Romanis. Conducet

cet & Zonaras. Sed accuratius de iſtis quidem Livius, Salluſtius, Cæſar, Suetonius, Tacitus, Spartianus cum annexis hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptoribus; item Ammianus. E Græcis Dionyſius, Polybius, Plutarchus, Appianus, Herodianus, Dio, Xiphilinus, Procopius. Ex Iunioribus plurimum juvabunt Annales Steph. Pyghii.

A rebus Romanis veniendum ad res externas, h. e. Aſſyrias, Medicas, Perſicas, Græcas. De quibus ſummatim Iuſtinus, Corn. Nepos, & nonnihil etiam Velleius, atque Oroſius, & ubi hi deſinunt Zonaras. Plenius autem de omnibus Herodotus, Thucydides, Xenophon, Polybius, Diodorus Siculus, Plutarchus, Arrianus: & è Latinis Curtius in Alexandri geſtis.

Poſtremus locus eſt hiſtoriæ (ut cum Romanis loquar) Barbaricæ; h. e. gentium earum, partem quæ obtinent veteris imperii Romani, aut nunquam ſub eorum fuerunt ditione.

Hic primò quiſque ordietur ab antiquitatibus ſuæ gentis; ut Batavus à Batavis, de quibus Grotius; item Douza in annalibus: etiam Joannes de Leidis, & Beka: breviſſimè autem Barlandus.

Inde ad gentes alias ſe conferet, aut eas primum, quibuſcum nobis aut fœdus, aut bellum utile autem in quâvis gente erit

unum

unum aliquem ſeligere, qui potiſſimas in ejus gentis hiſtoria obtinere videatur. Ut in Gothicis Jornandem, in Longobardicis Paulum Diaconum: in Slævicis Helmoldum. Francicis Paulum Æmilium: in Hiſpanicis Marianam: in Scoticis Buchananum: in Flandricis Mejerum: in Burgundicis Heuterum: in Auſtriacis Lazium: in Saxonicis Crantzium: in Danicis Saxonem Grammaticum: in Boicis Aventinum: in Hungaricis Bonfinium; in Polonicis Cromerum: atque ita in aliis.

GERAR. JOAN. VOSSII De IMITATIONE, Cum Oratoria, tum præcipue Poëtica, Liber;

DEQUE RECITATIONE VETERUM.

CAP. I.

Argumentum operis: quid ſit imitatio, & an ea ſit neceſſaria.

1. §. COMPLURIBUS *libris, tum de facultatis Oratoriæ, tum de artis Poëticæ natura, ac præceptis, antehac vidimus. Sed inutilis omnis hic labor fuerit, niſi etiam ac-*

acceſſerit ille de uſu, ſive exercitatione eâ, cui animus, poſtquam præcepta hauſimus, applicari ſolet, ac debet. Hæc potiſſimùm in imitatione conſiſtit: per quam intelligo conformationem noſtri ad alterius exemplum, ut ejus ſimiles fiamus.

Magnus in eo veterum eſt conſenſus *, tribus eſſe opus ad comparandam eloquentiam; ſive eam, quæ eſt Oratorum, ſive illam Poëtarum. Eorum primum ſtatuunt naturam, quæ incipit; alterum artem, quæ dirigit; tertium verò uſum, qui perficit. Unde ſolum hunc artifices facere ait poëtarum ingenioſiſſimus †. Uſus verò nomine hic intelligitur omnis illa exercitatio, quæ artis præcepta conſequitur; quaque dicendi, vel carminis pangendi, firma quædam facilitas comparatur. Sic enim Fabius Latinè reddit, quod Græci ἕξιν vocant, ac vulgò in ſcholis, non quidem ex uſu veterum, attamen verbo ad verbum non incommodè expreſſo, *habitum* appellant. Verba ejus ſunt lib. x. c. 1. *Sed hæc eloquendi præcepta, cognitione ſunt neceſſaria, ita non ſatis ad vim dicendi valent; niſi illis firma quadam facilitas, qua apud Græcos ἕξις nominatur, acceſſerit.* Paulò

C pòſt

* *Ariſtoteles lib. 3. Rhetoric. c. 12. & apud Laert. in vita Ariſtot. item Plutarch. de lib. educand.*

† *Lib. 2. de Arte Amandi.*

pòſt vocat optimam, ac facillimam, faciendi aliquid rationem. Sic enim loquitur: *Eum*, * *qui res invenire*, *& diſponere ſciat*; *verba quoque & eligendi*, *& collocandi*, *rationem perceperit*; *inſtruamus*, *quâ ratione*, *quæ didicit*, *facere quàm optimè*, *& quàm facillimè*, *poſſit*. Ubi cauſſam ab eo afferri videmus, cur, cùm novem prioribus libris artis Rhetoricæ præcepta eſſet complexus; decimo aggrediatur ea, quæ ad uſum pertinerent. Qualis exercitatio ſtyli; quem Cicero quoque pro Rabirio vocat *magiſtrum optimum*: clareque primo de Oratore inquit, *magiſtrorum omnium præcepta ſuperare*. Atque eâdem mente *ſtylus dicendi opifex* eidem vocatur lib. 11. epiſt. xxv. ad Fabium Gallum. Pluràque de eo afferrem, niſi hoc alibi * feciſſem.

Fabii igitur exemplum ſequar: ac uti ille in Oratoria, ita in hac ipsâ quidem, ſed magis tamen in Poëtica, poſtquam de natura, ac conſtitutione, tum facultatis Oratoriæ, tum Poëticæ artis, utriuſque etiam præceptis, variis † egi libris: nunc ea perſequar, quæ pertinent ad uſum: quo nomine complector, tum imitationem e-

mi-

* *Libro de Natura, ac Conſtitutione Rhetorica cap.* 8.

† *Uno de Natura Rhetorica*, *quinque Partitionum Oratoriarum*. *ſex Inſtitutionum Oratoriarum*, *uno de Natura Poëtica*, *ac tribus Inſtitutionum Poëticarum libris*.

minentium virorum; tum etiam conatum meliorum, ſi conſequi liceat.

Imitationem appello operam, quâ nos componimus ad exemplum alterius, quò ſimiles reddamur. Ubi duo in imitatore diſtinguimus; officium, ac finem. Officium eſt, effingere ſe ad alterius naturam. Finis eſt, ſimilitudo ejus. Convenit verò Cornificius in primo ad Herennium; ubi imitatio eſſe dicitur, *quâ impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe.*

2. §. *De hac operâ, quâ alium exprimere, ejuſque ſimiles fieri ſtudemus, quatuor iſta veniunt in conſiderationem: an imitandi ſint priores; qui legendi ſint ad imitandum; quomodo iidem legendi: ac denique quomodo imitandi. De primo ita quorundam ſententia fert; nullius nos æmulos eſſe oportere: ſed ſuam cuique indolem ſequendam eſſe. Quam ſententiam fortaſſe probaremus, ſi tam feliciter ageretur cum omnibus, ut nullo indigerent doctore, ductoréque: nunc poſtquam vel duos, vel neminem, tam beatè naſci videmus; ut, nullo præeunte, per ſe ſatis conſpiciat, quid in quovis argumento, quâvis etiam parte ejus, tum rerum, tum ordinis, tum dictionis ratione, optimum fuerit: neutiquam eſt dubitandum, quin tutiùs, certiuſque, ad Poëtica*

facundiæ arcem perveniamus, ſi eos nobis proponamus duces, quorum nomina conſenſus ſeculorum Æternitati conſecravit.

Diſparis ſententiæ fuiſſe videtur Angelus Politianus: ſicut oſtendit epiſtola ejus ad Paullum Corteſium; quam legere eſt libro VIII. Sed enim abunde illi ſequenti epiſtolâ Corteſius occurrit. Ajebat Politianus, malle ſe hominem eſſe, quam ſimiam: de qua Ennii illud notum:

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Credo equidem: ſed enim non loquimur de ridicula illa, ac deformi imitatione: verùm nativâ, qualis eſt liberorum, qui referunt parentes: unde, Heſiodum *, Theocritum, & alios, ſecutus, poëta Venuſinus † ait:

Laudantur ſimili prole puerpera.

Ac Senecæ eſt epiſt. LXXXIV. ubi de ſtylo loquitur: *Similem eſſe te volo, quomodo filium, non quomodo imaginem.* Nec majoris eſt momenti, quòd multi ajunt, animum, vireſque ejus dejici, imò abjici, ſi aſſiduè alterius eſſe ſimiles ſtudeamus. Utrùm exiſtimem, alienis ſemper veſtigiis eſſe inſiſtendum, ſic ut nihil ipſi auſimus, poſtea rectiùs exponam. Nunc illud dixero,

* *In* ἔργοις † *In Encomia Ptolemai,* ‡ *Lib.* 4. *od.* 4.

ro, admiratione, & imitatione eorum, quos orbis ſtupet, non dejici mentes noſtras; ſed inflammari ad virtutem, & gloriam: quomodo Themiſtoclem Miltiadis trophæa quieſcere non ſinebant: &, ut Salluſtius * ait, *Q. Maximus, P. Scipio, præterea civitatis Romanæ præclari viri, ſoliti ita dicere, cùm majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi.* Verùm quid multis opus? Nonne Plato † putabat, nihil ſine exemplo, rectè, certò, aptèque fieri poſſe: ac propterea Deum ipſum in mundo hoc condendo mentis ſuæ ideam expreſſiſſe? Nonne & omnis ars eſt imitatrix naturæ? Unde Fabius lib. x. cap. 11. *Vt invenire primùm fuit, eſtque præcipuum: ſic ea, quæ bene inventa ſunt, utile ſequi. Atque omnis vitæ ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in aliis, facere ipſi velimus. Sic literarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur. Sic Muſici docentium, pictores opera priorum, ruſtici probatam experimento culturam, in exemplum intuentur. Omnis denique diſciplinæ initia ad propoſitum ſibi præſcriptum formari videmus.* Ubi cernimus mentionem etiam picturæ. At cui poëſis ſimilior eſt, quàm picturæ? At qui Appelles, pictorumque alii, priores ſequebantur; benèque

 ſe-

* *Præf. belli Iugurthini.* † *In Timeo: ubi & Proclus. madi.*

ſecum agi putabant, ſiquid addere poſſent magiſtrorum inventis. Qua de re abunde diximus libro de quatuor diſciplinis popularibus : ubi de Graphice, & pictorum hiſtoria, egimus. Sed ipſos etiam poëtas cogitemus. Homerus, etſi aliter Vellejo † traditum ſit, habuit non paucos, quorum veſtigiis inſiſteret: ut libro primo de Poëtis Græcis docemus. Homerum ſecuti non Epici ſolùm; ſed etiam Tragici: imò & Lyrici. Latini quoque hunc ducem ſectabantur: ut de Ennio conſtat, Homero altero, ſicut Horatius * vocat; quique ſomniavit ſemperflorentis Homeri ſpeciem, ex Acheronte venientem, ſibi narraſſe, ut anima ſua ſe inſinuâſſet priùs pavoni, ac deinde ex pavone tranſierit in Ennii corpus: quemadmodum eſt apud Lucretium lib. 1: ac Perſius quoque indicat hiſce verſibus.

Cor jubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides, Quinctus pavone ex Pythagoreo.

Videlicet, ſicut Cicero ait in Somnio Scipionis : *Fit ferè, ut cogitationes, ſermonéſque noſtri, pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius: de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare, & loqui.* Nec

† *Lib. 1.* * *Lib. 2. epiſt. ad Auguſtum.*

Nec Homerum tantummodo æmulatus; ſed etiam Nævium; quippe pauxillo antiquiorem. Unde Cicero in Bruto ſic Ennium alloquitur: *Nec verò tibi aliter videri debet qui à Nævio vel ſumſiſti multa, ſi fateris; vel, ſi negas, ſurripuiſti.* Plautus verò æmulatus Epicharmum: unde Horatio † dicitur

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Terentius expreſſit cùm Apollodorum, & Diphilum, tum inprimis Menandrum: unde eum *dimidiatum Menandrum* C. Jul. Cæſar appellat in epigrammate. De Horatio ait Cæſar Scaliger, * in odis eum maximam partem à Lyricis Græcis eſſe ſuffuratum. Mallem *ſumſiſſe* dixiſſet. Sane aliter de Marone loqui veritus eſſet. Qui tamen in Bucolicis ſecutus Theocritum, in Georgicis Heſiodum, in Æneide Homerum, in quarto ejus operis Apollonium; paſſim item Ennium, Lucretium, Latinorumque alios; ut oſtendit Macrobius in Saturnalium quincto, ſextoque. Parque ratio in facultate Oratoria. Cicero Demoſthenem ſibi inprimis propoſuit: unde & *Romanus Demoſthenes* dictus fuit; ut Plato *philoſophorum Homerus*; Philo, *alter Plato*

† *Lib.* 2. *epiſt. ad Auguſt.* * *Lib.* 5. *de re Poëtica cap.* 7.

Plato. Demoſthenes Thucydidem octies manu ſuâ deſcripſit, ut dicendo meliùs exprimeret, teſte Luciano*, & Procopio. Sunt nunc, qui divinis hiſce ingeniis ſe perſpicaciores putant. Neque ignoro, eos ſe tueri Plutarcho; qui imitatorem Timæum culpat in Niciæ, ac Dionis vitâ. Sed magnus ille vir, cauſſam ſuam egit; ut qui, vaſtâ rerum cognitione contentus, proprium ſectaretur ſcribendi genus. Et quem ille Timæum culpat, hunc valde extollit Cicero in Bruto, & libro de Oratore.

* *Lib.* πρὸς ἀπαίδευτον. *Vide plura de eo in Oratoriis noſtris Inſtitut. lib. 6. cap 6. ſect. 2.*

Cap. II.

Ad imitandum legi oportere eminentiſſimum, & aliquandiu ſolum; poſtea ſimillimum quemque; tandem etiam diſſimiles, ſed laude aliquâ conſpicuos. Nec ſemper in ſe optimum nobis deligendum ducem; ſed aliquando inferiorem, attamen ingenio noſtro magis convenientem.

1. §. Quod *ſi aliorum requiritur imitatio, conſequitur, eos eſſe legendos, vel audiendos nobis. Sed quæri video, utrùm audire, an legere, ſatius ſit. Quæ quæſtio plus adfert utilitatis in dramatis, præ-*

cipuè

cipuè comœdiis, vel tragœdiis, quàm reliquâ poëſi; quia mos recitandi carmina, ut poſtea dicetur, prope exolevit. In dramatis verò comparatum fere eſt, uti in dicendo. Vbi & lectio, & auditio, proprias habent laudes. Magis enim excitat viva vox: ſed certiùs judicat, qui legit.

Sic cenſet quoque Fabius Quinctilianus lib. x. c. 1: *Alia*, inquit, *legentes, alia audientes magis adjuvant. Excitat, qui dicit, ſpiritu ipſo; nec imagine & ambitu rerum, ſed rebus intendit. Vivunt enim, & moventur; excipimuſq; nova illa, velut naſcentia, cum favore, ac ſollicitudine.* Addit quædam alia in hanc mentem. Poſtea ſubjungit: *In lectione certius judicium, quod audienti frequenter, aut ſuus cuiq; favor, aut ille laudantium clamor, extorquet.* Præterea, ut mox ſequitur, *Lectio libera eſt, nec actionis impetu tranſcurrit: ſed repetere ſæpius licet, ſive dubites, ſive memoriæ affigere penitus velis* Quod bonum lectionis præ auditu non in utrâque modò eloquentia obtinet; ſed in ſtudiis univerſis.

2. §. *Nec ſatis eſt ſcire, eſſe aliquos legendos nobis. Nôſſe ultrà oportet, & qui legendi ſint, & quomodo legendi. De priori hactenus convenit, non debere nos pro exemplo nobis proponere, niſi eminentiſſimum quemque, Stulti enim eſt, ubi aliter poſſis, malle deteriorum eſſe ſimilem, quàm meliorum.*

De Oratoria teſtem habemus Plinium l.I.epiſt.V: *Eſt mihi cum Cicerone æmulatio; nec ſum contentus eloquentiâ ſeculi noſtri. Nam ſtultiſſimum credo, ad imitandum non optima quæque proponere.* Orator igitur qui fieri volet, Ciceronem adſumat ducem: de quo notum illud Fabii lib X.cap.I: *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit.* Imò etiam T. Livius Patavinus, ut ibidem Fabius auctor eſt, in epiſtola ad filium ſcripſerat, *legendos Demoſthenem, atque Ciceronem: tum ita ut quiſque eſſet Demoſtheni, & Ciceroni, ſimillimus.* Quorum Demoſthenes (iterum cum Fabio loquar) *ex magna parte Ciceronem, quantus eſt, fecit.* Cicerone autem haut meliorem linguæ Latinæ cenſorem, dicet quiſpiam. Abſque hoc foret, Terentius Varro, & Julius Cæſar (ille Romanorum omnium doctiſſimus, hic non inferior eo futurus, niſi maluiſſet ſuæ gentis eſſe fortiſſimus) non eum arbitrum elegiſſent, cùm uterque de Lingua ſcriberet Latina; prior de Etymologia, de Analogia alter. Et quàm præclarum de cæleſtiſſimo hoc ore, ut de eo Vellejus loquitur, elogium habemus apud Plin. lib. VII. cap. XXX! Cujuſmodi antiquitatis totius judicia ſi velim congerere, quanta ſeges fiat! Et tamen nec ſeculo noſtro quædam allatrare eum deſinunt cani-

niculæ. Præ eo commendant juventuti illos, qui aliquo loco fuere, poſtquam multum jam degeneraverat ſermo Romanus: &, quod non paullo indignius, quoſdam noſtri temporis, qui ſæpe ne Latinè quidem loquantur. Ab his ſcilicet ſapere diſcet adoleſcentia. Quæ potiùs fidem habere debet conſilio, quod dixi, T. Livii. Nec enim aurea Auguſti ætas, qua vixit; vel terſa adeò dictio, qua ſcripſit; & prædicata omnibus retro ſeculis magnitudo ejus viri, ac virtus; dubium relinquunt, quin & potuerit, & voluerit, optimè conſultum ire filio, pignori cariſſimo.

Similiter in Poëtica imitabimur optimos: imò optima in optimis. In Epico igitur carmine exemplum inprimis capiemus de Homero, vel Marone; in Lyrico, de Pindaro, vel Horatio: in comœdia imitabimur Ariſtophanem, Plautum, Terentium: in tragœdiâ Latinâ veſtigiis inſiſtemus Senecæ: in Græcâ, Æſchyli, Sophoclis, Euripidis. Omnino autem Græcos potiùs æmulabimur, quàm Latinos: atque è Græcis non tam Æſchylum, quàm Sophoclem, & Euripidem: quorum ille ſublimior dictione, hic affectus magis cier. Fortaſſe haberent Latini, quos opponerent, ſi Vari Thyeſtes, aut Ovidii Medea exſtarent: de quibus veterum judicia at-

tulimus Poëticarum Inſtitutionum lib. II, cap. XIV. §. 20. Nunc nihil ſupereſt eorum, quæ aureâ Auguſti ætate ſcripta ſint; ſed ſolùm habemus, quæ facta jam declinante ſimplici candore ſermonis Romani. Ut mirum non ſit, ſi redoleant, paucis exceptis, declamatorum ambitionem. Nam quid ſanè Hercules OEteus ad Sophoclis Trachinias, etſi idem ſit argumentum? Imò in pleriſque aliis etiam poëmatum generibus potiùs nobis proponemus Græcos. Latinorum enim vita ferè ſeverior erat; eòque & ſermo incultior. Græci magis voluptates ſectabantur; ex quibus naſcuntur ſermonis deliciæ.

3. §. *Sed non exiguus eorum numerus eſt, qui in dicendo, vel carmine, inſignem ſibi laudem peperunt. Porrò igitur diſceptatio eſt, utrùm unus, an pauci, vel multi, aut etiam permulti, imò omnes, qui in aliquo ſint honore, æmulandi ſint nobis. A multis exordium capere velle, (ac magis permultis, vel omnibus) certa eſt omnis eloquentiæ peſtis. Hoc enim pacto manifeſtum incurrimus periculum exprimendi neminem: quando vaga illa, & inſtabilis multorum lectio, non ſinit nos ſcriptorem quemquam reddere nobis familiarem, ejuſque virtutes penitiùs introſpicere.*

Ut

Ut hîc quoque locum habeat illud L. Senecæ epiſt. 11: *Certis ingeniis immorari, & innutriri oportet, ſi velit aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt qui ubique eſt. In peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant; ſed omnia curſim, & properantes tranſmittunt.*

Quæ deinceps non una ſimilitudine pluribus illuſtrat. Vide & initium epiſtolæ XLV.

4. §. *Preterea ſi initio, ſtylo, judicioque necdum firmato, promiſcuè tam multos, ac indolis planè diverſæ, nobis imitandos proponimus; aliter fieri non poſſit, quin, ubi ad ſcriptionem deventum erit, nunc uberi utamur oratione, nunc jejunâ, atque aridâ; nunc item cultâ, ac politâ; nunc horridâ, ſqualidâque; ut cæteras dicendi formas prætercam.*

Proinde tot, & tam varia ingenia in unum conflando, quomodo non exſurgat prodigioſum aliquid monſtrum, videlicet, quale initio Artis ſuæ depingit Horatius.

4. §. *Conſequitur egitur, ut vel unus ſit imitandus, vel pauci. Summos viros, qui hac parte diſcrepare videntur, cenſeo facilè conciliari. Primò enim delegendus eſt unus; iſque optimus, & eminentiſſimus.*

Vbi

Vbi verò aliquamdiu eum verſavimus, alios etiam reddemus nobis perfamiliares; ſed conceptibus, ac dictione, quàm ſimillimos: & ſic, ut non eo principem illum deponamus de manibus; ſed pergamus eum vertere in ſanguinem, & ſuccum.

Quinctilianus lib. x. cap. I: *Ac* DIU *optimus quiſque, & qui credentem ſibi minimè fallat, legendus eſt.*

6. § *Poſtquam verò, & principis illius, & ei ſimillimorum lectione, ſubactius erit judicium noſtrum; utiliter etiam ſociabimus eos, qui, ſi non in primis, vel etiam ſecundis, ſaltem in tertiis, vel ulteriùs etiam, conſiſtant. Vtcumque enim illi inter eos, qui laudem meruere, majoribus, ac pluribus, vincantur à primis, & proximis; habent tamen illi quoque aliquid, quo principes exſuperent. Quid igitur impedit, quò minùs horum etiam laudes ſtudeamus ſuperaddere? Sic enim propiùs aberimus ab ea perfectione, ad quam adſpiramus.*

Nec enim adeò feliciter agitur cum rebus humanis, ut uni omnia indulſerit natura. Verè M. Seneca præfat. lib IV. epitom. *Magna & varia res eſt, tum doctrina, tum eloquentia: nec alterutra adhuc ulli ſe totam induiſit. Satis felix eſt, qui in aliquam ejus partem eſt receptus.* Exemplum igitur aliud eſt perpetuum; ut Oratori Cicero,

&

& huic ſimilimus quiſque: aliud arceſſitum: quando idem opem petit ab hiſtoricis, interdum & poëtis.

7. §. *Quæ hactenus diximus, de iis intelligi volo, qui pares ſint futuri, ſi cum ſummis contendunt. Sed enim quis ignorat, diſparibus adeò ingeniis, non omnia omnes poſſe, utcumque par fuerit induſtria?*

Nam ut non quævis calciamenta cuivis conveniunt pedi; ita non cuivis datum eſt quidvis imitari.

8. §. *Quare primò videndum, quò ingenium trahat vel ducat.*

Siquidem, ut poëta ait Sulmonenſis,

Naturæ ſequimur ſemina quiſque ſuæ.

Unde eſt, quòd ferè ſic fieri videmus, ut, qui naturâ ſunt lenes, & moderati, quodvis argumentum leniter tractent: alii, naturâ graves, ac ſublimes, etiam humilia, contrà rei naturam, magnificè exponant: alii denique, ingenio humili, ne quidem ſe attollant, ſi de rebus ſublimibus ſit ſermo. At quanto aliter Cicero, Maro, cæteri, qui rebus dictionem accommodant! Quare videndum cuique, quid naturæ congruat: ut etiam monitum Apollonio, epiſtolâ ad Scopelianum Rhetorem.

9. §. *Quòd ſi primò id neſcivimus nos, tentando ſaltem diſcamus, quid ingenium valeat. Et ſi nec nobis, nec ſapientibus ſatisfa-* ci-

cimus, excuſſo onere ſuſcepto, in argumento alio, quam quærimus laudem, prudentiùs ſectemur.

Videlicet, ſicut plurimùm conducibilius eſt, ſuæ ducere ſortis uxorem, ex illo Pittaci præcepto*, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα †; quàm conjugem adſciſcere vel opulentiorem, vel majori genere prognatam: ſic non rarò præſtat, honore eſſe eo contentum, quem aſſequi valemus, quàm & minori hoc excidere, & fruſtrari majori illo, quem ſtultè ſperabamus.

10. §. *Neque hoc ſic accipi velim, quaſi facilè deſperare oporteat de ſummis. Aliquam multi enim, qui primò ſibi impares videbantur, ubi tentando magis vires ſuas didicerunt, eò pervenere, quò nunquam putâſſent.*

Ut igitur aliqui ſunt commonendi imbecillitatis ſuæ: ſic alii, ſuas ut diſcant vires. Pindarus, nimio fortaſſe ejus admiratori Horatio † uſus eſt ἀμίμητος*. Non ille quidem εὐμίμητος ‡: ſed ſatis fuerat dicere δυσμίμητον, ** Cur enim natura non potuerit poſtea producere, quod aſſecuta eſt in Pindaro? Itaque illis, qui humiliter nimis de ſe ſentiunt, in animo eſſe velim

iſtoc

* *Callimachus in Epigrammatis apud Laërtium in Pittaco.* † *Tu tibi ſum parem.* † *Lib. 4. od. 2.*
* *Inimitabilis.* ‡ *Imitatu facilis.* ** *Difficilis imitatu.*

iſtoc Cæſaris apud Salluſtium. ‡ : *Quocunque intenderis ingenium, valet.* Suffenis verò, & nimiis ingenii ſui admiratoribus, dictũ velim, quod olim in re aliâ monuit amandi magiſter †, fore, ut victores ſtent in arce Jovis; ſed ſi prudenter ament. Quod non fit ab iis, qui ſe ſemper neſciunt.

11, §. *Summa igitur eò redit; cùm non res ingenio, ſed ingenium rebus, debeat accommodari optimum quidem in ſe, & laudatiſſimum, pro exemplo eſſe deligendum; quoties imitaturi ingenium congruit cum ingenio ejus, quem velit imitari. Sin hoc ſit impar, ac diſſimile: alium potiùs aſſumendum, cujus veſtigiis inſiſtamus: non quaſi in ſe is optimus ſit; ſed quia contenti eſſe debeamus eorùm optimis, quibus convenit ingenium noſtrum.*

Videlicet alius dicitur *optimus abſolutione*; qualem animo magis concipere, quàm monſtrare datur: alius *optimus comparatione*; puta eorum, quos habemus. Inque his ipſis alius *in ſe optimus*; ut inter Poëtas Homerus, aut Maro: alius ratione virium noſtrarum: qui huic ille, alius alii, pro cujuſque indole.

Idcirco, cujus animus non in tantum aſſurgit, ut epopœjæ vel tragœdiæ, ſufficiat: videat, an non par eſſe poſſit comediæ,

‡ *In bello Catilinario.* † *Lib. 2. de Arte amandi.*

diæ, vel elegiæ, vel epigrammatis. Quippe in horum etiam ſingulis non deſunt boni duces. Hoc ſui examen etiam locum habet in ſoluta oratione. Nec enim qui idonei ſunt epiſtolis ſcribendis, vel dialogis, iidem pares ſint texendæ hiſtoriæ, vel condendis orationibus forenſibus, vel ducum concionibus ad exercitum. Ubi plurimùm requiritur vehemens, atque ardens dicendi genus. Ut contrà hiſtoria ferè gaudet mediocri charactere: epiſtolæ familiares, & dialogi philoſophici, tersâ quidem dictione, ſed tenui ſtylo, ac conciſo. Hoc non cogitant illi, qui ingenio, genioque ſuo argumentum quodvis metiuntur: in quo interdum quidem ab iis peccatur, qui, magnum aliquid ſemper ſpirantes, neſciunt animum etiam demittere in minutis: ſed ſæpius ab illis, qui, ob animum demiſſum, nunquam ſe attollentes, etiam in magnis ſunt humiles. Ut omnino conducat, priùs experimentũ capere leviorum; ne objici poſſit, quod Sylla * dicebat Mario, ſeptimùm conſulis filio: Ἐρέτην δεῖ πρῶτον γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν. *Remigem priùs eſſe oportet, quàm clavo admoveas manũ.* Cui adſidet ſenarius iſte Appulei, in deperdito opere de Republica †:

Qui celocem regere nequit, onerariam petit.

CAP

* *Plutarchus.* † *Apud Fulgentium Plantiadem in expoſit. ſerm. antiq. ad Chalcid.*

Cap. III.

Quo pacto ſint legendi, quos volumus imitari.

1. §. *E*Xposuimus, *qui legendi ſint, atque imitandi. Sequitur, quo modo legere eos oporteat ſcriptores; quos ſcribendo exprimere optamus. Tria hîc requirimus; amorem ejus, quem legimus; laboris in legendo conſtantiam; & eorum quæ legimus, meditationem.*

Primum antecedit lectionem, alterum comitatur, tertium conſequitur.

2. §. *Amor excitatur, ſi ſciamus, quis, & quantus ille ſit, qui exemplo eſt futurus. Ex amore eo naſcitur deſiderium, quo ſimiles evadere cupimus. Hoc deſiderio accendimur ad eos legendum.*

Videlicet hic ſe ratio habet ut in ſcita corporis forma; quæ conſpecta amorem ciet. Unde illud, ἐκ τοῦ ὁρᾷν τὸ ἐρᾷν*: & hoc Propertii†:

——— *Oculi ſunt in amore duces.*

Ut verò amor iſte eſt deſiderium fruitionis: ita hic amor, & æſtimatio ſcriptoris, alterum ex ſe gignit deſiderium, quò vel ſimiles fiamus, vel ſaltem non longè abeamus.

3. §. *Le-*

* *Ex Conſpectu naſcitur amor.* † *Lib.* 2. *cap.* 15.

3 §. *Legendi laborem non ſæpe, ac multùm, intermittere: ſed in eo conſtare nobis, debemus.*

Quæ duo etiam junxit Cicero deperdita oratione pro Scauro *: *Poſſe Virtutem ſine præſidio Fortunæ, quò contendiſſet,* LABORE, ET CONSTANTIA, *pervenire.* Unde & Chriſtophorus Plantinus, vir typographiâ ſuâ præclarè de ſtudiis meritus, notiſſimum illud ſymbolum ſuum deſum ſit.

4. §. *Ad hujus laboris conſtantiam requiritur, ut non contenti ſimus, ſemel legiſſe, ſed, ſicut agricolæ, laborem eum iteremus, ac tertiemus.*

Quintilianus lib. x. cap. 1: *Repetamus, & tractemus; & ut cibos manſos, ac prope liquefactos, demittimus, quò faciliùs digerantur; ita lectio non cruda, ſed multâ iteratione mollita, & velut confecta, memoriæ, imitationique; tradatur.* Ac mox: *Diu non niſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minime fallat, legendus eſt; ſed diligenter, ac penè ad ſcribendi ſollicitudinem: nec per partes modò ſcrutanda omnia: ſed perlectus liber utique ex integro reſumendus.*

5. §. *Imò ne illud quidem ſufficit, ut ſæpius aliquid legatur. Seriò, & attentè, hoc fieri oportet: ſic ut pedem figamus, ubi ambigimus; donec meditatione aſſequimur, quæ mens*

* *Apud Aſcon. Pedian.*

mens fuerit auctoris, & quomodo ad uſum quidque debeat transferri. Et ſane ſine ejuſmodi meditatione tam lectio eſt arida, quàm meditatio citra lectionem eſt erronea.

Omnino igitur lectio, & meditatio, arctiſſimo ſocietatis vinculo colligari debent. Mera enim lectio non penetrat in animum. Siquidem attentione opus eſt in legendo; & ubi legeris, meditatione, cur quidque dicatur, cur ſic potiùs, quàm aliter, & quomodo lecta ad res ſimiles poſſimus transferre. Sine iſtis, quod legitur, non ſatis intelligitur, & minutum illud, quod câpitur, eò quòd radice careat, non feret fructum. Imò facilè ejus ſubibit oblivio: quomodo, quæ non altè inhærent ſolo, ferè vento auferuntur. Ut mirandum non ſit, ſi ſæpe lectionis multi jugæ homines exigui ſint judicii, ac penè nullius. Nimirum hoc inde eſt, quia memoriam onerant: judicium non acuunt, vel exercent. Sed ut hac parte delinquunt complures librorum helluones; qui multa vorant, nulla concoquunt: ita in contrarium peccant, qui, alienis laboribus contemtis, aſſidui ſunt in meditando; & quia aliena neſciunt, quæ multis plurimùm partibus ſunt veriora, melioràque; ſua toties ſomnia amplectuntur pro oraculis.

6. §.

6.§. *Ad hujuſmodi vel lectionem, vel meditationem, ſunt inepti; qui non priùs vocum proprietatem tum ſimplicium, tum conjunctarum, didicerunt.*

Quomodo enim hæc præſtabit, qui ſcriptoris mentem non intelligit? Quem qui non capit, quo pacto eum poſſit imitari? Quamobrem de eorum ſtudiis deſperandum, qui, priuſquam tincti ſint literis, unde *eruditi* appellamur, ad eloquentiam, vel ſolutá, vel vinctam, animum applicarint.

7.§. *Cùmque meditatio non ad verba ſolùm ſe extendat: ſed ad conceptus ſcriptoris univerſos: quid manifeſtius, quàm verſandum eſſe animum, tum per ea, quæ inventionis ſunt, tum quæ diſpoſitionis, tum etiam elocutionis.*

In inventione attendimus ad argumentum fabulæ; inque eo tractando λόγȢς, ἤθη, πάθη. * In diſpoſitione, utrùm naturæ, vel temporis ordo ſervetur, an artis: & cur ordo unus alteri præferatur. In elocutione potiſſimùm ſpectamus ſermonis characterem; qui quodammodo ipſius hominis eſt character.

8.§. *Ubique verò conſideramus, à quo, qua in re, quo loco, quo tempore, quâ occaſione, unumquodque promatur. Multa quippe loco, & tempore ſuo, belle dicuntur; quæ vitioſa ſint, ſi alium in uſum detorſoris.*

* *Argumenta, mores, affectus.*

Hoc

Hoc non intelligunt, qui quidvis oblatum imitantur: quaſi ſatis ſit, aliquid inveniri apud ſcriptorem, qui omni exceptione ſit major; nec ſimul ſit conſiderandum, an non in uſûs ratione latum ſit diſcrimen.

9. §. *Poſtremo loco duo de lectione adjungam. Prius eſt, plurimùm referre in legendo, ut quàm emendatiſſimis codicibus utamur. Nec enim aliter fieri poteſt, quin ſi vitioſos ſequamur libros, vitioſa etiam ſit imitatio noſtra.*

Ut cùm Petrus Bembus uſurpat *multiſſimus*; deceptus editione Aſcenſianâ, quæ ad Atticum lib. XI. epiſt. II, *multiſſimus* habet pro *multis meis*. Quàm multi etiam ſe cum Cicerone loqui putant, cùm dicunt *fidem adhibere*, pro *credere*! Atqui in optimis quibuſque Ciceronis libris pro eo ſemper eſt *fidem habere*. At *fidem habere* longè aliâ ſignificatione uſurpat: nempe quomodo dicimus *adhibere induſtriam*. Sic fuere, qui Plautina crederent *manſiſterna*, & *procerritus*. At pro priori nunc in bonis omnibus libris eſt *naſiterna*. Nec *procerrito*, ſed duabus vocibus *pro cerrito*. Multa ejus generis adduximus in libris de Vitiis Sermonis.

10. §. *Alterum eſt, etſi juniores ſuâ laude non ſint privandi; in imitando tamen longè præferri veteres oportere: partim quia*

juniores non accedant ad laudem antiquorum: partim quia, ut pares eſſent, tamen tutiùs inſiſtatur veterum veſtigiis. Nam horum dictio eò recta eſt, quòd ita fuerint locuti: juniorum autem tum demum probatur, quando cum antiquis conſentiunt: vitioſa contrà eſt, ſi temere abeant.

Qui recentiorum lectione ſic gaudent, in ore habere ſolent illud Taciti, vel alterius, libro de cauſſis corruptæ eloquentiæ, *Vitio malignitatis humanæ vetera eſſe in laude, præſentia in faſtidio.* Laudant quoque illud Martialis lib.v. epigr. x.

Eſſe quid hoc dicã, vivis quòd fama negatur,
Et ſua quòd rarus ſecula lector amet?
Hi ſunt invidiæ nimirum, Regula, mores;
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.
Sic veterẽ ingrati Pompeji quærimus umbram:
Et laudant Catuli vilia templa ſenes.
Ennius eſt lectus, ſalvo tibi, Roma, Marone:
Et ſua riſerunt ſæcula Mæonidem.
Rara coronato plauſere theatra Menandro.
Nôrat Naſonem ſola Corinna ſuum.

Quæ cùm lego, planè cogito illud poëtæ:
Qui volet ingenio cedere, rarus erit.

Quamquam nunc non tam de ingeniis nobis eſt ſermo, quàm utriuſque eloquentiæ ſtudiis. Quibuſcum ſic comparatum eſt, ut de ſe Laberius * dicebat; ubi quid [illegible] ad

* *Apud Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 7.*

ad ſummum venerit claritatis gradum, ægrè conſiſtere, ac potiùs decidere, quam deſcendat. Imò, ut daremus, cunctis artibus, ac ſcientiis, eos plurimùm vinci; nihil ſanè id mirandum foret; quando optimos annos tanto cum labore cogimur impendere addiſcendæ linguæ Latinæ, ac Græcæ; quarum alterutram ſaltem illi cum lacte imbibebant. Et, ut rem in pauca conferam, inprimis nunc agimus de dictione, quæ purior numquam, quam Julii, & Auguſti ætate fuit. At Taciti, ac Martialis ævo, quos obtendunt, paullùm jam deflexerat ſermo Romanus. Jam quàm diſpar ratio eſt ævi noſtri! quo is Romæ, totâque deſiit Italia: ut non aliam habeamus ſcribendi normam, quàm veteres illos, præcipuè claſſicos ſcriptores.

CAP. IV.

De Modo imitandi alios.

1. §. *A Lectione tranſeo ad ſcriptionem: quæ cùm maximam partem in recta præſtantium ſcriptorum imitatione conſiſtat; ante omnia videndum nobis, quomodo, & quouſque, imitari alios conveniat. Modus imitationis eſt duplex: puerilis, & virilis. Priori ſolùm proponimus nobis exemplum in verbis, ſive ſim-*

plicibus, ſive conjunctis. Sed longè ulteriùs ſe virilis imitatio extendit. Nimirum corpus ipſum effingere oportet. Eòque aſſumendus eſt alterius ſpiritus, moreſque induendi. Quomodo futurum, ut ſimiles ſint conceptus; nec ab ſimili locutionis forma eos exprimamus.

Atque hæc ipſa non in Oratoriâ minùs, quàm Poëticâ, locum habent. Scitâ hoc ſimilitudine illuſtrat Dionyſius Longinus περὶ ὕψους: † ubi ait, ſicut vates ex antro Phœbi concipit ſpiritum, quo adflata vaticinatur: ſic qui præſtantes legunt ſcriptores, concipere ſpiritum ad ſimiliter ſcribendum. Ac video hac etiam ſimilitudine uſum eſſe Car. Sigonium orat. de Eloquentia, atque alios.

2. §. *Præterea imitandi modus alius eſt ſervilis, alius verò ingenuus. Servilis ille anxius, & moroſus, cùm quaſi ſuperſtitione quadam ab eo, quem imitandum nobis propoſuimus, ne tranſverſum quidem digitum diſcedere audemus.*

Talibus dicere cum Horatio * licet:

O imitatores, ſervum pecus! Vt mihi ſæpe
Bilem, ſæpe jocum veſtri movere tumultus!

Imò ſimiles videntur corniculæ Hora-

tia-

† *De ſublimi charactere.* * *Lib. 1. epiſt. 19. ad Mæcenatem.*

tianæ, riſum moventis, poſtquam grex avium venerat ſuas repetitum plumas.

3. §. *Ingenuam imitationem appello, quando non verbum verbo reddimus; ſed ſic aliena tractamus, ut non in alterius poſſeſſionem irruiſſe, ſed jure noſtro veniſſe credamur: quæque aliena ſunt, ob diſſimilem faciem, non pro alienis habeantur, ſed agnoſcantur pro noſtris.*

Unde Horatius in Arte:

Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem, patulumq; moraberis orbẽ;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres.

Quo loco non hoc negat, fidi eſſe interpretis verbum verbo reddere: ſed negat, poëtæ eſſe ſic imitari, ut verbum verbo reddat. Quippe ſicuti hoc in interprete laudatur; ita in oratore, vel poëtâ, nullam mereatur laudem. Ut omnino officia illorum plurimum diſcrepent. De hac immutatione eorum, quæ imitari propoſuimus, ſic Seneca ſcribit epiſtola LXXXV. *Apes debemus imitari, & quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus, ſeparare. Melius enim diſtincta ſervantur. Deinde adhibitâ ingenii noſtri cura, & facultate, in unum ſaporem varia illa libamenta confundere: ut etiamſi apparuerit unde ſit, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumtum eſt, appareat. Quod in corpore*

noſtro videmus, ſine ullâ operâ noſtrâ, facere naturam. Alimenta, quæ accepimus, quamdiu in ſuâ qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt. At cùm ex eo, quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præſtemus: ut, quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint. Ac paullò pòſt: *Hoc faciat animus noſter. Omnia, quibus eſt adjutus, abſcondat. Ipſum tandem oſtendat, quod effecit. Etiamſi alicujus in te comparebit ſimilitudo; ſimilem te eſſe volo, quomodo filium; non quomodo imaginem.* Quæ & chori poſtea ſimilitudine illuſtrat, *ubi ſingulorum latent voces, omnium apparent.*

4.§. *Eſt verò difficilis ſatis ratio faciendi ſua ex alienis, quoties ex uno aliquo illuſtri ſcriptore omnia petuntur. Periculum enim eſt, ne conſpicua nimium ſit imitatio; imò non tam imitatio, quàm plagium videatur. Quare hîc inprimis eſt opus, ut illis, quæ quis tractârit prior, alia addamus; alia demamus; quædam mutemus; pleriſque alium ordinem, colorem, aut habitum, inducamus.*

Nuſpiam igitur minùs ſuffecerit puerilis illa immutatio, verba ſolùm varians. Quâ nihil facilius verborum copiam adſecuto, ſive ex eodem poëta, ſive ex variarum

poë-

poëtarum συγκρίσει †. Proinde opus illâ maſculâ, ut dixi, imitatione; quâ & res mutamus, & aliter diſponimus; & quandoque etiam alium aſſumimus dicendi characterem: ut ſi unus ſcribat abundanter alter preſsè: magnificè unus, alter ſubtiliter; graviter unus, ac ſeverè, alter late, ac urbanè; concitatè unus, alter moderatè. Etiam quæ alter ſimpliciùs tractârit, ſplendidius reponere licet; dummodo non ſplendori operam demus, inſtar ſophiſtarum, omnia floſculis conſpergentium. Quod ſæpe non tam rem illuſtrat, quàm obſcurat; nec tam laudem, quàm odium parit: præſertim ſi tractemus ἠθικά, ἢ διανοητικά * In amatoriis enim, ac ſimilibus, pluſculum licet deliciis illis indulgere.

5. §. *Faciliùs proinde ex alienis noſtra faciemus, ſi non unum ſequamur: ſed plures. Quod ſimile erit, ac ſiquis, ex fontibus multis, rivum quempiam in animum derivet ſuum.*

Quemadmodum optimè monet Dionyſius Halicarnaſſenſis *. Idem hanc rem illuſtrat pulcherrimo Zeuxidos exemplo: quod à Tullio quoque refertur initio lib. II. de Inventione. Atque, ut ex Senecæ

† *Collatione.* * *Moralia, vel ad contemplationem mentis pertinentia.* * *Lib. de præcipuis ſcriptoribus Græcis.*

epiſtolis paullò antè dicebamus, exemplum etiam capere licet, non ex apibus modò, ſed etiam naturâ noſtrâ, tam varios cibos in ſanguinem, & ſuccum convertente. Abunde hæc ex Marone, Horatio, atque aliis dilucent: qui & æmulati ſunt priores, & æmulos ſuæ laudis nacti ſunt poſteros. Nec ea in poëtica ſolùm habent locum, ſed etiam Oratoriâ facultate: ubi exemplo nobis fuerit Cicero. Qui, ut de eo refert Quinctilianus lib. x, cap. 1. *cùm ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, videtur effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis.*

6. §. *Interim non omnia in ſummis etiam poëtis æmulari oportet. Quemadmodum enim Orator nunquam fuit, vel erit, quin perfectius aliquid animo concipi poſſit: ita nec Poëta ullus exſtitit, qui non humanitus aliquid patiatur: ut multis alibi† oſtendimus. Quare ea ſolùm imitari oportet quæ à præſtantiſſimis hominibus laudi ducuntur:*

Idem præcipit Quintilianus lib. x. c. 1. *Exactiſſimo judicio examinandum in ipſis, quos elegerimus, quid ſit, ad quod efficiendum nos comparemus. Nam in magnis quoque auctoribus incidant aliqua vitioſa, & à doctis, inter ipſos etiam, mutuò reprehenſa.* Præcedenti etiam capite idem dixerat: *Neque id ſta-*

† *Lib. 1. Inſtitut. Poët. c. 3.*

ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur; cùm Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus ipſe, videatur. Summi enim ſunt, homines tamen: acciditque iis, qui quicquid apud illos repererunt, dicendi legem putant, ut deteriora imitentur, (id enim eſt faciliùs) ac ſe abunde ſimiles putent, ſi vitia magnorum conſequantur. Nec prætericro, quod continuò ſubjungit: *Modeſtè tamen, & circumſpecto judicio, de tantis viris pronunciandum eſt; ne, quod pleriſque accidit, damnent, quæ non intelligunt: ac, ſi neceſſe eſt in alterutram errare partem; omnia eorum legentibus placere, quam multa diſplicere, maluerim.* Operæ me facturum puto, ſi hæc, de vitiis præſtantium etiam ſcriptorum fugiendis, aliquanto pleniùs exponam. Audivimus paullò antè Fabium dicentem, Ciceronis judicio dormitare interdum Demoſthenem. Atque idem Tullius * negat, nos in Thucydide imitari debere aſperam, & confragoſam dictionem: ac reprehendit eos, qui, cùm id facerent, germanos ſe Thucydidas putarent. Et quis excelſam

* *In Oratore ad brutum.*

Platonis dictionem non admiretur? Attamen acceſſero Dionyſio Halicarnaſſenſi: qui epiſtolâ ad Cn. Pompejum non pauca adfert, in quibus malim Demoſthenis eſſe ſimilior. Ac ne illud quidem laudo, quòd in dialogis ſuis diverſæ ætatis homines inducat loquentes: in quo malè præeuntem Platona malè ſecutus eſt Macrobius; manifeſto argumento, multùm referre, ut, qui imitari volet, virtutes à vitiis ſciat diſtinguere.

Ad poëtas etiam veniamus: Horum errores plurimos memoravimus libro primo Inſtitutionum Poëticarum cap. III. In quibus quis eos eſſe imitandos dicat, niſi cui ſic auctorum magnitudo præſtinxerit oculorum aciem, ut errores eſſe non videat? Quis enim temere nunc Homeri ſic veſtigiis inſiſtere paret, ut Deos inducat cum hominibus pugnantes, ac ab iiſdem vulneratos: vel fœdæ etiam libidini mancipatos tantopere, ut ſiqui hominum ita vitam componant ſuam, non ſues potiùs, quàm homines, imò quibuſvis etiam ſuppliciis digni, cenſeantur? Quantum item nomen Euripidis, divini viri! Nec propterea in moribus effingendis eum exprimere uſquequaque oportet. Sæpiuſcule in iſto peccat. Quid mirum, cùm res adeò ſit ardua? Jubent igitur in hoc potiùs

tiùs imitari Sophoclem. Non refragor. Sed tamen cùm cogito, quàm multas Euripidis tragœdias habeamus præ Sophocleis; non injuria aliquis dixerit, nihil mirandum eſſe, ſi in pluribus ſæpius, quàm paucioribus, fuerit peccatum. Atque hæc dè Græcis. Deinceps pauca etiam de Latinis dicam. Peccet in comœdiâ, qui æmulari volet frigidos Plauti ſales, & *τὸ ἀνοικονόμητον* *, quod in eo frequens. Nec in epigrammatis amem hiatus, vel crebras ſynalœphas Catulli. Neque in carmine epico ipſum ſequar Maronem, imperfecta relinquentem hemiſtichia. Hoc quoque imitandum ſibi exiſtimavit Aonius Palearius in lib. de Immortalitate Animorum. Sed non ſic præiverat hac parte Maro, quaſi id in laude poneret. Inde id potiùs profectum, quòd, morte præventus, non potuerit Æneida ex ſententia perficere. Etſi non valde repugnem, utcunque vita longè diuturnior obtigiſſet, interdum nihil fuiſſe mutaturum. Ut quandò, in medio quaſi curſu, ſic deſerit lectorem, ac ſi velit eum interquieſcere pauxillum, quò plenius illud conſideret, quod in animum deſcendere altiùs vellet. Ut cùm VI Æn. Anchiſes ad Cæſarem, ex poſteris ſuis naſciturum, ait:

* *Vitioſam œconomiam, ſive diſpoſitionem.*

Tuque prior, tu parce, genus qui ducis
Olympo,
Projice tela manu, ſanguis meus.

7. §. *In iis quæ non conveniat imitari, etiam reponimus obſcena, non ignari tamen, vix aliud eſſe, in quo multi veterum æquè ſe tueantur hac parte, quàm priorum exemplo.*

Sic Martialis utitur variorum exemplis præfat. lib. I: item exemplo Cæſaris Auguſti lib XI. epigr. XXI:

Cæſaris Auguſti laſcivos, livide, verſus
Sex lege, qui triſtis verba Latina legis.

Ubi verba Latina ſunt obſcena, & prætextata: ſimiliterque loquitur ſcriptor Ithyphallicus *. Etiam multorum ſe exemplo defendit Ovidius lib. II. Triſtium. Item Plinius lib. V. epiſt. III: *Facio nonnunquam verſiculos ſeveros parùm. Nec moleſtè fero, hanc eſſe de moribus meis exiſtimationem; ut, qui neſciunt talia doctiſſimos, graviſſimos, ſanctiſſimos homines ſcriptitâſſe, me ſcribere mirentur.* Ac poſtea: *An ego verear (neminem viventium, nequam in ſpeciem adulationis incidam, nominabo) ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, Cajum Calvum, Aſinium Pollionem, Marcum Meſſalam, Quinctum Hortenſium, Marcum Brutum, Lucium Syllam, Quinctum Catulum, Quin-*

* *Turnebus lib. 24. Adverſ. cap. 5.*

Quinctum Scævolam, Servium Sulpicium, Varronem, Torquatum, (imò Torquatos) C. Memmium, Lentulum Gætulicum, Annæum Senecam, Luccejum, & proxime Virginium Rufum, &, ſi non ſufficiunt exempla privata divum Iulium, divum Auguſtum, divum Nervam, Titum Cæſarem. Neronem enim tranſeo, quamvis ſciam non corrumpi in deterius, quæ aliquando etiam à malis; ſed honeſta manere, quæ ſæpius à bonis fiunt: inter quos vel præcipue numerandus P. Virgilius, Cornelius Nepos, & prius Ennius, Attiuſque. Non quidem hi Senatores. Sed ſanctitas morum non diſtat ordinibus. Vides, quàm multos congeſſerit, ut ſe tueatur exemplo. Quo & ſe defendit lib. IV. epiſt. XIV. Itidem multos advocant Appulejus in Apologia, & Auſonius in præfatione Centonis. Sed malè præeuntes malè aliquis ſequatur. Si, ut Chriſtus docet*, de otioſo etiam verbo reddenda eſt ratio: quanto magis de obſceno, ac moribus noxio! Obſcena verò, quamcunque bellè dicantur, quid ſunt, niſi *mella venenum tegentia*? ut vocat Lactantius lib. V. Divin. Inſtitut. Bellè Auguſtinus lib. I. Confeſſ. cap. XVI: *Non accuſo verba, quaſi vaſa electa, atque precioſa; ſed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus; & niſi bibe-*

* *Matth. 12. 36.*

remus, cadebamur; nec appellare ad aliquem judicem ſobrium licebat. Imò gentiles quoque ejuſmodi ſcriptores ſpurcos damnârunt. Sic, ut Valerius Maximus refert lib. VI. cap. IV: *Lacedamonii libros Archilochi è civitate ſua exportari juſſerunt, quòd eorum parùm verecundam, ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum ſuorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quàm ingeniis prodeſſet.* Quantopere item Ovidius ipſe poëtarum iſtiuſmodi lectionem improbat in ſecundo de Remedio Amoris, ut adverſùs ſe cauſſam pronunciet, quando ſic queritur de exilio. Nam libri de Arte amandi altera erant cauſſa, cur ab Auguſto in Pontum fuerit relegatus. Plautus etiam laudat Captivos ſuos, quod abeſſent ſpurcidici verſus. Et poteram longè plurima id genus congerere. Malim adiri ea, quæ de legendis poëtis Plutarchus, & Baſilius tradiderunt. Nec ignoro, quid ſcripſerit Catullus †:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum; verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem,
Si ſint molliculi, ac parùm pudici.

Scilicet pietatem Catulli ſingularem cognoſcimus ex amoribus Lesbiæ, ſive Clodiæ potiùs; quæ P. Clodii ſoror erat, ini-

mici

† *Epigr.* 16.

mici Ciceronis; ac maritum habuit Q. Cæcilium Metellum Celerem, quem veneno necavit. De hoc etiam Ovidius in ſecundo Triſtium:

Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpe Catullo
Femina, cui falſum Lesbia nomen erat.
Nec contentus ea, multos vulgavit amores;
In quibus ipſe ſuum faſſus adulteriũ eſt.

Nec moror illud Ovidii*:

Vita verecunda eſt, Muſa jecoſa mea.

Vel hoc apud Martialẽ in primo Epigrã.

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Aut hoc Voconii tumulo adſcriptum:

Laſcivus verſu, mente pudicus erat.

Solonem potiùs audio, qui apud Laertium ait, τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων. *orationem factorum eſſe ſimulacrum.* Græcorum etiam parœmia erat; οἷος ὁ τρόπος τοιοῦτον εἶναι καὶ τὸν λόγον· καὶ πάλιν τὸ ἔργον ὡσαύτως. *Cujuſmodi ſunt mores, ejuſmodi quoque oratio. Ac rurſum, qualis oratio, tales mores.* Refert Ariſtides in ſecunda Rhetorices adverſus Platonem defenſione. Ac, ut parœmiam Græcorum, idem refert L. Seneca in xx ad Lucilium. Ut aliquem è junioribus quoque advocem Muretus verè in Juven.

Rarò moribus exprimit Catonem,
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

8. §. *Præterea cavendum, ne imitemur loquendi modos, qui ſapiant impias opinio-*

*Lib. 2. Triſt. aliquanto ante ea, quæ diximus.

nes. Quò refero etiam juramenti formulas, hercle, medius fidius & ſimiles. Item cùm animas noſtras dicunt de Deo, vel ſempiternus ignibus decerptas. Cujuſmodi elegantioribus ingeniis facile abblandiuntur: ſed periculum eſt, ne cum melle hauriatur venenum.

Imitari ſe ajunt Tullium, non uno loco ſic loquentem: item Horatium †, qui mentem appellat *divinæ particulam auræ*. Sed ea proferuntur ex mente Platonis: cui, ut Plutarchus etiam teſtatur in Quæſtionibus Platonicis, anima & Dei eſt opus, quia eſt à Deo: & pars, quia etiam fecerit ex ἐσίας * ſuâ. Chriſtiana verò religio non agnoſcit ulla Dei ἀποσπάσματα ** ἢ τμήματα, ἢ μόρια τῆς τοῦ παντὸς ψυχῆς. Multos tamen viros egregios videas hodie ſic loqui: non quia ſic ſentiant omnes; ſed ſæpius, quia non ſatis conſiderent, quid legant, vel ſcribant.

9. §. *Etiam, cùm priſcos imitamur, obſoleta commutabimus uſitatis.*

Obſoletis verò qui ſic gaudent, meritò comparantur feminis malaciâ, ſive picâ laborantibus: quales, cùm ſuppetant cibi boni, ac ſalubres, malunt tamen carbones, aliàque edula abſurdiſſima.

10. §.

† *Lib. 2. Sat.* * *Eſſentia.* ** *Delibramenta, ſive ramenta, ſegmenta & particulas animæ Univerſi.*

10. §. *Quandoque tamen tempora incidunt, quibus etiam ſit locus obſoletis. Vt ſi inducamus Deos loquentes, vel priſci temporis ſenes. Vel alias, ſi inde orationi accedat majeſtas. Adhæc in oratione auſterâ.*

Quâ de re abunde diximus lib. IV. Inſtitutionum Oratoriarum cap. I. ſect. VII.

11. §. *Nec ſolùm vitioſa eſt imitatio, ſi vitia ſectemur: ſed etiam male imitando non male dicta: ut ſi frequentemus, quæ rarò uſurpata vel probantur, vel feruntur.*

In utroque vitii genere peccabat L. Arruntius; de quo ſic L. Seneca epiſt. CXIV: *Quæ apud Salluſtium rara fuerunt, apud hunc crebra ſunt, & pæne continua, nec ſine causſâ. ille enim in hæc incidebat, ac hic illa quærebat. Vides autem quid ſequatur, ubi alicui vitium pro exemplo eſt. Dixit Salluſtius: Aquis hiemantibus. Arruntius in primo libro belli Punici ait, Repente hiemavit tempeſtas. Et alio loco: cùm dicere vellet, frigidum annum fuiſſe, ait, Totus hiemavit annus. Et alio loco, Inde ſexaginta onerarias, leves præter militem, & neceſſarios nautarum, hiemante Aquilone miſit. Non deſinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Salluſtius dicit: Inter arma civilia æqui boni famas petit. Arruntius non temperavit, quo minùs primo ſtatim libro poneret: Ingentes eſſe famas de Regulo.* Videar quidam Ciceronis imita-

tores, ne aliquando ſimilis poſſint criminis argui. Nam & aliqua ſunt apud Tullium rara. De quibus conſtaret magis, ſi exſtaret Chariſio bis * memoratus Statilii Maximi liber de ſingularibus apud Ciceronem.

11. §. *Vtrumque vitium Græci* * κακοζηλίαν vocant; *Latini* † malam affectationem.

Qualem imitationem comparare licet iſti, quam de ſimia narrat Ælianus lib. VII. de Animalibus cap. XXI. Ea, poſtquam viderat, quomodo nutrix puſionem faſciis evolveret, aquâ etiam in pelvi ablueret, conſpicata receſſiſſe nutricem, ac cæteros, per feneſtellam fortè apertam deſiliit ad infantulum, è cunis arripuit, faſciiſque explicitis, è cacabo igni appoſito tenerum corpuſculum perſudit aquâ; ſed ferventi. Quod non imitari erat, ſed occidere. Poſſis & κακοζήλους † illos conferre cum diſcipulis vel Platonis, κυρτότητα * ejus æmulantibus; vel Ariſtotelis, τραυλότητα †† magiſtri ſequentibus; ut de utriuſque auctor eſt Plutarchus lib. de audiendis poëtis: vel illis Porcii Latronis, cuminum edentibus, quò referrent præceptoris pallorem: ut ex Plinio cognoſcimus lib. XX. cap. XIV. De La-

* *Lib. 2. c. de Adverbio ex Comminiano.* * *Demetrius Phaler. de Elocutione, & Lucianus de Saltatione.* † *Quinctilianus l. 8, c. 3.* † *Imitatores malos.* * *Curvitatem.* †† *Balbutiem.*

Latronis verò pallore, teſtis etiam familiaris ejus M. Seneca Præf. lib. 1. Controv.

13. §. *Atque ex his cognoſcere fuit, non ſolùm, quomodo imitari conveniat; ſed ex parte etiam, quouſque id agendum. Nempe, ut de poſteriori nunc pauca ſuperaddam, ſic imitationem commendo, ut nec ab omnibus, nec ubique, nec ſemper requiram. Ac præſertim laxiores dedero habenas iis, quibus ingenium obtigit excellentius, & ætas, atque uſus, judicium firmavit. Qualibus audendum aliquid de ſuo. Nec enim ſtrenuè ſatis ſequitur, qui perpetuò aliena premit veſtigia. Et ſegnis eſt ingenii, duce ſemper indigere. Quanto pulchrius, cum iis, quos priùs ſequebamur duces, tandem contendere, bona ſpe, poſſe eos à nobis vinci, vel inveniendi acumine, vel οἰκονομίας felicitate, vel verborum elegantia, aut ſententiarum gravitate! Quomodo & priores exſuperabimus, & poſteros demerebimur, bona propria addendo priorum inventis.*

Exemplo fuerit Maro, qui multa felicius expreſſit, quàm illi, quos eſt ſecutus. Et, putò, idem diceremus de Horatio, ſi exſtarent tot Lyrici veteres. Item de Propertio, ſi haberemus Philetæ, & Callimachi elegias. Salluſtius quoque Thucydideæ æmulus brevitatis, eum in ſuis cecidit caſtris.

ſtris. Ac Marco Ciceroni ſimilem tribuit gloriam Quinctilianus lib. x. cap. I. Ubi cùm dixiſſet; eum effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis; poſtea ſubdit: *Nec verò, quod in quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt tantùm; ſed plurimas, vel potiùs omnes ex ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii beatiſſima ubertate.* Quare rectè idem Fabius cap. ſequenti: *Imitatio ipſa per ſe non ſufficit, vel quia pigri eſt ingenii, contentum eſſe iis, quæ ſunt ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt, ſi homines nihil, niſi quod jam cognoviſſent, faciendum ſibi, aut cogitandum, putaſſent? Nempe nihil fuiſſet inventum. Cur igitur nefas eſt reperiri aliquid à nobis, quod ante non fuerit?* Et poſt pauca: *Turpe illud eſt, contentum eſſe id conſequi, quod imiteris. Nam quid erat futurum, ſi nemo plus effeciſſet eo, quem ſequebatur. Nihil in poëtis ſupra Livium Andronicum, nihil in hiſtoriis ſupra Pontificum annales haberemus; ratibus adhuc navigaremus; non eſſet pictura, niſi quæ lineas modò extremas umbræ, quam corpora in Sole feciſſent, circumſcriberet. Ac, ſi omnia percenſeas, nulla ſit ars, qualis inventa eſt, nec intra initium ſtetit. Nihil enim creſcit ſolâ imitatione.* Scitè poſtea ſubdit: *Etiam, qui ſumma non appetunt, contendere potiùs, quam ſequi,*

qui, debent. Nam qui agit, ut prior ſit; forſitan etiam, ſi non tranſierit, æquabit. Eum verò nemo poteſt æquare, cujus veſtigiis ſibi utique inſiſtendum putat. Neceſſe eſt enim ſemper ſit poſterior, qui ſequitur. Fateri interea cogimur, perdifficile eſſe, etiam ingeniis felicibus, ſed modeſtis, perſuadere, ſe, modò contenderint, exſuperare poſſe Homerum, Sophoclem, Demoſthenem; vel Ciceronem, Maronem, Horatium, atque alios, quos in faſtigio alterutrius eloquentiæ conſtituit vetuſtas. Vident enim, (ut Vellejus ait) *eminentiſſima cujuſque profeſſionis ingenia in idem artari temporis congruens ſpatium.* Quomodo, ut poſtea ſubjungit, *Una, neque multorum annorum ſpatio diviſa ætas, per divini ſpiritus viros, Æſchylum, Sophoclem, Euripidem, illuſtravit tragœdias: una priſcam illam, & veterem, ſub Cratino, Ariſtophane, & Eupolide, comœdiam.* Atque idem poſtea de novis Comicis refert, deque philoſophis, nec non oratoribus, quos *adeò* ait *artari anguſtiis temporum, ut memoria dignus alter ab altero videri nemo quiverit.* Sed enim diceret Fabius, non ingeniorum culpâ factum eſſe, quòd poſterior ætas non tulerit prioribus pares, vel ſuperiores, ſed, ut omnia noſtra ſunt inſtabilia, ita cum hominibus mutari eorum ſtudia, ac conatus. Præterea clarum

rum eſt, nec Fabium omnia ab omnibus exigere: cùm ibidem præcipiat, ut quiſque in imitando conſideret, quid humeri valeant ſufferre. Nempe hujuſmodi ab iis ſolùm requirit, quos, ut ſic dicam, Apollo, ſive Mercurius, aut Muſæ, benevolis, atque amicis oculis adſpexerint naſcentes: ab eximiis videlicet ingenii dotibus inſtructis, non ex animis vulgaribus. Denique ſufficere illud debet, quòd Fabius ait; pulcra hac cum eminentiſſimis contentione illud proficiſci, quòd, ſi eos non vincamus, minimùm æquemus; vel ſi hoc etiam exciderimus, ſaltem non tanto abſimus intervallo, quàm ſi, deſperatione quâdam, contenti fuiſſemus ſemper ſequi.

CAP. V.

DE MEDITATIONE futuri operis, antequam ſcribere aggrediamur; inque ſcribendo curâ, atque induſtriâ.

1. §. *EXpoſuimus, quomodo, & quatenus ſit inſiſtendum veſtigiis eorum, quos elegimus nobis verborum, & conceptuum duces. Poſt hujus rei notitiam cogitare licebit de opere, quod molimur, Priuſquam tamen animum ad ſcribendum appellamus; ſedulò meditari oportet de forma, ac conſpectu operis futuri.*

Præ-

Præmeditationem hoc vocare poſſumus; quia naturâ, ac tempore, prævertat tum meditationem illam in ſcribendo, tum alteram in corrigendo. Ut triplex hic tempus in conſiderationem veniat: unum ante ſcriptionem, quando delineamus quæ ſcribemus: alterum in ſcribendo, cùm particulatim ſingula commentando exſequimur: tertium poſt ſcriptionem, quod emendationi inſumitur. Quam vero *Præmeditationem* dicebamus, ea Xenophonti, initio Κύρου παιδείας, ἔννοια; Ariſtoteli in Ethicis ἐννόησις vocatur. Eidem clarè ſic deſcribitur, μελέτη τοῦ νοῦ περὶ τοῦ ζητήματος. Quaſi dicas, meditatio, ſive accurata ejus cogitatio, de quo quæritur, ſive de quo acturi ſumus. Joannes Sturmius lib. de Imitatione appellat *commentationem*. Sed ea vox ambigua videtur, cùm nunc notet excogitare, invenire: nunc ſcribendo componere: quomodo & paullò antè capiebam. Interim prior ſignificatio eſt nativa: cùm à μένος, ſint *mens*, *reminiſcor*, *comminiſcor*, *commentor*, atque alia.

2. §. *Hanc præmeditationem eſſe neceſſariam, ſatis ex eo cognoſcitur, quòd nec omnes, nec ſemper, felices adeò ſimus, ut optima nobis primò veniant in mentem. Quare ne poſtea, multum jam opere provecto, nihil egerimus, ac, unâ omnibus liturâ deletis, deſi-*

deſiſtere ab inſtituto, vel novum ordiri laborem, cogamur: initio per omnia verſandus eſt animus, donec ſtatuere liceat, quomodo totum operis corpus formari, ac conſtrui, oporteat.

Similiter igitur hîc comparatum eſt, ac cum pictura: ubi, ſi in extimis corporis lineamentis fuerit peccatum; quicquid interiùs pingitur, vitioſum eſſe, neceſſe eſt. Ac par ratio eſt prudenter volentis ædificare. Primò enim animo concipit optimam ædificii formam. Subinde etiam ex argilla, aliâve rudi materiâ, qualecumque ſpecimen format; ut inde certiùs, exiguâque impensâ, de fabricâ, ſumtûs ſæpe ingentis, futurâ, poſſit judicare. Tum demum, pro ratione operis concepti, ligna, lapides, cæterâmque convehit materiem. Ac tandem fundamenta jacit, columnas erigit, cæteraque exſequitur. Hæc niſi ratio ineatur, quantæ poſtea & moleſtiæ erit, & ſumtûs, corrigere, quod fuerat peccatum! Optime hoc perſpexit Quintillianus, lib. x. cap. III. Verba adſcribi merentur: *Diverſum eſt huic eorum vitium, qui primo decurrere per materiam ſtylo quàm velociſſimo volunt; & ſequentes calorem, atque imperium, ex tempore ſcribunt (hanc* SYLVAM *vocant) repetunt deinde, & componunt, quæ effuderunt. Sed verba emendantur,*

tur, & numeri; manet in rebus temere congeſtis, quæ fuit, levitas. Protinus ergo adhibere curam rectius erit, atque ab initio ſic opus ducere, ut cælandum, non ex integro fabricandum ſit.

3. §. *Præmeditationem hanc operis univerſi excipit ſingularum partium cura. Qui labor non ſubitus, ac præceps; ſed tardus, ac cautus eſſe debet.*

Quod & ipſum non in Oratoriâ minùs, quàm Poëticâ, locum habet. Uti apud Ciceronem docet Craſſus lib. I. de Oratore: *Si*, inquit, *ſubitam, & fortuitam orationem, commentatio, & cogitatio facilè vincit; hanc ipſam profectò aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit*. Ac ſimiliter ibidem: *Etſi*, inquit, *utile eſt, etiam ſubitò ſæpe dicere: tamen illud utilius, ſumto ſpatio ad cogitandum, paratiùs, atque accuratiùs, dicere.*

4. §. *Inprimis verò longior hæc meditatio in initiis requiritur. Nam tardè ſcribendo conſequimur, at & bene, & citò ſcribamus. Sed citò ſcribendo multi bene ſcribendi facultatem perdiderunt.*

Hoc etiam in utrâque facundiâ habet locùm Fabius lib. x. cap. III.

5. §. *Interea, ſeu proſa, ſeu carmine, aliquid molimur; utile eſt, ut ſcribendi laborem lectione aliorum, imprimis ejus, cujus volumus eſſe ſimiles, diffindamus. Sic enim*

laſſi

laſſi ſcribendo, recreabimur legendo : & nova paſti alimonia novum hauriemus ſpiritum de alieno.

Seneca epiſt. LXXXIV: *Sunt lectiones, ut exiſtimo, neceſſariæ; primùm, ne ſim me uno contentus: deinde, ut cùm ab aliis quæſita cognovero, tum & de inventis judicem, & cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium, & ſtudio fatigatum, non ſine ſtudio tamen, reficit. Nec ſcribere tamen, nec tantùm legere debemus. altera res contriſtabit, & vires exhauriet, de ſtilo dico: altera ſolvet, ac diluet. Invicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum: ut, quicquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus.*

Cap. VI.

de Emendatione.

1.§ *Ab imitatione nunc ad eorum, quæ ſcripſimus, limam, atque emendationem, accedo. Quâ nihil utilius.*

Unde Fabius lib. x. cap. ix: *Emendatio, pars ſtudiorum longe utiliſſima. Neque enim ſine cauſsâ creditum eſt, ſtylum non minùs agere, cùm delet.*

2.§. *Atque hoc dictum volo, tum de iis, quæ ſolutâ, tum quæ vinctâ, ſcribimus oratione.*

Iſocrates etiam decennium Panegyrico impendit; Plato non deſiit decus, ac venuſta-

ſtatem, addere dialogis ſuis ad annum uſque octogeſimum. De utroque, præter alios, auctor nobis Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. de Collocatione verborum. An tam anxiâ curâ ſit opus, poſtea exponam. Sufficit nunc videre, quàm emendationi ſtuduerint veteres, etiam Oratores, ac philoſophi. Nec minùs exemplum capere eſt è poëtis, etiam Latinis, Auctor eſt Donatus, Virgilio hunc morem fuiſſe, ut horis matutinis plurimos ſcriberet verſus: horis verò pomeridianis, ubi calor ille deferbuiſſet, eoſdē incudi redderet, ac limaret: ac ſæpe ex centenis vix quaternos, aut ſenos reliquiſſe non aliqua ex parte immutatos: ac propterea dicere ſolere, ſe, urſæ in modum, fœtus edere informes, quos deinde lambendo informaret. Itaque ſeptennium corrigendis tribuiſſe Georgicis creditur. Ex eodem Donato cognoſcimus, propoſitum fuiſſe Maroni, proficiſci Athenas, ut ibi triennium limandæ Æneidi impenderet. Nondum ſibi ſatisfaciebat divinus animus; eoque, ubi mortem videt imminere, comburi Æneida poſcebat. Nec Ovidio Metamorphoſis ſua ſatis viſa eſt emendata: quo nomine queritur in Triſtium lib. I. & III. Itaque, in exilium iturus, eam decrêrat incendere: uti aliquot aliis libris factum; quemadmodum refert

ipſe lib. IV. Triſt. el. x. Sed de metamorphoſi fruſtra ita cogitabat, quia jam deſcripſerant amici.

3. § *Valde igitur eos ratio fugit, qui exiſtimant, ſatis eſſe, ſubitò multos effudiſſe verſus; atque hanc facilitatem appellant ingenii ubertatem.*

Abunde eos refellit Horatius lib. I. Sat. IV:

——— Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neque ſiquis ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Peccabat hac in parte Lucilius: de quo ſic idem Horatius *:

Nam fuit hoc vitioſus. in hora ſæpe ducentos.
Vt magnum, verſus. dictabat ſtans pede in uno.
Cùm flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger ſcribendi ferre laborem;
Scribendi rectè. nam ut multum, nil moror

Quotquot verò ſolâ ſcribendi facilitate ſpiritus ſumunt; ſimiles videntur Agatharcho pictori, de celeritate ſuâ in pingendo glorianti: cui Zeuxis ajebar, *diu ſe pingere, quia pingeret æternitati*: ut eſt apud Valerium.

* *Ibidem.*

rium. Ac alteri itidem ſe jactanti apud Apellem de tabulâ citiſſimè depicta: reſpondit nobiliſſimus pictor, opus ipſum monſtrare, eum verum dicere. Potiùs igitur imitandus Ariſtides †; qui Marco Imperatori roganti, quando eum eſſet auditurus, unum ſibi diem meditandi popoſcit; ac rationem hanc addicit: Οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων: *non ſumus è numero vomentium, ſed cum cura aliquid elaborantium.* Rectè Plutarchus in Pericle: Ἡ γὰρ ἐν τῷ ποιεῖν εὐχέρεια, καὶ ταχύτης, οὐκ ἐντίθησι βάρος ἔργῳ μόνιμον, οὐδὲ κάλλους ἀκρίβειαν· ὁ δ᾽ εἰς τὴν γένεσιν τῷ πόνῳ προσδανεισθεὶς χρόνος ἐν τῇ σωτηρίᾳ τοῦ γενομένου τὴν ἰσχὺν ἀποδίδωσιν. *Nam facilitas operis, ac celeritas, non addit illi ſolidum pondus, neque accuratam elegantiam. At ſi labor tempus longum quaſi fœneratò acceſſerit, robur naſcenti additur operi.*

Memini me illorum commonere commonere glorioſulum quendam, eâ parte peccantem, quòd, quæ ſubitò ſcripſiſſet, continuò ſineret in manus doctiſſimorum hominum venire. Ob oculos etiam ponebam, in quibus peccâſſet: Ille, magnâ ſui fiduciâ, unum hoc reſpondere, Quotuſque videbit hæc melius dici poſſe? Quid tum ego aliud facerem quàm ut reſponderem

† *Eunapius in proæreſio.*

rem illi verſibus Horatii* , qui fortè tum animo occurrebant.

Non quivis videt immodulata poëmata judex.
Et data Romanis venia eſt indigna poëtis :
Iccircóne vager , ſcribámque licenter ? an omnes
Viſuros peccata putem mea ? tutus. & intra
Spem veniæ cautus : vitavi denique culpam
Non laudem merui.

Dixeris, multum laudis meruiſſe Lucilium ; qui, ut antea ex Horatio vidimus, multos ſubito calore verſus, bonos, malos, effundebat ; nec eos revocabat ad incudem. Sed hac parte etiam pro me reſpondet idem Horatius †.

——— *Fuerit Lucilius. inquam,*
Comis, & urbanus, fuerit limatior idem,
*Quam ** rudis, & Græcis intacti carminis auctor,*
Quamq́ꝫ poëtarum ſeniorum turba. Sed ille,
Si foret hoc noſtrum fato delapſus in ævum,
Detereret ſibi multa ; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur ; & in verſu faciendo
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

All-

* *In Arte Poëtica.* † *Lib. 1. Sat. 10.* ** *Caſaub.* Quam Rudius Græcis i. e. a. *Nam ſatis conſtat, Ennium fuiſſe Rudium.*

Aliter animati pueris ſcribunt,& vulgo; non quæ iterum legi mereantur, vel vivere deinceps poſſint. Hoc quoque firmemus illo Horatii Sat. ult. libri primi.

Sæpe ſtilum vertas, iterum quæ digna legi ſunt
Scripturus; neque te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. an tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Concludam hoc ejuſdem monito,ſic Piſones compellantis:

Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

4. §. *Quemadmodum verò emendatione nihil utilius: ita nec eàdem difficilius quicquam.*

Polycletus pulchrè de arte ſuâ ajebat, χαλεπώτατον εἶναι τὸ ἔργον, ὅταν ἐν ὄνυχι ὁ πηλὸς γίνηται· *difficillimum eſſe opus, cùm in unguibus eſt lutum.*

Idem de poëſi dixeris. Unde Horatius:

Nec virtute foret, clariſve potentius armis,
Quàm lingua Latium, ſi non oſtenderet unum
Quemque poetarum lima labor, & mora.

Item Ovidius:

Corrigere at tanto res eſt magis ardua quanto
Magnus Ariſtarcho major Homerus erat.

Ubi mirum eſt, poëtam ingenioſiſſimum uſque adeò pugnantia dicere. Notum enim eſt, ab Ariſtarcho emendatos Homeri verſus: eòque ſi corrigere ſit majus, quàm ſcribere; majus ſanè videatur eſſe, quod Ariſtarchus egit, quàm quod Homerus, at ipſe id negat Ovidius. Quare de Ariſtarcho rectiùs ſiluiſſet. Reprehendit hoc nomine Ovidium Cæſar Scaliger in Hypercritico. Nec tamen deeſt prorſus, quod pro Naſone reſpondeam. Diſtinguere enim oportet emendationem poëtæ, ſuâ ad incudem revocatis; & illam Critici corrigentis, quæ librarii peccarunt. De priori loquitur Ovidius.

5. §. *Cúmque emendatione vel addamus, vel detrahamus, vel immutemus; tertium horum eſt omnium operoſiſſimum.*

Vocant Græci πρόσθεσιν, ἀφαίρεσιν, & ἀλλοίωσιν, ſive κατάλλαξιν. Primæ eſt locus, ſi quid deficiat: alteri, ſi ſuperſit: tertiæ, variis de cauſſis: ut ſi proprior præſtet μεταφορικὸν, quia ſit ἐμφατικώτερον *: vel ſiquid immutemus, ob ποικιλίαν †, quia voce aliquâ paullò etiam antè uſi ſimus: vel

* *Significantius.* † *Varietatem.*

vel propter εὐφωνίαν * quia dictio ſic jucundiùs accidat ad aures. Præter quas aliæ etiam ſunt commurandi cauſſæ. De iis ſic.

Fabius lib. x. cap. iv. de emendatione: *Hujus eſt adjicere, detrahere, mutare. Sed facilius in his, ſimpliciúſque judicium, quæ replenda, vel dejicienda ſunt: premere verò tumentia; humilia extollere, luxuriantia adſtringere, inordinata digerere, ſoluta componere, exultantia coërcere, duplicis operæ. Nam & demenda ſunt, quæ placuerant; & invenienda, quæ fugerant.* Rationem eam corrigendi Horatius docet his verbis †:

Vir bonus, & prudens, verſus reprehendet inertes.
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parùm claris lucem dare coget,
Arguet ambiguè dictum, mutanda notabit.

6. §. *Quod ſiquid non ſatisfaciat, nec melius occurrat: omittere illud ſatius eſt, & aliud cogitare, quod faciliùs expolire valeamus.*

Horat. de Quinctilio Varo, nobili poëta ‡:

Quinctilio ſiquid recitares, Corrige ſodes
Hoc, ajebat, & hoc: melius te poſſe negares,
Bis terque expertum fruſtra: delere jubebat,
Et malè tornatos incudi reddere verſus.

D 4 7. §.

* *Sonum ſuaviorem.* † *In Poët. Arte Amandi*
‡ *In Arte Poet.*

7. §. *Vt verò rectius conſpiciamus, quæ emendari oporteat: aggrediemur noſtra, velut aliena, atque id per intervalla.*

Fabius lib. x. cap. ii. *Nec dubium eſt optimum eſſe emendandi genus, ſi ſcripta in aliquod tempus reponantur, ut ad ea poſt intervallum, velut nova, atque aliena, redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, tanquam recentes fœtus blandiantur.*

8. §. *Et tamen modum etiam in corrigendo tenere oportet. Modus is tum in rebus, tum in tempore, conſideratur. Ratione rerum exigitur, ne, dum nunquam nobis ſatisfacimus, & poſterius quidque magis placet, recta etiam depravemus.*

De hoc ita Fabius lib. x. cap. IV. *Et ipſa emendatio finem habet. Sunt enim, qui ad omnia ſcripta, tanquam vitioſa, redeant: & quaſi nihil fas ſit rectum eſſe, quod primum eſt; melius exiſtiment, quicquid eſt aliud: idque faciunt, quoties librum in manus reſumſerint; ſimiles medicis etiam integra ſecantibus. Accidit itaque, ut cicatroſa ſint, & exanguia, & curâ pejora. Sit igitur aliquando quod placeat; ut opus poliat lima, non exterat.*

9. §. *Etiam temporis ratione peccatur: ut ab iis, qui nunquam ſciunt manum de tabula tollere, ac limam protrahunt in annum decimum, vel vitam univerſam.*

Qua

Qua de re ſic ibidem ſtatuit Fabius Quinctilianus: *Temporis quoque eſſe debet modus. Nam quod Cinnæ Smyrnam novem annis accepimus ſcriptam, & Panegyricum Iſocratis, qui parciſſimè, decem annis dicunt elaboratum; ad Oratorem nihil pertinet: cujus nullum erit, ſi tam tardum fuerit, auxilium.* Ubi quod de Oratore ait, aliquam multùm reſtringere oportet. Nec enim Cicero, optimus omnium patronus, claudicare auxilium ſuum ſinebat, ſi poſt habitam orationem eam corrigeret, priuſquam in manus hominum veniret. Primò quippe commentarios conficiebat; tum cauſſas agebat; hinc magnâ curâ orationes ſcribebat, & limabat. Quâ de re plura dicerem, niſi abunde hoc feciſſem in Oratoriis Inſtitutionibus lib. IV. cap. X. ſect. VI. Ad illud verò, quod Cinnæ Smyrnam annis ait novenis elaboratam, reſpexit quoque Horatius, quando ait *,

——— *Nonûmque prematur in annum.*

Multóque antè Catullus; cujus illud †:

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem
Quàm cœpta eſt, nonâmque edita poſt hyemen.

Sed magis id opus Grammaticis placuit, quàm poëtis. Curâ enim nimis anxia

E 5 fecit

* *In Arte Poetica.* † *Carm. 96.*

fecit obſcurum. Sed eruditis olim commentariis illuſtravit L. Craſſitius. Martialis * verò negat, ſe velle ſic ſcribere: atque optat ſua ut carmina

Grammaticis placeant, & ſine grammaticis.

* *Lib.* 10. *epig.* 21.

Cap. VII.

DE RECITATIONE.

1.§. *Quæ hactenus de emendatione attulimus, pertinent univerſa proprii ad judicii limam. Sed nulli ſecurè licet conquieſcere in judicio ſuo: quando, ut proverbio dicitur, alia aliis placent; ſed ſuum cuique pulcrum: ſcruta etiam ſcrutarius laudat; ac innumeri ſua amant ſine rivali.*

Quod & indicat hoc Catulli:

— Suus cuique attributus eſt error.
Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt.

Ubi ad notiſſimam Æſopi fabulam alluſit

2.§. *Atque iſtiuſmodi* φιλαυτία * *locum habet in omni genere ſcribendi ſive tractemus divina, ſive humana. Inque humanis non illa modò ſcientia naturalis, què pertinet quoque Medicina; ſed etiam ſcientia mo-*

-ra-

* *Nimius amor ſui.*

ralis, ac civilis; ad quam refertur Iuriſprudentia. Verùm nunc inprimis conſideramus Eloquentiam; quatenus in hiſce omnibus imò & iis, quæ ad vocabula attinent, tractandis elucet. Cùm verò gemina ſit Eloquentia; quarum una in proſâ oratione, altera verò in vincta conſiſtat: omnino in utraque exigitur, ut ne opinioni noſtræ nimium fideamus.

Φιλαυτίαν illam etiam habere locum in iis, qui ſibi Oratores, vel Hiſtorici videntur, teſtis eſt Lucianus libro de ſcribendâ Hiſtoriâ: ubi narrat, ut poſtquam bellum adverſus Armenios geri cœpit, quaſi è terrâ ſubitò enata ſit maxima hiſtoricorum ſeges, quorum nemo non ſibi inter hiſtoriæ principes locum ſuum tueri poſſe videretur. Οὐδεὶς ὅστις οὐχ ἱστορίαν συγγράφει. μᾶλλον δὲ Θουκυδίδαι, καὶ Ἡρόδοτοι, καὶ Ξενοφῶντες ἡμῖν ἅπαντες, καὶ ὡς ἔοικεν, ἀληθὲς ἄρ' ἦν ἐκεῖνο τὸ πόλεμος ἁπάντων πατήρ. εἴγε καὶ συγγραφέας τοσούτους ἀνέφυσεν, ὑπὸ μιᾷ τῇ πληγῇ. *Nullus nunc eſt qui non hiſtoriam ſcribat. Quin cuncti nobis facti ſunt Thucydides, Herodoti, ac Xenophontes: atque, ut apparet, verum eſt, quod vulgò dicitur, Bellum eſt omnium pater; quandoquidem tot nobis hiſtoriarum ſcriptores procreavit, idque una hac plaga.*

3. §. *Imprimis autem in carmine innumeros*

invaſit ſacer ille morbus (niſi is furor potiùs dici debet) ut ſe poëtas, & quidem optimos, putarent, qui in poëtarum hortis adhuc, quod dicitur, inter apia conſiſterent. De iſthoc audiamus Ciceronem lib. v. Tuſcul. Quæſt. *Adhuc neminem cognovi poëtam (& mihi fuit cum Aquino amicitia) qui ſibi non optimus videretur.* Aquini iſtius etiam meminit Catullus epigr. ad Calvum: ubi Cæſium ei jungit, & Suſenum: ac tales vocat.

Secli incommoda, peſſimos poëtas.

Nec relatu indignum, quod Lucianus narrat initio ejus libri, cujus proximè meminimus. Ait, ſub Lyſimacho rege contigiſſe Abderæ, (quæ Traciæ eſt civitas, Democriti patria) ut poſtquam Archelaus tragœdus in magno æſtu egiſſet Euripidis Andromedam; multi è theatro redierint febricitantes; mox urbs plena fuerit pallidis, & macilentis, qui verſus ex ea fabula recitarent, omneſque ad agendam tragœdiam impellerentur: duraſſeque hunc animi morbum, donec, ſuperveniente hieme, frigus deliria, ac nugas iſtas ſedaret. Subdit deinde, ut tum omnes ſibi viderentur poëtæ: ſic nunc omnes ſibi videri hiſtoricos; de quo antè dicebamus.

4. §. *Optima igitur ea veterum conſuetudo erat; quâ, licet ſibi ſcribendo, & emendo,*

jam ſatisfacerent; non propterea ſinerent ſua in omnium manus venire; ſed ea peritis, atque intelligentibus recitarent; quò priùs corrigerent, quæ his jure diſplicuiſſent.

Hunc recitandi finem fuiſſe, indicat Plinius lib. v. epiſt. III. ubi cùm de Artio, & Ennio, eſſet locutus, ſubjungit: *Recito tamen, quod illi an fecerint, neſcio etiam: ſed illi ſuo judicio poterant eſſe contenti: mihi modeſtior conſtantia eſt, quàm ut ſatis abſolutum putem, quod à me præbetur.* Varia deinde recitationis commoda recenſet. *Itaque,* inquit, *has recitationis cauſſas ſequor. Primùm quòd ipſe, qui recitat, aliquanto acriùs ſcriptis ſuis auditorum reverentia intendit. Deinde quòd, de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam à multis admonetur: & ſi non admoneatur, quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio: quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt. Atque adeò, ſi cui fortè eorum, qui interfuerunt, curæ fuerit eadem illa legere; intelliget, me quædam aut commutâſſe, aut præteriſſe; fortaſſe etiam ex ſuo judicio, quamvis ipſe nihil dixerit mihi.*

5. §. *Ambitioſuli verò alio fine recitabant: videlicet non tam emendandi gratiâ; quàm ut captarent inanem gloriam.*

Ta-

Tales damnat Tacitus, ſive quiſquis auctor ille dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ, ubi de Saleio Baſſo: *Et ut beatiſſimus recitationem ejus eventus proſequatur; omnis illa laus intra unum, aut alterum diem, velut in herba, & flore præcepta, ad nullam certam, & ſolidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam aut manſurum in animo cujuſquam beneficium, ſed clamorem vagum: & voces inanes, & gaudium volucre.* Hujuſmodi vanæ gloriæ aucupes nihil proficiunt, quia non ſuſtinent audire verum; inſtar illius, qui Martialem ſemper rogaret, ut ſibi verum diceret de libellis, quos recitâſſet. Scitè ei reſpondet poëta *:

Durum eſt me tibi, quod petis, negare.
Vero verius ergo quid ſit audi.
Verum, Gallice, non libenter audis.

6. §. *Quemadmodum autem erant, quis recitarent, ut laudarentur: ita & fuere, qui recitantes laudarent ſportula, vel cœna ergo.*

Unde Petronius in Satirico: *Multo me turpior es tu hercule, qui, ut foris cœnares, poëtam laudaſti.* Martialis lib. VI. in Pomponium:

Quod tam grande σοφῶς clamat tibi turba togata;
Non tu Pomponi; cœna diſerta tua eſt.

* *Lib. 8. ep. 76.*

Vide

Vide & lib. II. epigr. XXVII. Et præcipuè, quæ cap. VIII. de diſcernendis auditorum judiciis dicam. Hujuſmodi auditores, qui conducerentur, ut illud σοφῶς † acclamarent, & alterius laudes dicerent, ſcitè olim vocarunt tum σοφοκλεῖς, alluſione ad poëtæ tragici nomen; tum *laudicenos*, alluſione ad urbem Laodiceæ, quæ & *Laudicea*, ut laotomia, *lautumia*. Vide Plinium lib. VI. epiſt. XIV.

7. §. *Sapientis igitur non eſt advocare alios, quàm rei intelligentes, & verè candidos. Ac primùm quidem ſuffecerint duo, tres. Poſtea plures ſunto. Et, ut cuncta complectar, non videtur melior ratio, quàm quâ Plinius minor praivit.*

Pleniùs de hoc loquar cap. VIII. Nunc ſolùm audiamus Plinium lib. VII. epiſt. XVII: *Nullum emendandi genus omitto: ac primùm, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto: deinde duobus, aut tribus, lego: mox aliis trado annotanda; notáſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus, aut altero, penſito: noviſſimè pluribus recito; ac, ſiquid mihi credis, tunc acerrimè emendo: nam tanto diligentiùs, quanto ſollicitiùs, intendo. Optimè autem reverentia, pudor, metus, judicant.* Et aliquantò pòſt, cùm de tragico, Pomponico, ad populum provocante, eſſet locutus, iſta ſubjungit: *Tantum ille populo dabat. Rectè, an ſecus, nihil*

† *Sapienter.*

hil ad me. Ego enim non populum advocare; ſed certos, electóſque, ſoleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & tanquam ſingulos obſervam, & tanquam non ſingulos timeam.

8 §. *Recitatio hæc tam in ſoluta oratione, quàm vincta, obtinebat.*

De proſa videmus ex Catullo: cui, ad cœnam vocato, Sextius orationem ſuam legit adverſus Attium competitorem. Atque hactenus ex more Sextius fecit. Sed malè illud, quòd oratio, quàm prælegit, tam frigida erat, ut, eâ auditâ, Catullus magno frigore ſit correptus; imò, ſi poëtæ * ludenti credimus, neceſſe habuerit ſe recipere in villam ſuam, ſeu Sabinam, ſeu Tiburtem, ſaltem in confinio utriuſque conſtitutam, quo iſtic calorem, ac valetudinem priſtinam recuperaret. Audiamus etiam Plin. lib. VII. epiſt. XVII. *Miror, quod ſcribis, fuiſſe quoſdam, qui reprehenderent, quòd orationes omnino recitarem, niſi verò has ſolas non putant emendandas. A quibus libenter requiſierim, cur concedant (ſi concedunt tamen) hiſtoriam debere recitari; quæ non oſtentationi, ſed fidei, veritatique componitur.*

Sed de poëtis potius loquamur. Quanti & ingenii & nominis Ovidius fuit! Et ille tamen ex eorum ſententia, quibus recitâſ-

ſet,

* *Epigr. 45. ad fundum.*

ſet, ſi non continuò (ſubinde enim ſibi etiam in vitiis placebat) poſtea ſaltem, ubi meliùs penſiculâſſet, ſua corrigebat. Unde eſt, quod cùm prius in libris de Arte amandi ſcripſiſſet;

Egelidum Borean, egelidúmque Notum: nunc tamen, ex emendatione ipſius poëtæ, legatur;

Etiam plinius de hac conſuetudine ſic ſcribit lib. I. epiſt. XIII. quæ ad Soſium Senecionem: *Magnum proventum poëtarum annus hic attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Eſtque tota hoc de more epiſtola, & multorum ſimul deſidiâ ad audiendum. Idem l. VII. epiſt. XVIII. ait, Pomponium Secundum, poëtam tragicum, recitare ſua aliis ſolere. Ibidem etiam adverſus eos diſſerit, qui nollent orationes recitari; ac quærit, quare id magis probent in poëmatis. *Cur,* inquit, *concedunt debere recitari tragœdiam, quæ non auditorium, ſed ſcenam, & auditores; cur lyrica, quæ non lectorem, ſed chorum, & lyram, poſcunt. At horum recitatio uſu jam recepta eſt. num ergo culpandus eſt ille, qui cœpit?* Videmus hic de tragicis, & lyricis. At de comicis etiam, & elegis, & ſatyris, cognoſcere eſt ex juvenale Sat. I.

Sem-

hil ad me. Ego enim non populum advocare; ſed certos, electóſque, ſoleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & tanquam ſingulos obſervam; & tanquam non ſingulos timeam.

8 §. *Recitatio hæc tam in ſoluta oratione, quàm vincta, obtinebat.*

De proſa videmus ex Catullo: cui, ad cœnam vocato, Sextius orationem ſuam legit adverſùs Attium competitorem. Atque hactenus ex more Sextius fecit. Sed malè illud, quòd oratio, quàm prælegit, tam frigida erat, ut, eâ auditâ, Catullus magno frigore ſit correptus; imò, ſi poëtæ * ludenti credimus, neceſſe habuerit ſe recipere in villam ſuam, ſeu Sabinam, ſeu Tiburtem, ſaltem in confinio utriuſque conſtitutam, quo iſtic calorem, ac valetudinem priſtinam recuperaret. Audiamus etiam Plin. lib. VII. epiſt. XVII. *Miror, quod ſcribis, fuiſſe quoſdam, qui reprehenderent, quòd orationes omnino recitarem, niſi verò has ſolas non putant emendandas. A quibus libenter requiſierim, cur concedant (ſi concedunt tamen) hiſtoriam debere recitari; quæ non oſtentationi, ſed fidei, veritatique componitur.*

Sed de poëtis potius loquamur. Quanti & ingenii & nominis Ovidius fuit! Et ille tamen ex eorum ſententia, quibus recitâſ-

ſet,

* *Epigr. 45. ad fundum.*

ſet, ſi non continuò (ſubinde enim ſibi etiam in vitiis placebat) poſtea ſaltem, ubi meliùs penſiculâſſet, ſua corrigebat. Unde eſt, quod cùm prius in libris de Arte amandi ſcripſiſſet;

Egelidum Borean, egelidúmque Notum:
nunc tamen, ex emendatione ipſius poëtæ, legatur;

Etiam plinius de hac conſuetudine ſic ſcribit lib. I. epiſt. XIII. quæ ad Soſium Senecionem: *Magnum proventum poëtarum annus hic attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Eſtque tota hoc de more epiſtola, & multorum ſimul deſidiâ ad audiendum. Idem l. VII. epiſt. XVIII. ait, Pomponium Secundum, poëtam tragicum, recitare ſua aliis ſolere. Ibidem etiam adverſus eos diſſerit, qui nollent orationes recitari; ac quærit, quare id magis probent in poëmatis. *Cur*, inquit, *concedunt debere recitari tragœdiam, quæ non auditorium, ſed ſcenam, & auditores; cur lyrica, quæ non lectorem, ſed chorum, & lyram, poſcunt. At horum recitatio uſu jam recepta eſt. num ergo culpandus eſt ille, qui cœpit?* Videmus hic de tragicis, & lyricis. At de comicis etiam, & elegis, & ſatyris, cognoſcere eſt ex juvenale Sat. I.

Sem-

Semper ego auditor tantùm? nunquam ne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeïde Codri?
Impunè ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? impune diem conſumſerit ingens
Telephus? aut ſumni plena jã margine libri,
Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes?

Ubi Elegos aperte nominat: de Togatis pertinet ad Comicos: de Telepho & Oreſte, ad Tragicos: de Theſeide ad eoſdem, vel ad Epicos: ad Satyricos verò, quod ait, ſi alii tam variis poëmatis moleſtiam ſibi crearint, velle ſe nunc talionis pœnâ eos afficere, &, ſatyras ſuas recitando, viciſſim iis moleſtiam afferre.

9. §. *Multùm verò diſtat, utrùm ipſe recitet auctor, an alius. Vtrumque obtinuit: ſed poſteriùs ſolùm in viris principibus.*

Nihil igitur mirum, ſi ipſe recitârit Terentius; quem è ſervo libertum fecit Terentius Lucanus, Senator Romanus. Unde Donatus, ut vulgò creditur, ſed potiùs Suetonius, in Comici ejus vita: *Andriam cùm primùm Ædilibus daret, juſſus ante Cario recitare; ad cœnantem cùm veniſſet, dictus eſt, initium quidem fabulæ, quòd erat contemtiore veſtitu, ſubſellio juxta lectulum reſidens legiſſe: poſt paucos verò verſus invitatus, ut accumberet, cœnâſſe unâ; deinde cætera percurriſſe, non ſine magnâ Carii admira-*

ra-

ratione. Vix tamen exemplum iſtoc eſt hujus loci: quia Terentius non ſponte recitavit, ut aliorum judicium cognoſcere: ſed juſſus ab Ædilibus recitare; ne ageretur publicè fabula, priuſquam conſtaret, an eſſet digna agi. Aptius exemplum, verùm non in fabulæ recitatione, ſed præcipuè hiſtoriæ, habemus in Claudio Cæſare: qui nunquam in adoleſcentia per alium legebat: ſed demùm in principatu. Suetonius in ejus Vita cap. XLI. *Hiſtoriam in adoleſcentia, hortante T. Livio, Sulpitio verò Flavo etiam adjutante, ſcribere aggreſſus eſt, Et cùm primùm frequenti auditorio is commiſiſſet, ægre perlegit. Nam cùm initio recitationis, defractis compluribus ſubſelliis obeſitate cujuſdam, riſus exortus eſſet; ne ſedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo ſubinde falli reminiſceretur, cachinnóſque revocaret.* Continuò deinde ſubjungit: *Alia multa recitavit in principatu, non ipſe, ſed per lectorem.*

Sed duplices ſunt principum per alios recitationes; quæ confundi non debent. Hic loquimur, ſolùm de iis, quibus aliorum explorarent judicia de ſuis, ingenii, doctrinæque monumentis. At prætereà, ſiquid publicè decerni vellent, orationem ſuam de eo jubebant in Senatu recitari per quæſtorem. De hoc vide Barnabam Briſſo-

ſonium Selectarum ex Jure Civili Antiquitatum lib. 1. cap. XVII.

10. §. *Locus, ubi recitarent, vel publicus fuit, vel privatus. Publicus Romæ erat, quem Cæſar Hadrianus huic rei exſtruxit, &* Athenæum *appellavit.*

Aurelius Victor in Adriano: *Gymnaſia, doctoréſque curare occœpit, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, conſtituerent.* Quibus verbis eos inferiùs refellam, qui, jam Horatii ætate, hoc fuiſſe Athenæum, inque eo Poëtarum judices convenire ſolitos, arbitrantur. Nominis cauſſam indicat Dio, ſive Xiphilinus, in extremo eorum, quæ retulit de Didio Juliano. Nempe ait, ſic vocatum ἀπὸ τῆς ἐν αὐτῷ παιδευομένων ἀσκήσεως. *ab eruditorum hominum in eo exercitatione.* Unde liquet, decipi eos, qui putant fuiſſe ſic dictum, quia eſſet templum Minervæ. At longè ſpiſſiùs errat Theodorus Marſilius (quem & ſequitur Raderus ad Martialem *) cùm putat, per Athenæum intelligi ædem Apollinis Capitolini, vel potius Palatini. Nam Athenæum Romanum, ut ex Victore vidimus, ab Hadriani demum temporibus fuit. Itaq; nec ullus ante eum meminit. Hîc autem poëtas, ac rhetores recitaſſe, indicat illud Iulii Capitolini in Pertinace: *Cùm Pertinax eo die proc:ſſionem,*

* *Lib 10 epig 70.*

quam

quam ad Athenæum paraverat, ut audiret poëtam, ob ſacrificii præſagium diſtuliſſet. Firmat quoq; Lampridius in Alexandro: *Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum, & Latinorum rhetorum, vel poëtarum cauſsâ frequenter proceſſit.* Adhæc Iul. Capitolinus in Gordianis: *Poſtea, ubi adolevit, controverſiis declamavit, audientibus etiam imperatoribus ſuis.* Et B. Hieronymus de obitu Paullinæ ad Pammachium: *Quando omne Athenæum ſcholaſticorum vocibus perſonabat.* Poſt Athenæum videtur Romæ exſtructum eſſe auditorium Capitolinum: cujus Impp. Theodoſius, & Valentinianus, meminerunt in utroque Codice [a]. Athenis publicum auditorium erat Agrippeum in Ceramico: de quo Philoſtratus in Alexandro Sophiſta. Præterea in publicis recitationis locis fuere theatra magnarum civitatium [b], non Ἑλληνικὰ [c] modò; de quibus Themiſtus [d]: ſed etiam Ἰταλικὰ, καὶ Ἀσιανὰ [e]; de quibus Syneſius [f]. Nec tamen per θέατρα ſemper intelligi opus ea, in quibus ludi ſpectari ſolerent. Nam & θέατρα dixere ad horum ſimilitudinem facta, & plurimorum hominũ capacia, non ludis ſed recitationibus deſtinata. Erant verò vel δημόσια, ſive

a *Theodoſ. & Iuſtin. tit. de ſtudiis liberal. Rom & Conſtantinop.* b *Appulejus Flor. lib. 4. & Themiſt. orat. 16.* c *Græca.* d *Orat. 7.* e *Italica & Græca* f *in Dione.*

ſive publica: vel *ἰδιωτικὰ*, ſive privata. Amborum meminit in Juliano Eunapius. Ac quandoque videas, *theatra*, & *auditoria*, conjungi. Philo de quærend. erudit. Τὰ δὲ ἀκροατήρια, τὰ δὲ θέατρα πληροῦται. *Plena ſunt auditoria, & theatra.* Tacitus, ſive Fabius in Dialogo: *Te ab auditoriis, & theatris, in forum, & ad cauſſas, & ad vera prælia voco.* Prior horum ſub Claudio, alter ſub Domitiano dixit. Petronius, qui claruit ſub Nerone, meminit poëtæ recitantis in porticu, ac lapidibus inde exacti. Verba adferam cap x. §. 2. Sub Antonius floruere Ariſtides, & Appulejus: quorum ille orationem de concordia habuit in βουλευτηρίῳ, ſive curia: hic diſſeruit in baſilicâ; ut refert ipſe in Apologia. Atque ex his liquet, quantopere paſſim auditoria variarint. Sed ad Romanos revertor.

11. §. *Ante Athenæum, ab Hadriano Romæ exſtructum, non pauci privatis potiùs uſi locis videntur. Vt Domitiani temporibus domo Stellæ, hortis Frontonis, ac ſimilibus.*

Martialis lib. IV. epigr. VI: *In Stellæ recitat domo libellos.*

Juvenal. ſat. I:

Frontonis platani, convulſaq; marmora clamãt
Semper, & aſſiduo rupta lectore columnæ.

Plinius lib. VIII epiſt. XII: *Titinius Capito domum ſuam recitantibus præbet.* Arria-

nus

nus Epicteti lib. III cap. XXIII: Ἄκουσόν μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Κοδράτου· *Audi me hodie diſſerentem in ædibus Quadrati.*

12.§. *Sæpe etiam, & rhetoribus, & poëtis, conducenda erat domus, in quam auditores convenirent.*

De Rhetoribus, ſive Scholaſticis, eſt illud Taciti, vel alterius in dialogo de cauſis corruptæ eloquentiæ: *Domum mutuatur, & auditorium exſtruit, & ſubſellia conducit, ut beatiſſimus recitationem ejus eventus conſequatur.* De poëtis verò eſt hoc Juvenalis Sat VII:

——— Cùm jam celebres, notique poëtæ,
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentarent. Et paullò pòſt:
Ipſe facit verſus, atque uni cedit Homero
Propter mille annos: & ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonis commodat ædes.

13.§. *Conductâ domo etiam neceſſe habebant ſuis ſumtibus exſtruere celſam ſedem, unde legerent: item ſubſellia, in quibus auditores conſiderent.*

Perſ. Sat. I. *Sede leges celsâ.* ———
Juvenal. Sat. VII:

Nemo dabit regum quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Sen-

Sententia eſt, regum neminem tantum daturum, quanti tria hæc conſtant in auditoriis: primùm ſubſellia in media planicie, quaſi auditorum plebi diſpoſita: deinde anabathra, quæ Platoni in Protagora, & Epictero apud Arrianum *, *βάθρα*, Eunapio in Proæreſio *σανίδες*: videlicet cuneata, & adſurgentia illa ſubſellia, quæ ad latera in orbem erant, ac gradibus quibuſdam adſcendebantur; unde & *ἀναβάθρων* nomen: ac deniq; in fronte orcheſtra, ſive cathedræ conductitiæ primariis viris conſtitutæ ante recitantis pulpitam, quod *θρόνον*, *δίφρον*, *βῆμα ὑψηλὸν* dixere: uti & *ſedem celſam* Perſius †. Hujuſmodi tamen confeſſus quidam ſophi, tanquam ſoli oſtentationi forent, penitùs aſpernabantur: ut Menedemus apud Laërtium. Etiam Socrates, Plutarcho teſte, contemſit.

14 §. *Poſt hæc indicebant diem: videlicet poſterum, aut perendinum. Fiebat hoc voce, codicillis, libello.*

De die eſt hoc Iuvenalis Sat. VII.

——— *Lætam fecit cùm Statius urbem,*
Promiſitque diem.

Sermo eſt Statio Papinio. Quandoque autem recitaturi circuîbant, atque ipſi audituros voce invitabant: quod Syneſius in Dione dicet *θυροκοπεῖν* *fores pultare*. Interdum

* *Lib.3.cap.23.* † *Sat.1.*

dum codicillos mittebant, qui pro literis erant. Quandoque & in publico ſparſim libellos proponebant. Utrumque hunc modum adſignat Plinius junior: *Hunc librum cùm amicis recitare voluiſſem non per codicillos, non per libellos, ſed ſi commodum, & valde vacaret, admoniti, fœdiſſimis inſuper tempeſtatibus per biduum convenerunt.* De poſteriori item modo Tacitus, vel quiſquis ſcriptor dialogi de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Cùm toto anno* (Salejus Baſſus) *per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit, & elucubravit; rogare ultro, & ambire cogitur, ut ſint, qui dignentur audire: & nec id quidem gratis: nam & domum mutuatur: & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit.*

15. §. *Is etiam, qui recitaturus erat, ferè ad majorem elegantiam, atque oſtentationem, prodibat coma, barbaque pexa, pallio recenti, vel Roma toga, à fullone candenti, cum annulo, in quo gemma, præcipuè ſardonyx, incluſa.*

Iure hunc morem ridet Perſius Sat. 1.
Scilicet hæc populo, pexúſque, togaque recenti.
Et natalitia tandem cum ſardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris.

Item Arrianus Epicteti ſui lib. III. cap. XXIII. τοῦτο ἵνα γένηται, δεῖ πεῖσαι χίλια βάθρα, καὶ παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους, καὶ ἐν κομψῷ στολίῳ, ἢ τελβωνίῳ, ἀναβάντα ἐπὶ πούλβινον, διαγράφειν πῶς Ἀχιλλεὺς ἀπέθανε. *Hoc ut fiat, mille oportet collocare ſubſellia, & advocari auditores, & te eleganti tunica, aut pallio, in pulvinum adſcendere, & deſcribere, quomodo mortuus ſit Achilles.* Syneſius item in Dione*, cum alia de recitatore refert, tum illud quoque: Ὁ δὲ καὶ ἐλούσατο πρὸ τῆς κυρίας, καὶ εἰς αὐτὴν, ἀπήντησεν, ἐσθῆτι καὶ σχήματι σοβαρῷ, ἵνα καὶ θέαμα καλὸν ᾖ, καὶ προσγελᾷ τῷ θεάτρῳ, καὶ χαίρειν δοκεῖν. *Hic verò, & lotus fuit ante præſcriptum diem, & ad eum adfuit, veſte, ac cultu corporis geſtúque ſuperbo, ac inſolenti; ut & elegans eſſet ſpectaculum, & conſidentibus in theatro arrideret, atque inde gauderet.*

15. §. *Recitantes verò in cathedra, cui impoſitus eſſet pulvinus, conſidebant: contrà quàm ſolent dicentes, qui ſtabant.*

Perſius, ut jam vidimus,

Sede leges celsâ. ——

Plinius lib. VI. epiſt. VI: *Dicenti mihi ſollicitè aſſiſtit, aſſidet recitanti.*

De hoc etiam dicentium, ac recitantium, diſcrimine, vide eundem lib. II. epiſt. XIX. quæ ad Cerealem. Negat verò actionem eam

* *Pag. 55. edit. Pariſ. a. 1612.*

eam vim habere, quam dicentium. *Qui* inquit, *ſedentes agunt, quamvis illis maxima ex parte ſuperſint eadem illa, quæ ſtantibus: tamen hoc quòd ſedent, quaſi debilitentur, & deprimantur. Recitantium verò præcipua pronunciationis adjumenta, oculi, manus, præpediuntur: quò minùs mirum eſt ſi auditorum intentio langueſcit; nullis extrinſecus aut blandimentis capta, aut aculeis excitata.* In pulvino recitantes conſediſſe, indicant verba illa Arriani, quæ antè adduximus, *ἀναβάντα ἐπὶ πούλβινον, adſcendentem in pulvinum.* Ubi *pulvinum* dixit pro *cathedra*, in qua pulvinus: ut *pulvinum* pro *lectica*, in qua pulvinus, ait Seneca Conſolatione ad Marciam c. XVI. *Clœlia exprobrat juvenibus noſtris pulvinum adſendentibus, in ea illos urbe ſic ingredi, in quâ etiam feminas equo donavimus.* Πουλβίνου vox, qua Arrianus utitur, accepta à Latinis: pro qua πούλβιον eſt apud Erotianum in lexico Hippocrat. Sed non ſine mendi ſuſpicione. Nam πούλβινον eſſe reſcribendū, in eruditiſſimo ſuo Gloſſario cenſet ὁ μακαρίτης Joan. Meurſius. Quomodo & pro eo πουλβινάριον eſt in vet. Gloſſis. Sed maximus Caſaubonus, commentario in Perſium, ambigit, an nō apud Arrianū pro πούβινον legi debeat πούλπιτον. Ut ſimile ſit illi Juvenal. ſat. VII:

Haut tamē invideas vati, quē pulpita poſcunt.

Cap. VIII.

Quo pacto, qui recitarent, cognoſcerent judicium auditorum.

1. §. *Atque hæc dicta ſunto de recitatione. Proximum eſt, ut referam, quo pacto auditores judicium ſuum teſtari ſoleant de eo, qui orationem, aut carmen, recitâſſet. Fiebat hoc trifariam; ſilentio, voce, geſtu. Silentium potuit eſſe à triplici cauſſa; contemtu, invidiâ, admiratione. Nam utcunque præclarus eſſet ſermo recitantis; ſilere poterant imperiti, quia contemnerent; eóque nec acclamatione, vel plauſu dignarentur. Silere poterant periti; ſed ſuperbi, atque invidi, qui inhumani eſſe mallent, quàm teſtimonio ſuo augere gloriam alterius. Poterant denique ſilere benevoli, & intelligentes; in qualibus vehemens attentio, ſummáque admiratio, ſilentium gigneret.*

De ſilentio imperitorum ſatis eſt res aperta. Quomodo enim laudent, quod non intelligunt. De invidorum ſilentio eſt illud Plinii lib VI. epiſt. XVII. quæ ad Reſtitutum: *Indignationem, quam in cujuſdam amici auditorio cepi, non poſſum mihi temperare, quo minùs apud te, quia non contigit coram, per epiſtolam effundam. Recitabatur liber*

ber abſolutiſſimus: hunc duo aut tres, ut ſibi, & paucis, videntur diſerti, ſurdis, mutiſque ſimiles, audiebant. Non labra diduxerunt, non moverunt manum, non denique aſſurrexerunt ſaltem laſſitudine ſedendi. Quæ tanta gravitas? quæ tanta ſapientia? quæ imò pigritia, arrogantia ſiniſteritas, ac potiùs amentia, in hoc totum diem impendere, ut offendas, ut inimicum relinquas: ad quem, tanquam amiciſſimus, veneris? Diſertior ipſe es? tanto magis ne inviderìs nam qui invidet, minor eſt. De ſilentio admirantium eſt illud Muſonii philoſophi apud Agellium l. v. cap. 1. *Magna laus non abeſt ab admiratione: admiratio autem quæ maxima eſt, non parit verba, ſed ſilentium.* Atque addit ex eo, quomodo Homerus propterea, cùm Ulyſſem induxiſſet narrantem labores ſuos, non auditores dicat exſultâſſe, vel vociferatos: ſed cõſiluiſſe univerſos, quaſi attonitos, & obſtupefactos. Quanto aliter fuerit animatum declamatorum vulgus, indicat Fabius lib. iv. cap. 11. *Non ferunt illud intentionis ſilentium; nec ſibi diſerti videntur, niſi omnia tumultu, ac vociferatione, concuſſerint.* Ubi *intentionis ſilentium* dixit, ut Plin. in epiſtolis *ſilentium intentum. Cum*, inquit, *dico, vel cùm recito, non minùs ſilentio, quàm clamore, delector: ſit modò ſilentiũ acre, & intentũ & cupidum ulteriora audiendi.* Cum adeo

 mul-

multiplex ſilentii ſit cauſſa, nihil neceſſe eſt, ad unam reſtringere illud Plinii lib. v. epiſt. III: *Quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis nutu, manuum motu, murmure, ſilentio; quæ ſatis apertis notis judicium ab humanitate diſcernunt.* De ſilentio hactenus.

2. §. *Alter modus cognoſcendi auditorum judicii eſt per vocem, ſive acclamationem. Sed vox ea vel naturâ ſignificabat, vel hominum inſtituto. Poſterior vel unius erat vocabuli, vel orationis. Eſt & altera diviſio, quâ acclamatio vel eſt ſecunda, qualis faventium: vel adverſa, ut eorum, qui malè volunt recitanti.*

Iudicium hoc, quod voce fit, Plutarchus lib. de audiendis Poëtis, vocat κραυγὰς ſive *clamores*. At ἐκβοήσεις, ſive *vociferationes*, appellat Themiſtius initio orationis primæ. Deque hujuſmodi clamoribus capiendus eſt Tacitus, vel Fabius, dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ, cùm ait: *Nec aut amicitiã inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujuſquam beneficium; ſed clamorem magnum, & voces inanes.* Plinius lib I. epiſt. XIII. *Memoriâ parentum Claudium Cæſarem ferunt, cùm in palatio ſpatiaretur, audiſſetque clamorem, cauſſam requiſiſſe: cúmq; dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubitum recitanti, inopinatúmq; veniſſe.*

Cla-

Clamor iſte vel fuit ἄσημος [a], atque ἄναρθρος [b], vel σημαντικὸς [c], & ἔναρθρος [d]. Prior boatum magis referebat: quàm verba. Poſterior fuit duplex. Nam vel unâ fiebat voce, vel pluribus. Unâ, ut apud Iſocratem ὑπερβαλλόντως [a]: apud Platonem, εὖ [b], & ὑπέρευ [c]: apud Theophraſtum [d] ὀρθῶς [e]: apud Arrianum [f] θαυμαστῶς [g], ὑπερφυῶς [h]. apud Plutarchum * ἀνθηρῶς [i], δριμέως [k], εὐφυῶς [l]; apud varios, σοφῶς [m], καλῶς [n], ὀρθῶς [o]: quandoque etiam, Plutarcho [p] teſte, θείως [q], & θεοφορήτως [r]: imò, ut idem [s] ait, etiam δαιμονίως [t], & μεγάλως [u]. Ac præterea, & ἄξια, & φεῦ, de quorum priori ex Dione [x], & Arriano [y]; de altero, ex Tertulliano [z], oſtendit Ludovicus Creſollius in Theatro Rhetorico [a]. Apud Latinos obtinebant *benè, præclarè, bellè, feſtivè*, ut eſt apud Tul. [b]; apud Horatium [c], *pulcrè, rectè*; apud Perſium,

F 2 *euge*;

[a] *Nihil ex inſtituto ſignificans.* [b] *inarticulatus.* [c] *ex inſtituto ſignificans.* [d] *articulatus.* [a] *excellenter.* [b] *bene* [c] *optimè.* [d] *in Characteribus.* [e] *rectè.* [f] *in Epicteto.* [g] *mirabiliter.* [h] *ſupra modum egregiè* * *de auditione.* [i] *floridè.* [k] *acriter* [l] *ingenioſè.* [m] *ſapienter.* [n] *pulcrè.* [o] *verè.* [p] *de auditione.* [q] *divinè.* [r] *divino impetu.* [s] *Libro de ſe ipſo laudando.* [t] *divinè.* [u] *magnificè.* [x] *In Nerone.* [y] *Lib. 3. Epicteti.* [z] *Adverſus Valentinianum cap. 8.* [a] *Theatri Rhetorici lib. 3 cap. 20. ſect. 5.* [b] *Lib. 3. de Orat.* [c] *Epiſt. ad Piſon:s.*

d *euge:* apud Martialem e, *Effectè, gnaviter, citò, nequiter, euge, beatè.*

Imò & his, Græcorum more, *ſophôs* acclamatum; ut ex variis conſtat.

Vidimus de clamore unius vocis. Interdum verò acclamabant pluribus vocabulis. Ut cùm, Philoſtrato teſtante, Herodi Attico dictum, εἷς ὡς Δημοσθένης, *es alter Demoſthenes*. Vel cùm, ut Eunapius ait, * dictum Præreſio, Ερμȣ̃ Λογίȣ τύπος; *Mercurii, eloquentiæ præſidis, typus.* Similia de Nicete ſophiſta, qui ſub Nerva floruit, & Antipatro, liberorum Severi doctore, legimus apud Philoſtratum.

Altera clamorum diviſio erat in ſecundos, & adverſos. Secundos Seneca epiſt. LIX. *acclamationis ſecundæ favorem* vocat; Fabius lib. x. cap. I. *laudantium clamorem.* Εὐφήμȣς βοὰς nominat Heliodorus lib. x. & apud Photium Himerius ſophiſta; qui claruit temporibus Juliani Cæſaris, teſte Suidâ.

Adverſa acclamatio Plutarcho in Cæſare dicitur θόρυβος πονηρὸς. Atque clamor iſtiuſmodi fiebat, quia diſpliceret vel

is,

d *Sat. I. verſ. 63* e *Martial. lib. 2. epig. 27.* f *Idem lib. 1. epigr. 4. & lib. 5. epigr. 93. Plin. in epiſt. Sidonius lib. I. epiſt 9 lib. 8. ep 6. lib 9. ep. 23. & ſemel iterúmque in Carminum libris.* * *In Proæreſio* † *De vitis Sophiſt. lib. 1. & 9.*

is, qui diceret; vel id, quod diceretur. Prioris generis erat, cùm boni obſtreperent Graccho, vel Catilinæ: ut eſt apud eundem Plutarchum. Quemadmodum verò acclamationis favore recitantes gaudebant; ita exhorreſcebant adverſam: imo, populo acclamante, ſæpe è ſuggeſto deſcendebant ὠχροὶ, καὶ τρέμοντες *, ut ait Iulianus orat. 1. Panegyr.

Poſterioris generis exemplum eſt apud Ciceronem Philipp. VI. Retulerat Cicero L. Antonii impudentiam, ſtatuæ inſcribentis, *Quinque & triginta tribus patrono populi Romani.* Eo dicto, ſic compellavit idem populum Romanum: *Igitur eſt patronus L. Antonius?* Tum concio, acclamatione obſtrepens, oſtendit ſe averſari talem patronum. Exinde Cicero ſubjicit: *Malam quidem illi peſtem. Clamori enim veſtro aſſentior.* Simile exemplum habemus apud B. Chryſoſtomum, homil. V, in epiſt. ad Titum. Narrârat morem Laconum: apud quos nudæ etiam virgines in conſpectu virorum luctarentur. Concio, à tam obſcena conſuetudine abhorrens, exclamavit. Tum Chryſoſtamus ſubjecit: πολλὰ ὑμῖν γένοιτο ἀγαθὰ, ὅτι οὐδὲ τὸ ῥῆμα ἀκούσαι φέρετε. *Multa vobis eveniant bona, qui ne quidem referri iſta ſuſtinetis.*

* *Pallidi ac tremuli.*

3. §. *Ab acclamatione tum ſecundâ, tum adverſâ, venio ad manuum plauſum, qui Græcis κρότος.*

Quo pacto is fieret, indicat Philoſtratus junior in Icone Comi: Μιμεῖται τινα ἡ γραφὴ καὶ κρότον, οὗ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος. καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. *Plauſum etiam quemdam imitatur pictura, cujus maxime indiget Comus. Nam dextera contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad cavum ferit; ut percuſſæ manus, cymbalorum more, fiant conſonæ.*

4. §. *Præterea verò inter favoris indicia erat ſubſultatio, & circumactio totius corporis.*

Quod Chryſoſtomo in verba Ieſaiæ homil. 1. eſt τοῖς ποσὶν ἐφάλλεσθαι, καὶ ὅλῳ περικλᾶσθαι τῷ σώματι. Quo de ſic Fabius l. 11. cap. 11. *Nunc proni, & ſuccincti ad omnem clauſulam, non exſurgunt modò; verùm etiam excurrunt, & cum indecora exſultatione conclamant.* Atque inprimis ea in pueris improbat ibidem, his verbis: *minimè verò permittenda pueris, ut ſit apud pleroſque, adſurgendi, adſultandique in laudando licentia.* Meminit & moris Hieronymus ep. LXXV. *Me dicente, ex latere ſubſultabas, & plaudebas manu, & applodebas pede.* Ut verò Fabium vidimus id dicere indecoram exſul-

ta-

tationem: ita & Plutarchus de auditione * appellat πτόησιν μετὰ χαρᾶς ἀπειροκάλου πρὸς ἔπαινον, *eruptionem cum inepto gaudio ad laudandum.* item † ἀσχημονεῖν, καὶ σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν, *indecoros geſtus edere, & ſolœciſmum facere audiendo.* Ibidē vocat φορτικὰ σχήματα ‡, *importunos, & odioſos geſtus.* Euſebius quoque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. IX. cap. XXIV. ubi de Paulo Samolateno ſermo, hæc duo opponit, ἀκόσμως ἀκροᾶσθαι, *indecore auſcultare*, & σεμνοπρεπῶς, καὶ εὐτάκτως ἀκούειν, *audire tum graviter, ac decoro, tum compoſite, ac modeſte.* Obſervat eruditiſſimus Ludovicus Creſollius etiam in hiſce ἐπισημασίαις * fuiſſe, quòd veſtem concuterent. De hoc, & aliis, videſis eum Theatri Rhetorici lib. III. cap. XX. inprimis ſect. II.

5. §. *Etiam poſt recitationem fautores oſculabantur tum poëtam, tum ſophiſtam.*

De poëtâ baſiis excepto eſt hoc Martialis lib. I. epigr. LXXVII.

——— At circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

De ſophiſta exemplum habes in Proæreſio: de quo ſic Eunapius: Καὶ τὰ στέρνα τοῦ

 σο-

* *Pag. 40 edit. Pariſ. an. 1624.* † *Pag. 45.* ‡ *Pag. 40. Cruſerius parum commodè vertit*, importunas figuras. * *animi ſignificationibus.*

σοφιστοῦ περιλιχμησάμενοι, καθάπερ ἀγάλματος ἐνθέου, πάντες οἱ παρόντες, οἱ μὲν πόδας, οἱ δὲ καὶ χεῖρας, προσεκύνουν· οἱ δὲ θεὸν ἔφασαν, οἱ δὲ Ἑρμοῦ Λογίου τύπον. *Atque omnes, qui aderant, circumlabendo ſophiſtæ pectus, velut alicujus Dei, alii pedes, alii manus, oſculabantur: ac aliqui vocabant Deum, nonnulli Mercurium, eloquentiæ præſidem.*

6. §. *Præterea etiam, honoris ergô, à recitatione deducebant domum.*

Quod Libanio in progymnaſmatis eſt προπέμπεσθαι ἀπὸ τοῦ βήματος λαμπρότερον· *à pulpito, ac cathedra ſplendido comitatu domum reduci.* Exemplum apud Agellium habemus lib. xv. cap. 1. ubi, cùm narrâſſet, quomodo Antonius Julianus delectabiliter,& feliciter declamaſſet,ſubjungit: *Nos ergo, familiares ejus, circumfuſi undique, eum proſequebamur domum.* Etiam apud Eunapium legimus,quomodo Proæreſiùs, proconſulis juſſu, habuerit orationem, planè admirandam. Subjungit deinde Ὁ δὲ ἀνθύπατος καὶ δορυφορῶν μετὰ πάντων ἢ τῶν δυνάμεων ἐκ τοῦ θεάτρου παρέπεμψε. Sed legendum: μετὰ πάντων δορυφόρων, ἢ τῶν δυνάμεων. Latinè ſonet: *Proconſul verò cum ſatellitibus, ac copiis ſuis, honorificè domum reduxit.*

7. §. *Mirum verò, ex hiſce laudandi, &*

ſignificandi judicii ſui modis, acclamationem, & applauſum, è ſcholis, & auditoriis, tranſmigraſſe in templa Chriſtianorum, ſacráſque conciones.

Cognoſcere hoc eſt ex B. Auguſtino ſerm XL. de Tem. Ubi, cum egregiam de concupiſcentia ſententiam protuliſſet; eaque auditâ populus acclamâſſet; ſubjungere Auguſtinum videmus: *Vnde omnes acclamaſtis, niſi quia omnes agnoviſtis?* Superius etiam adduximus Chryſoſtomi verba quæ dixit, cùm populus voce improbâſſet Lacænarum virginum morem, à S. patre memoratum.

8. §. *Verùm hanc conſuetudinem S. Si Patres ferebant quidem, eò quòd ſignum foret, tum attentionis, tum etiam approbationis eorum, quæ dicerentur. At interea eam habebant ſuſpectam, quia ſaperet levitatem popularem; magiſque deceret theatra, quam ſacras conciones; ubi conveniret intentum ſilentium cum moribus gravibus, ac modeſtis. Vnde & mos iſte, à verbi divini præcon bus ſæpiùs reprehenſus, tandem prorſus exolevit.*

Tuliſſe eos hunc morem, indicant illa B. Auguſtini ſerm. v. de verbis Domini: *Laudes iſta veſtra gravant nos potiùs, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas. Tamen, fratres mei, iſta laudes*

des veſtræ folia ſunt arborum, fructus quæritur. Quaſi dicat, ut folia in arboribus delectant, ſed fructns proſunt: ita placet quidem, quòd videamus verba noſtra à vobis approbari: ſed tùm demum proderint illa vobis, ſi ſecundum ea compoſueritis vitam veſtram. Reprehendit morem hunc B. Hieronymus præfat. lib. III. in epiſt. ad Gal. *Iam in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſáque Apoſtolicorum ſimplicitate, & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plauſus circumſtantium ſuſcitentur.* Culpat præterea B. Chryſoſtomus homiliâ II. de verbis Ieſaiæ. Audiamus eum ſermonibus in Act. Apoſt. Πολλάκις ἐνόησα θεῖναι νόμον τὸ κωλύοντα τοὺς κρότους. *Sæpenumerò mecum cogitavi de lege, quâ plauſus prohiberetur.* Sed quod B. Chryſoſtomus intermiſit, fortaſſe exſilio impeditus; id malùm epiſcopi, gliſcente indies populi levitate, acri reprehenſione, vel aliter, ſuſtulerunt: ut argumento eſt, quòd prorſus exolevit. Nimirum piis, ac gravibus, non alia mens erat, quàm S. Valeriano; qui, de animi demiſſione diſſerens, ait, *Non ſtudia laudis poſtulat, non favorem vocis exſpectat; odit acclamantium choros.* Sed quid mirum de ſanctis hiſce Patribus, cùm in ſuis etiam auditoriis, ac theatris, multò antè impro-

ba-

barint gentiles? Uti è philoſophis L. Seneca epiſt. LII. & Epictetus apud Arrianum lib. III. cap. XXIII. Imò damnavere etiam rhetorum prudentiores: ut Porcius Latro apud M. Senecam Controverſ. XIX & Hippodromus Theſſalus apud Philoſtratum lib. II. de vitis Sophiſtarum.

CAP. IX.

DE DISCERNENDIS AUDITORUM JUDICIIS.

1. §. *EXpoſuimus, quomodo auditores vel dent, vel videri velint dare ſigna ſenſus ſui de recitantis ſive oratione, ſive carmine. Conſequitur, ut referam, quo loco opiniones hujuſmodi, ſeu inſita, ſeu ſimulata, concèſenda ſint. Eſt verò quaſtio hac tripartita. Primò videndum, quorum laudes pro nihilo ſint ducenda. Dein, quorum ad judicia attendere oporteat ſtudioſe. Denique, an ſemper in eorum ſententiam pedibus ſit eundum nobis. De primo ſic habe. Exiguo, imò nullo, haberi loco merentur praconia eorum, qui nobis obnoxii ſunt. Ejuſmodi ſunt laudes diſcipulorum; ac eorum, qui cœnam, vel ſportulam exſpectant; omnium denique ex pacto laudantium, ut qui pretio ad hoc fuerint conducti.*

Diſcipulorum eò juſtiùs meminimus, quia ſophiſtæ dicturi olim ſoleant eos comi-

mites aſſumere, ut applauderent magiſtro. Atque inde eſt, quòd, ut refert Eunapius *, proconſul Romanus, cùm Athenis agendum eſſet de cauſſa Iuliani Rhetoris, initio denunciavit, *μηδένα κροτήσειν τῶν μαθητῶν τὸν λέγοντα ne diſcipulorum quiſquam plauderet dicenti.* Quomodo verò ab his veritatem exigas. qui obnoxii ſunt doctori ſuo; nec alio eum fine ſectantur, quàm ut *bellè*, *euge*, vel ſimile, acclament? Atque idem dixere de cœnipetis, vel ſportulam exſpectantibus, vel ad laudandum pretio redemtis. Eſt de iis hoc Plinii l. II. epiſt. XIX. *Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur. Tanti conſtat, ut ſis diſertiſſimus.* Item hoc Ariſtidis orat. *περὶ τοῦ παραφθέγματος*, ſive de perperam dicto †: *Θαυμάζω δ' ὅπως ἀπεφυκὼς πρὸς τὸ παιδαγωγεῖν, οὐχ ὁρᾷς τούτους τοὺς ἀργυρίῳ τὸν ἔπαινον ὠνουμένους, οὐ μόνον ἐν ταῖς ἐπιδείξεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς θεάτροις. Miror, quod cùm ad alios ſis docendos natus, non videas illos, qui pecuniâ laudem, non in declamationibus modò, ſed etiam in theatris, redimunt.* Elegans ejus rei exemplum habemus Varum Ionicum: quod refert Philoſtratus in Polemonis vita. Ejuſmodi laudationes, plauſùſque emtos Chryſoſtomus

* qui-

* *In vita Iuliani Cappadocis.* † *Pag.* 687. *editionis P. Stephani.*

quidem vocat *εὐφημίας ὠνητάς* : *Laudationes pretio paratas*. Themiſtius autem orat. IV. *ἐκ παραγγελίας*, *laudes ex pacto*, *ſive denunciatione*: quibus opponit ἐπαίνους ἀδόλους καὶ ἀληθινούς, καὶ αὐτοκελεύστους. *laudes ſinceros, veros, & ſponte attributos*. Turbam verò, ad laudandum conductam, Quinctilianus lib. IV. c. II. nominat *diſpoſitam multitudinem ad plauſum*. Xiphilinus ex Dione vocat ἴδιον σύστημα, *proprium cœtum*, ubi Neroni ait fuiſſe talem cœtum qui laudes, plauſuſque, auſpicaretur, ut cæteri ſequerentur exemplum. Lucianus ἐν Ῥητόρων διδασκάλῳ nuncupat χορὸν οἰκεῖον, *chorum domeſticum*, ac quaſi auctor eſt Rhetori, ut hujuſmodi multitudinem ſibi comparet, quò diſertior habeatur. Tertullianus libro adverſus Valentinianum appellat *familiam*: ubi ſermo eſt de Scholaſticis Phoſphoro φῶ acclamantibus. Omnis verò turba illa conducta verè hiſtrioniam facit. Unde Horatius negat ulli eſſe habendã fidem, quem munere fecerimus noſtrum.

——Clamabit enim, pulcrè, bene, rectè;
Palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem; ſaliet, tundet pede terram.

Quod deinde ſcitâ ſimilitudine illuſtrat:

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciũt prope plura volẽtibus ex animo ſic
Deriſor vero plus laudatore movetur.

2. §.

2.§. *Alterum erat, cujuſmodi auditorum judicium in pretio haberi debeat. Tales ſunt, in quibus hæc duo concurrunt: ut bene poſſint judicare, & facere id velint. Vt poſſint, requiritur prudentia. Vt velint, probitas, & benevolentia.*

Quæ ipſo in conſultore requirit Ariſtoteles lib. II. Rhetor. cap. I. Τοῦ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια. τοσαῦτα γάρ ἐστι δι' ἃ πιστεύομεν, ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις. καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. Διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύουσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τούτων τι. Ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην ὀρθῶς οὐκ δοξάζουσιν, ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν. ἢ φρόνιμοι μὲν, καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' οὐκ εὖνοι· διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γινώσκοντας. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. *Vt verò dicenti fides habeatur, tribus de cauſſis fit. Tot enim ſunt res, propter quas credimus, præter argumentationem. Sunt autem iſta; prudentia, probitas, benevolentia. Falluntur enim homines, aut falluntque in iis, quæ dicunt, aut conſulunt, propter omnia hæc, aut aliquid illorum. Aut enim ob imprudentiam non rectè ſentiunt: vel ſi recte ſentiant, ob imprudentiam non recte declarant: aut ſunt quidem prudentes, & probi viri, ſed non benevoli; eóque fit, ut, licet optima nôrint, non tamen ea ſuadeant. Et præter hæc tria, nullum eſt aliud.*

3.§.

3. §. *Tertium erat, quatenus ſtare conveniat eorum judicio, qui tum rei fuerint intelligentes; tum probi etiam, ac benevoli exiſtimantur. De iſto dixero, à talibus monitos, non debere eſſe pertinaces in ſuis tuendis. Alioqui deſinent monere.*

Unde Horatius epiſt. ad Piſones:

Quinctilio quicquid recitares, Corrige, ſodes,
Hoc, ajebat, & hoc, Ac mox:
Si defendere delictum, quàm vertere malles;
Nullum ultrà verbum, aut operam ſumebat inanem.
Quin, ſine rivali, teque, & tua, ſolus amares.

4. §. *Interim, agnoſco, neque noſtrum, neque alienum nos judicium debere nimis, vel admirari, vel contemnere: eòque in hoc noſtri, & aliorum diſſenſu, nihil temere eſſe agendum: ſed novo eſſe opus examine, quo excutiamus utriuſque judicii cauſſas; ac tum demum ſtatuamus, utrùm alienum ſequi judicium præſtet, an perſiſtendum ſit in noſtro.*

Nec enim nos ſolùm falli poſſumus: ſed etiam auditor, vel lector. Eoque nec ἀβασανίστως * alienum ſemper judicium præferemus: ſed tum demum decretoriam feremus ſententiam, ubi ad κρίσιν † alterius, omnibus penſicularis, acceſſerit ἐπίκρισις † no-

** Circa examen † judicium † judicium de iis quæ prius ſunt judicata.*

noſtra. Sanè Plinius, * narrat de Pomponio tragico, eum, ſi moneretur, ac ſua præferret, provocâſſe ad populum; ut, eo cognito, vel aſſentiret monitori; vel populari ſuffultus judicio, perſeveraret in ſuo. Præcipuè autem fas provocare ab judice, alioqui docto, ſed in poëſi habente Midæ aures. Qualis Laurentius Valla. Quàm enim ineptus fuerit poëtarum cenſor; argumento eſſe poſſit, quòd, ut Jovianus Pontanus † tradidit, Maroni anteferret verſus Pindari iſtius, Latino carmine Homeri ſcribentis epitomen; cujus initium:

Iram pande mihi Pelidæ, Diva, ſuperbi,
Triſtia qui miſeris ingeſſit funera Grajis.

Quanto poëſios intelligentior fuit Cæſar Scaliger! qui de Latinis, cùm veteribus, tum recentibus poëtis, judicium ſuum retulit in Hypercritico. Et tamen de pleriſque ſeveriùs multò exercuit cenſuram, quàm neceſſe foret. Itaque eam non cæteris modò; ſed neque filio Ioſepho, ſemper potuit comprobare. Quæ omnia hoc ſolùm à me fine dicuntur, ut melius videamus, licere interdum ad alium judicem provocare.

5. §. *Sed neque inutile eſt, etiam exquirere, quale ſit judicium malevolorum. Nam invidi*

* *In epiſtol.* † *Lib. de ſermone.*

vidi non rarò oculatiores ſunt in perſpicien-dis vitiis alienis; quàm ſummi etiam fau-tores; quos amor ſæpius cæcos facit.

Adeundus de hoc Plutarchus, libro de utilitate ex inimicis capiendâ.

CAP. X.

DE JUDICIO POPULARI.

1. §. *Hactenus actum de judicibus privatim ad audiendum adſcitis. Deinceps de publico dicam judicio. Cujus duo ſunt genera. Eſt cùm populus ipſe publico in loco convenit, audit, judicat. Eſt cum non tam populus judicium fert; quàm unus, pluréſve; qui vel ſummam obtineant poteſtatem, vel ab ea judices recitantium ſint conſtituti. Prius loquar de judicio populi, in theatrum, vel porticum, ad audiendum convocati.*

De populo in theatro conveniente; eſt illud ſeu Taciti, ſeu potiùs Fabii, dialogo de cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Teſtes Auguſti epiſtolæ, teſtis ipſe populus; qui, auditis in theatro verſibus Virgilii, ſurrexit univerſus, & fortè præſentem, ſpectantèmque Virgilium, veneratus eſt ſic quaſi Auguſtum.* At de populo, in porticu audiente, legas apud Petronium Arbitrum, cujus verba mox adducam. Uti & aliorum de judicibus publicitus conſtitutis.

2. §.

2. §. *De populi judicio ſic cenſeo, plurimùm eſſe imperitum, incertum, ſubinde & periculoſum.*

Imperitum quidem, propter amentiam vulgi, ſæpe non plus ſapientis, quam grundile illud pecus, cui anima pro ſale data perhibetur. Audiamus Ciceronem pro Roſcio: *Ex opinione,* (populus) *multa; ex veritate, pauca judicat.* Item pro Plancio: *Non dilectu, aut ſapientiâ ducitur ad judicandum; ſed impetu, & quadam etiam temeritate.* Ac inibi: *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia.*

Nec imperitum modò eſt vulgus; ſed etiam inſtabile. Atque hinc idem pro Muræna: *Vulgo nihil incertius.* Nempe, ut ait Salluſtius in Jugurthina, *ingenio eſt mobili.* Unde & illud, quòd, ut ibidem legas, *ſit ſeditioſum, atque diſcordioſum, cupidum novarum rerum, quieti & otio adverſum.* Ac hinc quoque liquet, quod tertio loco attuli, eſſe periculoſum. Præſertim ex eo, quòd ferè efferis ſit moribus. Uſque adeò, ut quandoque poëtam, ſeu merentem, ſeu immerentem, lapidibus inceſſat. Unde Petronius Arb. *Ex his, qui in porticibus ſpatiabantur, lapides in recitantem Eumolpum jecerunt. Ac ille, qui plauſum ingenii ſui noverat, operuit caput, extráque templum profugit.*

3. §. *Nec propter ea judicium populi prorſus* ha-

habere diſpretui oportet. Nec enim ſemper erras. Atque eſt,cùm bonos ſequitur duces.

Scitè Salluſtius epiſtolâ ad Cæſarem de Rep.ordinanda : *Multitudo vulgi,more magis, quàm judicio, pòſt alius alium,quaſi prudentiorem, ſequuntur.* Videlicet, ut Seneca ait lib. de vita beata *, *pecorum ritu ſequuntur antecedentium gregem,pergentes non quá eundum eſt, ſed quà itur.* Interdum tamen multitudo per ſe videt. Quandoque etiam bonos nanciſcitur duces.

4 §. *In hoc rerum incerto videre eſt, quoſdam,maxime poëtas dramaticos, judicium populi magni adeò feciſſe, ut illud eorum etiam judicio præferrent,quos privatim advocâſſent. Alios contrà, contemto populi judicio, in ſuo maluiſſe judicio acquieſcere; vel eorum, quos elegiſſent.*

Utriuſque exemplum dabo ;prioris Pomponium tragicum, alterius Plinium juniorem. De priori ſic Plinius l.v.I I. ep.XVII. *Pomponius Secundus, hic ſcriptor tragœdiarum, ſiquid forte familiarior amicus tollendum, ipſe retinendum, arbitraretur, dicere ſolebat,* AD POPULUM PROVOCO : *atque ita ex populi vel ſilentio,vel aſſenſu, aut ſuam, aut amici ſententiam, ſequebatur.* De altero autem, ſe ipſo videlicet, idem Plinius, poſt verba proximè allata, hæc continuò ſubjungit: *Tantum ille* (Pomponins) *populo*

* *Cap.* 1.

pulo dabat. Rectè, an ſecus, nihil ad me Ego enim non populum advocare; ſed certos, ejectóſque, ſoleo. Similiter Horatius Sat. IV. lib. I.

Nec recito cuiquam, niſi amicis. ———

Nec aliter Auguſtus: de quo ita, in vita ejus, Tranquillus: *Nonnulla* (è ſcriptis ſuis) *in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitavit.* Etiam M. Senecæ eſt præfatione epitomes lib. IV. Controverſ. *Pollio Aſinius nunquã, admiſsâ multitudine, declamavit: nec illi ambitio in ſtudiis defuit.*

CAP. XI.

DE JUDICIBUS RECITATIONI PRÆFECTIS.

1. §. *VEnio ad judicium eorum, qui certamini præerant poëtico. Ea certandi, & judicandi, conſuetudo, Troianis fuiſſe temporibus antiquior perhibetur. Quod ſi eſt, faciliùs fidem inveniet, quòd de Homeri, & Heſiodi certamine prodiderunt.*

De antiquitate tantâ teſtis eſt nobis Plutarchus Sympoſiacon libro quinto, quæſtione ſecundâ. Ubi tangit, quomodo in funebribus Patrocli ludis certatum ſit, non haſtam jaciendo, ſed dicendo; atque ut victorem præmio Achilles ornârit. Item ut Acaſtus, in funere Peliæ patris, inſtitue-

fuerit certamen Poëticum, in quo vicerit Sibylla. Atque ejus rei auctores laudat Aceſandrum in opere de Africa, & Polemonem de Theſauris Delphicis. Ubi etiam legi ait, ut in theſauris Sicyoniis repoſitus fuerit libellus aureus, ab Ariſtomacha poëtria dedicatus, cùm Iſthmia viciſſet. Tangit etiam de Oelyci Theſſali ſepultura, & Amphidamantis Chalcidenſis; quando certâſſe dicuntur Homerus, & Heſiodus. Ac meminit etiam ejus certaminis in VII. Sapientum Convivio.

2. §. *Quia verò nullum eſt tam laudabile inſtitutum, quod non corrumpi queat: hinc ſæpe etiam factum videmus, ut, penes quos publica eſſet judicandi poteſtas, deteriores præferrent melioribus. Neque id ſemper ab imperitia erat; ſed quandoque etiam ab ambitu certantium, & judicum favore. Nec propterea abrogari ea debuit judicandi conſuetudo: ſed tanto majori cautione in publicorum judicum delectu opus fuit.*

Ajunt in certamine Homeri, ac Heſiodi, prælatum fuiſſe Heſiodum. Quod fuerit ab imperitia Parœdis regis. Conſtat etiam de Pindaro victo à Corinna. Atque ut Euripides, cum quinque & centum tragœdias feciſſet, in omnibus, ſolùm quinque exceptis, victus ſit, ſæpe etiam à poëtis ignaviſſimis: ut ex Varrone prodidit Agel-

lius lib. XVII. cap. IV. Ubi quoque narrat de Menandro: ut cùm centum & novem, octóve, aut, ut idem Apollodorus malebat, centum & quinque tragœdias compoſuerit; octies ſolùm vicerit: inque iis, qui eum *ambitu*, *gratiâque*, *& factionibus* ſuperarint, etiam fuerit Philemon, *nequaquam par ſcriptor*: unde cùm eum Menander fortè habuiſſet obvium, *Quæſo*, inquiebat, *Philemo, bonâ veniâ, dic mihi: cùm me vincis, non erubeſcis?*

3. §. *Nec in Macedonia modo, vel reliquâ Græciâ, conſuetudo ea fuit; ſed derivata etiam eſt in Ægyptum ſub Ptolemæis.*

Hoc cognoſcere eſt ex Vitruvio in præfatione libri ſeptimi: ubi cùm de Attalicis regibus egiſſet, & narrâſſet, ut Ptolemæus æmulus eorum fuerit, ſubjungit iſta: *Itaque Muſis, & Apollini ludo dedicavit: & quemadmodum athletarum, ſic communium ſcriptorum victoribus præmia & honores, conſtituit. His ita inſtitutis, cùm ludi adeſſent, judices literati, qui ea probarent, erant legendi.* Hinc addit, ut, ſex judicibus lectis, ſeptimus ſit additus Ariſtophanes; non ille Comicus, qui multò antiquior Alexandro, ac Ptolemæis; ſed ejus nominis alius. Tum ſubdit: *Primo poëtarum ordine ad certationem inducto, cùm recitarentur ſcripta, populus cunctus ſignificando monebat judices, quid*

quid probarent. *Et quem maximè animadverterunt multitudini placuiſſe, ei primum præmium, inſequenti ſecundum, tribuerunt.* Operæ etiam eſt addere, quæ ſubjecit de judicio diſpari ſex judicum, & ſeptimi his additi, Ariſtophanis. Hæc ſic enarrat: *Ariſtophanes verò cum ab eo ſententia rogaretur, eum primùm pronunciari juſſit, qui minimè populo placuiſſet. Cùm autem rex, & univerſi, vehementer indignarentur; ſurrexit & rogando impetravit, ut paterentur ſe dicere. Itaque, ſilentio facto docuit, unum ex his eum eſſe poëtam; cæteros aliena recitaviſſe. Oportere autem judicantes, non furta, ſed ſcripta probare. Admirante populo, & rege dubitante, fretus memoriâ, è certis armariis, infinita volumina eduxit, & ea cum recitatis conferendo, coegit ipſos furatos de ſe confiteri. Itaque rex juſſit cum his agi furti; condemnatóſque cum ignominiâ dimiſit. Ariſtophanem verò ampliſſimis muneribus ornavit, & ſupra bibliothecam conſtituit.* Atque hinc etiam conſpicere eſt, quantum imperito judici interſit peritus.

4. §. *Inprimis verò meminere antiqui judicum, qui publicè ferrent judicium de dramatis. Athenis quidem Comicorum quinque erant judices.*

Unde Suidas: Ἐν πέντε κριτῶν γόνασι. *In quinque Iudicum genibus:* puta κεῖται, ſive

 ſitum

ſitum hoc eſt negotium. Addit autem, inde originem eſſe proverbi, quod τὸ παλαιὸν πέντε κριταὶ ἔκρινον τοὺς κωμικοὺς, ὥς φησὶν Ἐπίχαρμος. *antiquitus quinque judices judicabant de Comicis; ut ait Epicharmus.* Poſtea ſubdit, de genibus eò dici, quia ſimiliter apud Homerum legeretur, ——— Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. *Deorum in genibus ſitum eſt.* Hoc verò inde profectum, quia in tabellis ſcriberent vota ſua; eàque genibus ſtatuarum, Deos repræſentantium, affigerent, unde Juvenal. Sat. x. 55.

Propter quæ fas eſt genua incerare deorum.

Quæ verò ex Suida attuli, etiam apud Zenobium centuria III. proverbio LXIV. legas. Heſychii quoque eſt juxta certiſſimam Ioannis Wouwerii * emendationem, ab Andrea etiam Schotto † comprobatam; Πέντε κριταὶ (ubi vulgò, πεντεκαῖται) τοῖς κωμικοῖς ἔκρινον, οὐ μόνον Ἀθήνησιν, ἀλλὰ καὶ ἐν Σικελίᾳ. *Quinque judicabant Comicos, non Athenis modò; ſed in Sicilia quoque.* Unde videmus, non Athenis tantummodo, ſed in Sicilia quoque, obtinuiſſe hunc morem.

5. §. *Tandem etiam à Romanis hic mos eſt receptus.*

Argumento fuerit Sp. Metius Tarpa. De

* *Πολυμαθίας cap. 16.* † *Notis ad Zenobium.*

Dequo Horatius lib. I. Sat. x.

Quæ nec in æde ſonent certantia judice Tarpa.

Ubi ſic ſcholiaſtes *Metius Tarpa fuit judex Criticus, auditor aſſiduus poëmatum, & pictarum, in æde Apollinis, ſeu Muſarum; quò convenire ſolebant poëtæ, ſuaque ſcripta recitare: quæ niſi à Tarpa, aut alio Critico, qui numero erant quinque, probarentur, in ſcenam non deferebantur.*

Ubi videmus *in æde* exponi *Apollinis.* Quomodo & vetus ſcholiaſtes interpretatur hoc ejuſdem poëtæ *:

Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.

At valde ratio fugit alium Horatii interpretem, cum *in æde* explicat *in Athenæo.* Iuſtus Lipſius, epiſtolâ eruditâ ad Othonem Hartium Senatorem, quæ eſt duodequinquageſima libri III. epiſtolarum ad Belgas, negat ſe illud de æde Apollinis Palatini velle refellere: ſed de Athenæo magis ſibi liquere ex Capitolino, & Lampridio. Hærere tamen, & quærere, an Athenæum illud Romæ adeò ſit antiquum, ut ejus meminiſſe potuerit Horatius. Non hoc ſcripſiſſet ſummus vir, ſi occurriſſent illi Sexti Aurelii Victoris verba, allata nobis c. VII. §. 10. Clarè enim iis dicitur, A-

 the-

* *Lib. 2. epiſt. 2.*

thenæum Romæ demum eſſe exſtructum ab Cæſare Hadriano. Ejuſdem Tarpæ mentio quoque fit apud Horatium in Arte:

——— Siquid tamen olim
Scripſerit, in Meti deſcendat judicis aures,

Ubi videmus, itidem *judicem* vocari. Cùm verò continuò ſubdit,

Et patris, & noſtras:

Oſtendit hujus Critici judicio excludere ſe nolle vel ſuum poëtæ, vel illud parentis Piſonis; cujus voce Piſonem juvenem ad rectum fingi, ait alibi. Achilles Statius Luſitanus, in Notis ad ſuperiorem Horatii locum, ait non meminiſſe ſe, alibi de Metio hoc quicquam legere. Sed mentio ejus quoque eſt Sat. x. libri I. cùm ait, *Quæ nec in æde ſonent certantia judice Tarpâ.* Nominat quoque Cicero epiſt. I. ad Marium lib. VII. *Nobis autem erant ea perpetienda, quæ ſcilicet P.* * *Metius probaviſſet.* Nam idem eſt Metius, qui Tarpa; ut ex veteri ſcholiaſte diſcimus. Poſtea etiam mos ille duravit: unde in veteri inſcriptione, quam alibi † integram adducimus: HIC CUM ESSET ANNORUM XIII ROMÆ CERTAMINE JOVIS CAPITOLINI LUSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONATUS EST INTER POETAS LATINOS OMNIBUS SENTENTIIS JUDICUM.

* *Al. Sp. Mæcius.* † *Lib. 2. c. 20. 24.*

Ut

Ut Neapoli, ubi non gymnicum modò, ſed & muſicum fuiſſe certamen, indicat Strabo lib. v. De Comico certamine alibi * etiam attulimus hæc verba Tranquilli in Claudio cap. xi. *Comœdiam Græcam Neapolitano certamine docuit, ac de ſententia judicum coronavit.* Solere coronari poëtas victores, indicat etiam vetus inſcriptio, quam afferebamus Inſtitutionum Poëticarum lib. ii. cap. x. §. 14.

7. §. *Nec Comicorum ſolùm, ſed & Tragicorum, publici fuere judices.*

Ut cùm primam Sophocles fabulam Athenis daret, archonte Apheſione, Olympiadis LXXIV. anno IV. De quo Plutarchus in Cimone: Ἔθεντο δ' εἰς μνήμην αὐτοῦ, καὶ τὴν τῶν τραγῳδῶν κρίσιν ὀνομαστὴν γενομένην. πρώτην γὰρ διδασκαλίαν τοῦ Σοφοκλέους, ἔτι νέου καθέντος, Ἀφεψίων ὁ ἄρχων, φιλονεικίας οὔσης καὶ παρατάξεως τῶν θεατῶν, κριτὰς μὲν οὐκ ἐκλήρωσε τοῦ ἀγῶνος. ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατήγων παρελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς, οὐκ ἀφῆκεν αὐτοὺς ἀπελθεῖν, ἀλλ' ὁρκώσας, ἠνάγκησε καθίσαι, καὶ κρῖναι δέκα ὄντας, ἀπὸ φυλῆς μιᾶς ἕκαστον· ὁ μὲν οὖν ἀγών, καὶ τὸ τῶν κριτῶν ἀξίωμα, τὴν φιλοτιμίαν ὑπερέβαλε. Νικήσαντος δὲ τοῦ Σοφοκλέους, λέγεται τὸν Αἰσχύλον περιπαθῆ γενόμενον, καὶ βα-

* *Lib. 2. cap. 10 § 23.*

ρίως ἐνηνοχότα, χρόνον οὐ πολὺν Ἀθήνησι διαγαγεῖν, εἶτ' οἴχεσθαι δι' ὀργὴν εἰς Σικελίαν· ὅπου καὶ τελευτήσας περὶ Γέλαν τέθαπται.
In hujus quoque memoriam tragœdorum celebratum judicium conſtituêre. Nam cùm primam fabulam Sophocles, etiamnum juvenis, dediſſet; contentio autem eſſet, & concertatio ſpectatorum; Aphepſion archon non erat ſortitus judices certaminis. Vbi verò Cimon, cum collegis ducibus theatrum ingreſſus, ſollemnia libamina Deo fecit: non demiſit eos, ſed illos decem ex ſingulis tribubus coëgit juratos conſidere, & diſceptare. Exceſſit autem, ob dignitatem judicum, certamen ambitionem. Victore Sophocle, Æſchylum fama tenet diſcruciatum; atque id iniquo animo ferentem, non diu Athenis haſiſſe; inde profectum fuiſſe ex indignatione in Siciliam. ubi defunctus quoque, & circa Gelam humanus eſt.
Idem, lib. II. de Fortuna Alexandri, narrat de certamine duorum tragœdorum in Cypro, Theſſali, & Athenodori, præſente Alexandro Magno: qui cùm à judicibus, nobiliſſimis inſulæ viris, Athenodorus eſſet victor pronunciatus; ajebat, parte ſe regni redemtum velle, ne victum conſpiceret Theſſalum: nec tamen verba cum judicibus propterea commutavit, eo quod putaret juri cedendum. Meminit & tragicis certaminis lib. V. Sympoſiacon
quæſt.

quæſt. 11. Item apud Agellium lib. x. cap. XVIII. legere eſt, ut cùm Artemiſia dicaret Mauſoli monumentum; ad laudes ejus decertandas venerint Theopompus, Theodectes, Naucrites; ac viciſſe Theopompum, Iſocratis diſcipulum: Theodectis autem ſuo etiam tempore tragœdiam exſtare, quæ *Mauſolus* inſcriberetur.

8. §. *Hæc de judicibus publicè conſtitutis. Quomodo judicium quidem ſcitur alienum; ſed ſæpe non ſine honoris diſpendio, & ortâ inde animi ægritudine.*

Quod cognoſcere licet, cùm aliis exemplis, tum illo Æſchyli à Sophocle victi: de quo ex Plutarcho antea diximus.

9. §. *Nunc quia publici judices non ſunt, privata ſaltem metuere judicia cogimur. In Republica enim literariâ cuilibet liberum eſt ſuffragium; etſi diſparis ſit auctoritatis.*

Videlicet, quod de ſanctitate morum Plinium dicere antea * audivimus, id in doctrina etiam locum habet, eam *non diſtare ordinibus.*

10. §. *Qui verò natura ad Poëticen factus non eſt, rectiùs abſtinent à verſibus, non recitandis modò, ſed etiam faciendis. Neque enim ſimilis eſt poëtarum ratio, atque alio-*

* *Cap. 4. §. 7.*

aliorum. Nam Medicis, juriſconſultis, architectis, & ſimilibus, carere non poſſumus: eóque etiam laudantur, qui mediocriter in arte ſuâ ſunt verſati. At nemo cogitur, ut carmen ſcribat: cùm liceat cuique ſenſu ſua effari proſâ. Propterea nec laudem meretur poëta, niſi qui excellit.
Horatius in Arte:

——— Hoc tibi dictum
Tolle memor: Certis medium & tolerabile rebus
Rectè concedi: conſultus juris, & actor
Cauſſarum mediocris, abeſt virtute diſerti.
Meſſallæ; nec ſcit, quantum Caſſelius Aulus:
Sed tamen in pretio eſt. Mediocribus eſſe poëtis,
Non homines, non Dî, non conceſſere columnæ.

Nempe ſimiliter hîc comparatum, ac in convivio; ubi muſica adhibenda non eſt, ſi careat concentu: nec unguentum potui addendum, niſi liquidius: neque cum papavere apponendum mel amarius, quale Sardum, aut Corſicum. Aut enim hujuſmodi condimenta optima eſſe oportet, aut ſupervacua cenſentur. Quod iſtis verſibus ibidem Horatius expreſſit.

Vt

Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inventúmque poëma juvandis,
Si paullùm ſummo diſceſſit, vergit ad imum.

Sed, ut bene ait Ariſtoteles * φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὑτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν: *omnes ſui amantes ſunt; ſibique perſuadent, neceſſe eſſe, ut ſua aliis omnibus placeant.* Hinc denſa eorum ſeges, qui poëma invitâ ſcribant Minervâ; ut ibidem legere eſt. Ac ſimiliter idem Venuſinus, in ſecundo epiſtolarum, ad Auguſtum inquit:

Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro
Non audet, niſi qui didicit, dare. quod medicorum eſt,
Promittunt medici. tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poëmata paſſim.

Eò autem magis mali poëtæ ab illa poëtandi prurigine abſtinere debent; quia ut feſtivè ait poëta Venuſinus †, viri prudentes fugiunt tales, velut ſcabioſos, aut fanaticos: etiam vulgi fiunt fabula, pueriſque ipſis ridiculi ſunt: quin ſi in aquas inciderent, fortaſſe nemo eſſet, qui curaret

* *Lib. 1. Rhetor. cap. 11.* † *In Arte Poëtica.*

ſervare: crederentur enim ſe ſponte in eas præcipitâſſe, ut eo ſibi nomen pararent. Quomodo Empedoclem ajunt inſiluiſſe in Ætnam, ut corpore nuſquam invento raptus à Diis crederetur. Quæ omnia, ut dixi, idem Horatius venuſtiſſimè expreſſit. Atque in hoc nobilis ille poëta, idemque poëtices doctor egregiùs, præcipiendi finem facit. Cujus exemplo in eodem monitu, exitum expedio eorum, quæ poſt commentarios de natura, ac præceptis artis poëticæ, addidi nunc de Imitatione; universè quidem, ut eâdem conſultum irem futurò Oratori; ſed ſic, ut laborem hunc imprimis Poëticæ gratiâ ſuſceperim.

JUSTI

JUSTI LIPSII
DE
RATIONE LEGENDI HISTORIAM,
AD
NICOLAUM HACQUEVILLIUM
EPISTOLA.

AD Hiſtoriam cùm dare te cœpiſti, fateris hærere in primâ viâ, & confuſione rerum, aut temporum, ignorantiâ eorum quæ & quando legenda aut eligenda ſint, pedem figere, imò tædio aut deſperatione pœnè referre. Non ſiat mi Hacquevilli. opem imploras, pro copiâ meâ dabo: & ſi non plenè ductor (occcupatio & valetudo nunc abnuunt:) tamen director ero, & digitum intendum quò & quâ contendas. Hiſtoria nobis propoſita: quæ, & cujuſmodi? nam variat: & ſumma ejus diviſio eſt, *Mythiſtoria*, & *Hiſtoria*: Illa, quæ fabulas vero mixtas; iſta quæ purum & merum verum habet.

In

In illâ poëtæ ſunt,& id genus qui oblectamenta auribus animiſque quærunt, & floridâ iſtâ veſte ornant & augent corpus hoc veritatis. Veteres poëtæ,& rex eorum Homerus, pulchrè & ſæpè utiliter fecerunt: cùm arcanos ſenſus,aut altiora dogmata, hoc quaſi velo obnubunt & tegunt. Sed hanc partem mittamus, non nunc adeundam: altera eſt vera *Hiſtoria*: quam licet bifariam partiare. Eſt *Naturalis*, eſt *Narrâtiva*: ſit venia ſic loquenti, planè, ſi non purè. Illa eſt, quæ naturæ faciem & facta revelat, id eſt, rerum, ſtirpium, animalium ingenia, proprietates, vires tradit. Ariſtoteles, Theophraſtus, Ælianus, Plinius fecêre: & plures, quos ævum nobis ſubduxit. *Narrativam* dico, quæ res geſtas actioneſque prodit; ſacras ſive profanas. Ideoque à duplici hac materie iterùm duplex, *Divina* & *Humana*. Illa, quæ religionem, aut, quod adhæret, tangit: hæc, quæ res plurimùm actioneſque humanas. Iterumque ea duplex, *Privata* & *Publica*. Nam aut ſingulorum res, vitam, virtutes, vitia recenſet: & Privata eſt, aut quæ publicè, plurium uſui aut noxæ, ſunt geſta: & Publicam appello. Omnes utiles, propriè tamen & diſtinctè, Naturalis ſcientiam, Divina religionem, Humana prudentiam, omnes delectationem habent.

Ad

Ad quas autem te voco? velim ad omnes ire, ſed in tempore. *Naturalem* nunc ſeponamus: *Narrativam* ingero, quam vulgò & peculiariter Hiſtoriam etiam appellamus. Ad hanc priuſquam venias, duo præmittenda ſunt, *Geographia*, & *Chronologia*. Illa, ut locorum, regionum, urbium notitiam aliquam concilies; hæc, ut temporum, quibus quæque res geſtæ. Sed communem dumtaxat, & non illam exactam notitiam exigo; ſatis ſit mundi partes, ſituſque diſtinguere; provincias, & in iis flumina, montes, opida clariora noviſſe. In temporibus etiam, ſeriem eorum & ordinem tenere, & velut terminis quibuſdam finire imperia, bella, eventus. Velim equidem, & tacitus ſæpè opto, imò ipſe meditor, eſſe qui breviter & compendio, & quod caput eſt, judicio ad orbe condito velut Faſtos concinnet: nec aliud quàm annos, & præcipua rerum, notet ac libet. Qui hactenus fecêre, aut confundunt nimis, aut diffundunt: & nec notabilia aut laudabilia tamen maximè excerpunt. Sed hoc dum fiat, potes Euſebio uti, & novellis quibuſdam, qui heri & nuper prodierunt. Atque iſta cùm paravimus, age ad ipſam jam Hiſtoriam: & quam præmittimus? pietas vult *Divinam*. Facilis ea eſt, nec diu tenebit. *Iudaica* vetus eſt, è libris

ſacris, Ioſepho, & ejus interprete Hegeſippo petenda: noſtra hæc nova, id eſt *Chriſtiana*, olim ex Euſebio, Sozomeno, pluribus, nunc ex uno Cæſare Baronio adfatim haurietur: & quid in diligentiâ viri tantâ deeſt? Imò ut ſuperſit, vereor: iis utique, qui ex profeſſo Theologos non agunt, & ſufficit universè initia, progreſſum, diſſidia, capita & antiſtites religionis noſtræ ſcire. Non abnuo, compendium bonum exactiſſimi illius laboris ſit, non ſit fortaſsè bono auctoris. Eſt & *Miſcella* religionis hiſtoria, ut Mahumetanæ, quæ magnam orbis partem, à multis jam ſæculis, obtinet; ut Sinenſium, Indorum, & qui alii vanam & ſimulacris ſervam eam habent. Hæc quoque carptim quis neget viro Politico & experienti libanda eſſe? ſed ut dixi, carptim. *Humana* ſupereſt: illa præcipua quò te voco. Præter prudentiam, & rerum peritiam,

Hæc tibi virtutum ſtimulos, hæc ſemina laudum,
Hæc exempla dabit:

Alibi uberiùs laudata & laudanda, nunc præeunda. Duplicem eam feci, *Privatam* & *Publicam*. Ab utrâ ordiemur? A *Publica* ego cenſeo: & hæc, ordinis doctrinæque cauſsâ, quadruplex iterùm eſto. Valdè, inquies, dividis. Fateor, nec animi vel argu-

gutiarum cauſâ : ſed quia uſu didici, nihil ad methodum, id eſt viam rationemq; docendi, vel diſcendi, aptius & efficacius eſſe. Itaq; Socratem ſequor, Diviſioni amicum: & cum illo, *divinum virum habeo, qui commode & opportunè utetur.* Sed ad rem, quadruplex hæc Hiſtoria : *Orientalis*, *Græca*, *Romana*, *Barbara*. Prima, quæ primi aut priſci orbis res habet ; cùm noſtra hæc omnia inculta, aut infrequentia, & certè obſcura & ignota. Itaque in Iudæis, Ægyptiis, Æthiopibus, Syris, Perſis, reliquâ Aſiâ, res ferè & nobiliores eventus tunc ſiſtunt : aut ſiquid amixtum, leve eſt nec ſcriptione aut lectione divellendum. Hanc primò noſci ſuadeam : & peti à *Iuſtino* breviter : uberius deinde ab *Herodoto*, *Diodoro Siculo*, & ſiqui Græcorum eam ſuis miſcent. Quædam enim *Polybius*, *Plutarchus*, *Zonaras*, alii ſuggerent, huc apponenda. Sed Diodorum ego laudo & approbo, utinam plenum, &, ut ſcripſit, abſolutum. Altera eſt *Græca* in quâ Spartanorum, Athenienſium, Thebanorum, & præcipuè Macedonum res ſunt: quos huc traho, & includo. Præter jam dictos, dabunt *Thucydides*, *Plutarchus*, *Arrianus*, & *Q. Curtius* è Latinis. Per partes colligenda eſt. nam qui totam & ordine ſcripſerit, totus ad nos non venit.

Ter-

Tertia *Romana* eſt: in quâ ubertim rerum & eventuum, eorumque inſignium: & quæ plures ſcriptores illuſtrarunt. O magnum, ô pulchrum imperium! Et addo, diuturnum. ideoque non mirum ſi viris factiſque brevia illa & fugacia Græcorum ſuperavit. *Græci præceptis valent* (ait quiſpiam) *Romani exemplis*. Et hercules ita eſt. non fuit gens, puto non erit, quæ plura vel in militiâ vel in pace. laudis & virtutis ſuppeditabit. Itaque ad hanc, mi adoleſcens, ad hanc ſegetem veni, manipulos frugum collige, & in uſum tuum reconde. Sed ut ordine fiat, ea ipſa dividatur trifariam: in *Veterem, Mediam, Novam*. Prima mihi eſt, à Regibus & urbe conditâ ad Auguſtum: *Mediâ*, cùm immutato ſtatu ad Principes ventum: *Nova*, cùm iterùm mutato, ſedes ipſa Principatus Byzantium eſt tranſlata. In *Veteri* ſcriptores Græci Latinique ſunt, ſed præcipui iſti: *Dionyſius Halicarnaſſæus, T. Livius, Polybius, Plutarchus, Appianus*: quibus compendia adjungere liceat, *Velleii, Flori, Eutropii, Oroſii*. Velleianum laudabile fuit; ſed potior pars periit. judicio & ordine tamen ſcriptum, & quod exemplar pleniori Chronologiæ ſit ad imitandum. Faciant huic parti *Faſti Romani à Carolo Sigonio* editi, & producti ad Auguſtum. At in *Mediâ*, noſter *Tacitus*,

Sue-

Suetonius, *Ammianus*, *Spartianus*, & adjuncti Cæſarei Scriptores: è Græcis autem, *Dion Caſſius*, *Ioh. Zonaras*, *Herodianus*, legendi tum & Compendium *P. Victoris*, itemque *Eutropii*. Adde ad ſeriem temporum, imò & rerum lucem, *Onufrii Panuinii Faſtos*, ab auguſto ad Juſtinianum diligenter & induſtriè conſignatos. *Nova* ſupereſt, & in eâ ferè Græci iſti, *Zonaras*, *Zoſimus*, *Procopius*, *Agathias*, *Nicetas Choniates*, *Nicephorus Gregoras*, *Michaël Glycas*, *Georgius Cedrenus*: etſi hic ultimus quidem, anilium ſæpè fabellarum ſcriptor, & veri incurioſus vel ignarus. Judicio legatur tamen, dabit quod juvet. De *Romanâ* habes: quarta erat *Barbarica*: quid niſi lacinia & ſpolium ab illâ veſte? Nam hanc appello & intelligo, cùm ſciſſo fractoque imperio, major pars ad Gallos, Germanos, Turcas ivit, & alternatim hucuſque manſit. Nec enim Gothos, Hunnos, Vandalos, Schythas, aut illam fæcem huc includo: quæ maneat in *Mediâ* & *Novâ* Romanâ, & iis inſerta nempe legetur. Faciunt huc propriè tamen *Iornandes*, *Procopius*, *Agathias*, & ſiqui tales. Sed meam hanc Barbaricam varii ſcripſere, atque ipſi ferè barbari, & addam barbarè. extantque *Germanici*, *Gallici*, *Britannici* ſcriptores, in unum corpus nuper decorè & utiliter con-

conducti ac vulgari. Sunt & *Annales à Pythao* editi: & cottidie hujuſce argumenti prodeunt, judicio eligendi. Scripſit & *Carolus Sigonius* de Regno Italiæ, quod huc facit, & *Ioh. Leunclavius* Turcica, uterque mihi bonus & laudatus. Quid omitto? *Laonicus Chalcondylas* ſe ſuggerit, in Turcicis Græciſque legendus, item *Gulielmus Tyrius*, & alii in tranſmarinis ſacriſque bellis. Hem, inquies, quanta materia, & quæ ſilua? quis ingredietur ſine errore, & egredietur? qui ordine inſiſtet, qui induſtriam & curam adferet, jam dicenda. Ordine, inquam, inprimis opus. & ne confuſa & vaga lectio ſit. aut deſultoria & interrupta. Hoc pleriſque evenit. & velut ex equo in equum ſe trajiciunt, ab hoc ſcriptore in alium, ab iſto argumento in illud; quo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus ſuum, imò & ſe, fallant. Apage tales iſtos, & ad *Amadeum* ſuum, aut ſi altiùs aſſurgere velint, *Heliodorum* eant. Tu ordine leges, quem ex ipſis à me dictis etſi potes inſtituere: tamen in exemplo dabo, Ecce Romanam *Veterem* legere decrevi, ordiar ab univerſali aliquâ notitiâ, & Compendium *Flori*, aut *Europii* præmittam. Tum à capite, & ab ipſo *Livio*: cui *Dionyſium* adjungam, & *Polybium*, *Plutarchum*, aut *Appianum*: ſed quemque in con-

conſimili argumento. Cum peregero, ad *Mediam Novamque* veniam, & conſtantiâ eâdem peragrabo. Et de *Ordine* facile eſt. atque animi tantum decreto opus: *Cura* plus habet operæ, & in eâ omnis eſt legentium fructus. Duo in hâc ſpecto, ſive exigo: *Attentionem* & *Electionem*. Cùm legis, non ſuſpenſum aut attonitum te habeat tantùm novitas aut magnitudo eventuũ: inſiſte, inquire, cui rei hoc facere poſſit, & ecquem uſum ſui præbere. Mora hîc aliqua inter legendum, & tarditas, fateor: ſed nimirum, dicto veteri, *Nulla res poteſt eſſe eadem, feſtinata ſimul & examinata: nec eſſe quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ, ſimul & gratiam celeritatis*. Tarda igitur & quære. cum repperiſti, tum ſit *Electio*: id eſt ut ſtilum capias & excerpas, & velut annonam in horrea quædam reponas. Ea diſtincta etiam ſint, & jam antè libri parati, meo judicio, quattuor; in quos quidquid eligis, conferas, & tutò deponas. Nam memoriæ ſuæ qui credit tantùm: quid agit? non dicam nihil, ſed in breve, proficit: nec ulla ea tam vaſta, capax, tenax eſt, quæ varia iſta cum fide aſſeruet & reddat. Trade libris. in quo labor aliquis, & iterùm in legendo remora: ſed, mihi crede, utilis, ſi quidquam in omni rationè ſtudiorum. Libri iſti

qua-

quatuor totidem *titulos* habeant rerum, quas præcipuè in Hiſtoriis notes: *Memorabilium*, *Ritualium*, *Civilium*, *Moralium*. Quid *Memorabilia*? res deſigno magnas, & cum admiratione aut motu legendas, ſive audiendas. ut eſt notabilis *Potentia* alicujus regis aut populi, *Opera*, vel *Opes*, *Prodigia*, & novi aut inſoliti *Eventus*. uno verbo quidquid non obvium, & magnitudine vel raritate ſe commendat. *Ritualia* autem, quæ pertinent ad inſtituta ritusque veteres, ſive quos in publico, ſive in privato uſurpabant. Alios enim iſtos Orientales, Græci, Romanique habuerunt: & ab eâ notitiâ, ſeria omnis intelligentia dependet veterum ſcriptorum. At *Civilia* appello, quæ ad vitam & regimen commune faciunt, & hanc hominum jure & legibus devinctam ſocietatem. *Moralia* denique, ea quæ privatim ad nos & vitam formandam, virtutibus amicam, vitiis alienam. Ecce, quatuor hi ſunt *Tituli*: quid ſupereſt? referre in eos, quidquid ad ſingulos illos facit, ſive *Sententiarum*, ſive *Exemplorum*: idque cum hac *Attentionis* curâ, & *Iudicii* item norma. Dic clariùs, inquies. Nempe quiſque liber alios & minores ſuos titulos habeat: quia Natura & Memoria ordine & partitione iſtâ gaudent. Ut, ille *Memorabilium*, in ea quæ attigi: nec nimis ſanè

ſanè argumentum hoc patet. Latiſſimè *Ritualium*: ac dividamus in *Sacra* & *Profana*. Sacra omnia publica :, continentque *Deos*, & eorum *Nomina*, item *Cognomina*: tum *Inſignia*, *Munia*, *Cultum*, & *Templa*. Amplius, *Sacerdotes*, alioſque miniſtros: tum *Sacrificia* ipſa, *Hoſtias*, *Ceremonias* & ritus: denique *Verba ſolemnia* & formulas precationum, & quidquid illos aut iſta ſpectat. Nimis partiri, tenue eſt, & hic inutile: ſpernes. Iam *Profana* ſequuntur: atque ea duplicia, *Publica*, & *Privata*. Illa, quæ communiter omnes aut plures tangunt, & publicis legibus aut inſtitutis continentur; ut *Magiſtratus*, & ſingulorum *Munia*, aut *Ornamenta*; ut *Senatus*, *Militia*, *Provinciæ*: *Præfectura*, *Officia*, & quidquid iſtis adhæret. tum *Leges*, *Iudicia*, & eorum ratio, *Supplicia*, *Tormenta*, *Pœnæ*: lætiora denique. *Ludi* & *Spectacula*, *Thriumphi* & *Feſti* dies. Ad *Privata* venio, & iis ſubjungo, *Nuptias*, *Funera*, *Balnea*, *Convivia*, *Veſtes*, *Nummos*, & quæ longum ſit complecti. Minuta enim etiam intercurrunt: ſed in ſermone oſtendenda potiùs, quàm ſcripto adumbranda. Imò adeò minuta, ut nec Titulos ſuos grandiores quædam habeant: ſed verbis ſignentur, & ordine iſto litterarum. Ac ſi me audis, in pleriſque eo uteris; quia non ad famam

aut

aut pompam iſta diſponuntur, ſed tui uſum. Sequuntur & excipiunt *Civilia*: utiliſſima pars iis, quos genus aut deſtinatio ad rempublicam vocant. Is liber tres partes habeat, antiquâ & veriſſimâ diviſione: ſtatus *Regum, Optimatum, Populi*. In quaque parte notes, & eò referas, quæ *Firmanda* ſint, aut *Vertenda*: & hæc ipſa ſubtiliùs divinas, ut à me in *Politicis* factum. Utar hoc exemplo cum fiduciâ, & conveniant vel qui nova adferunt, aut vetera referunt, non dabunt in ordine & methodo, quod fortaſsè anteponas. Sed unum etiam addi poteſt & debet. vel ut *Sententia* plûres ùni rei cogerantur, vel ut *Exempla*. Hanc poſtremam partem non neglexi equidem, & habeo ſe poſitam imò paratam in ſcriniis, & avidam exire. Sed tu aut alius, non ideò remitte: & quiſque ſibi, vel firmius, vel jucundius certè, tale aliquid ſtruit. Poſtrema ſunt *Moralia* quorum duæ partes, *Virtutum* & *Vitiorum*. Velim & hæc diſponi ordine litterarum: ſed ita, ut *Virtute* præëunte cuique bina ſua *Vitia* ſint ſubjuncta. Traho eòdem etiam non vi ia propriè, ſed *Affectus*: & *Cupidinum* ſtirpes, *Spem, Metum, Gaudium, Dolorem* adnecto: tum etiam de *Beatâ vitâ*, & quidquid in Ethicis ſedem ſuam habet. Sed ſatis hæc communia in ſcripto præivi: in ſermone

alia

alia. illud in fine te ſedulò moneo, ut ne molè hac, quæ videtur, abſterreare. Quid enim? tam varia, tam multa? inquies. Nihil eſt: imò incredibile, quàm citò hæc ſuſcipiantur, & fiant, ſi tenor & conſtantia ſit, & quiſque dies opus ſuum probet. Triennii res, non diu te differo: mihi ſi olim talis monitor, vel citiùs abſolviſſem. Cogita te in ipſo flore ævi, & corpus labori, animum intentioni ferendæ eſſe: quid ceſſamus,

Dum res, & ætas, & ſororum
Fila trium patiuntur atra?

Non fac, mi adoleſcens: cui ego factum conſultumque tuâ cauſsâ volo, tum & Clmi V. Legati regii: qui etſi connubio tantùm tibi parens, tamen vel naturalem affectu & curâ præſtat. Tu agnoſce, illum cole, me & bona ama. Lovanii, III. Non. Decemb. ∞. IↃC.

JUSTI LIPSII
DE
Recitatione in conventu publico & privato,
AD
OTHONEM HARTIUM
EPISTOLA.

SUave nuper fuit, mi Harti, ſermonibus veſtris, ſed & epulis paſci: cur negem? & hilaris illa ac libera per Liberi pocilla diffuſio, eſt vegetandæ noſtræ menti. Scis quàm adſiduè in triſtibus aut ſeriis curis ſimus, ſcis quàm ſæpè in languore & caliginosâ illâ bile: age, vel ex Senecæ præcepto, non ſolùm conſilio, potiuncula interponatur, *non tamen ut mergat nos, ſed ut curas deprimat*: quia & Cato ipſe

Explicuit vino contracta ſeria frontis.

Sed in ſermonibus, ſedulò tunc agitatum de *Recitatione* veterum: quam ego laudatum ibam, & pro meo voto revocatum. Certè ſiquis mos hodie utilis, in hac copiâ ſcribentium, aut ſcripturientium; ille ſit, vel ſiſtendis quibuſdam ingeniis, vel dirigendis. O quàm optabile, erudito-

rum

rum & benevolentium, id eſt, veſtri ſimilium judiciis ſenſibuſque, ſcripta & publicanda recenſere! quod Recitatio illa dabat, licebatque per eam

Egregio inſparſos abſtergere corpore nævos.

Ut videas, cujuſmodi olim fuerit, diſtinctè dicam: & notâ eâ, non dubito quin in partes & vota mea cum Oudarto noſtro ibis. Vetus ea Romæ. ſaltem inter Poëtas: quod unum aut præcipuum tùnc genus ſcriptorum: & reperio apud Valerium, *Collegium Poëtarum* jam liberâ Republicâ fuiſſe, quid niſi ut recitarent inter ſe, judicarentur & judicarent? & manſit etiam poſteà *Schola Poëtarum*: quam Martialis nominat bis ter, & agnoſcit. Ovidius hoc amplius. etiam diem fuiſſe quo convivia annua agitarent, ipſis Liberalibus: & dolet ac queritur exſuli ſibi hoc ſolatii ereptum. Scio nos in Batavis olim uſurpaſſe; & cum delectatione dico & fructu, uſurpaſſe. Ab hoc exemplo, niſi fallor, propagata ad alios ſcriptores Recitatio; ſive etiam à Græcis, quos cauſſas & teſtimonia habeo, quibus inducor habuiſſe. Sed unde unde origo, duplex tamen Recitatio: Privata, & Publica. Dico illam, quæ domi & inter amicos tantum notoſque uſurpata: iſtam, quæ publicè inter plures, & ignotis etiam advocatis. Hæc plus ſpeciei

aut ambitionis habuit; illa prior plus fructus, & hæc eſt quam mihi votum uſurpari. Fecit Horatius; qui de ſeſe,

Nec recito cuiquam, niſi amicis.

Fecit & Auguſtus, de quo Suetonius: *Nonnulla* (è ſcriptis ſuis) *in cœtu familiarium, velut in auditorio, recitavit.* Sed Auditoria igitur Publicæ Recitationi erant. cui primus auctor Aſinius Pollio, ſub Auguſto, cùm ingenia ſcilicet florerent, & ſe efferrent, ac paſſim proferrent varios & ſuaves illos fructus. Is (ut Senecæ patris verba ſunt) PRIMUS *omnium Romanorum, advocatis hominibus, ſcripta ſua recitavit.* Nota advocari homines. nam ita ſolebat: atque ii voce, codicillis, libellis invitabantur. De voce, ridet ambitionem iſtam Epictetus Arriani, & verba quoque exprimit: Ἄκουσόν μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Κοδράτου. *Audi, ſodes, me hodie diſſerentem, in domo Quadrati*: Atque hoc quidem apud familiares & obvios fiebat; alii monebantur per ſcripta. Plinius in Epiſtolis: *Nunc otioſiſſimus quiſque, multo ante rogatus, & identidem admonitus, aut non venit; aut ſi venit, quæritur ſe diem, quia non perdiderit, perdidiſſe.* Et clariùs alibi: *Hunc librum cùm amicis recitare voluiſſem, non per Codicillos, non per libellos, ſed ſi commodum & valdè vacaret admoniti; fœdiſſimis*

mis inſuper tempeſtatibus per biduum, convenerunt. Diſtinguit autem inibi Codicillos à Libellis, quia illi mitti ad amicos aut notos ſolent, vice epiſtolæ; iſti, ſparſim & in publico proponi. Tacitus, ſive Fabius, Dialogo de Cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Baſſus cùm toto anno unum librum extudit & elucubravit, rogare ultrò & ambire cogitur, ut ſint, qui dignentur audire: & nec id quidem gratis. nam & domum mutuatur, & ſubſellia conducit, & Libellos diſpergit.* Id fiebat, die edicto. Iuvenalis:

——— *lætam fecit cùm Statius urbem,*
Promiſitque diem.

Vides breviter totam ſcænam ambitionis: quam fatendum eſt, largiter rei initio optimè ſuperveniſſe. Itaque invitabant auditurus; ſed & inducebant & alliciebant, principiis operum publicatis, velut ad guſtum. Plinii verbis dici hoc videtur libro 11. Epiſt. *Nec aliâ ex cauſsâ principia librorum circumferuntur, quàm quia exiſtimatur pars aliqua etiam ſine cæteris eſſe perfecta.* Domum etiam, ut dixit Fabius, mutuabantur. nempe tenuiores, & quibus à ſe laxa & magna atria non erant. Nam in iis ſcilicet recitabant. Iuvenalis:

Frontonis platani convulſaque marmora clamant
Semper, & aſſiduo rupta lectore columna.

Platanones juxta atria,& in iſtis columnæ: quas *rumpi* dicit à recitante, ob vim pronunciantis, vel plauſum ſtrepitumque auditorum. Ita idem de Statio,placente:

——fregit ſubſellia verſu.

Et Sidonius de quodam: *Hunc olim perorantem, & rhetorica ſedilia plauſibili oratione frangentem.* Potes & ad diuturnitatem referre, & homines, imò columnas, audiendo fatigatos & fractos. Sed de Domo, idem Iuvenalis alibi:

——at ſi dulcedine famæ
Succenſus recites, Maculonus commodat ædes,
Ac longè ferrata domus ſervire jubetur,
In quâ ſollicitas imitatur janua portas.

Ubi etiam Satyricè ridet & naſo agit excubias, diſpoſitis ad portam, quaſi in bello, qui admittant venientes aut excludant. Addit autem Fabius, *& ſubſellia conduci*, nimirum quæ in atrio diſponerentur ſeſſui, orbe quodam & ordine, ac theatrico exemplo. Iuvenalis iterùm:

Nemo dabit regum,quanti ſubſellia conſtant,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Tria oſtendit in his Auditoriis fuiſſe, Subſellia, Anabathra, Orcheſtram. Subſellia, in medio ac planicie, atque, ita ut di-

dicam, æquore atrii: Anabathra ad latera, quæ adſurgerent gradatim & per ſcalas, theatrali more: denique Orcheſtra, è cathedris, quæ ante ipſum Suggeſtum poſita recitantis. De Anabathris: quæ ſic in orbem, aliquid innuere & juvare Diogenes Laërtius videtur in Menedemo. quem dicit fuiſſe ἐκκλίτην, καὶ τὰ τῆς σχολῆς ἀδιάφορον. οὔτε γοῦν, inquit, τάξιν τινὰ ἦν παρ' αὐτῷ βλέπειν, οὔτε βάθρα κυκλῷ διέκειντο, ἀλλ' οὗ ἂν ἕκαστος ἔτυχε περιπατῶν ἢ καθήμενος, ἤκουε καὶ αὐτοῦ τοῦτον τὸ τρόπο διακειμένου: *ſimplici neglegentiâ, & eorum quæ ad Scholam pertinerent, indifferentem. Neq; enim erat ordinē aliquem apud eum videre, neque ſedilia aut gradus in orbem diſpoſiti erant: ſed ubi quiſque ambulans aut ſedens fortè erat, ibi & eum ſic affectum audiebat.* Sed & Suetonius in Claudio: quem refrigeratum dicit, *cùm initio Recitationis, compluribus ſubſelliis obeſitate cujuſdam defractis riſus exortus eſſet.* Si plura ſubſellia ab uno defracta; nonne conſequens eſt, exſtructa alia ſuper alia fuiſſe? Et planè ita decorum aptumque ad audiendum; & cur non vel in Scholis publicis hodie imitantur? Sicut & illa parva Orcheſtra in theatris fuit: in quâ, primore ſcilicet parte, honeſtiores ſederent & velut Senatores. Apertè etiam † Arrianus,

† *Diſſert. III cap. 23.*

nus, in hos ambitioſos recitatores: τοῦτο ἵνα γένηται, δεῖ τεθῆναι * χίλια βάθρα, καὶ παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους, καὶ σε ἐν κομψῇ στολίᾳ ἢ τεβεννίῳ ἀναβαίνοντα ἐπὶ πούλβινον διαγράφειν πῶς ἀχιλλεὺς ἀπέθανε: *Hæc ut fiant, oportet collocare mille ſubſellia, & vocare audituros, & te ipſum in nitidâ togulâ aut palliolo pulvinum conſcendere, & diſcribere morientem Achillem.* Qui præter Anabathra ſive gradus, hominem ipſum deſcribit recitaturum.

——pexumque, togâque recenti,

Ut Perſius & *aſcendentem in Pulvinum,* ſive ut idem poëta,

——ſede legentem Celsâ

In quâ tamen pulvinus, molliori ſeſſui. In *Orcheſtrâ* eum ſediſſe, Scholiaſtes vetus ad Iuvenalis hunc locum ſcribit: *Orcheſtra,* inquit, *ſpatium in theatro dicitur, quod Pantomimo ſaltanti vacat. ejuſmodi autem & Poëta eligit, in quo ſtans recitet ante tabulata.* Ita hæc emendamus, etſi non approbamus. & ſedit profectò, non ſtetit poëta, atque adeò, ut diximus, in pulvino. Iuvenalis autem mentem arbitror, Subſellia, Anabathra, & in fronte ante ipſum recitatorem. *Orcheſtram* fuiſſe, planè ut in theatris: ubi inferiore & primore illâ parte, primores & Senatores ſedebant. Ita-

* *Suſpectum.*

Itaque hic cathedræ aliquæ diſpoſitæ honeſtioribus, extra auditorum plebem. Plinius ſe recitaturo: *Poſitis ante lectos cathedris amicos collocavi* Martialis universè:

— circum pulpita noſtra

Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

In noſtris auditionibus poetarum, nihil ſerium aut ad quæſtum, amores, & baſia tantùm. *Reportandas* autem *cathedras* eas Satyricus dixit: vel quia uſurariæ, vel quia conductæ; vel denique ab ſuis locis huc collatæ. Atque hæc igitur in Domibus recitatio; fuit etiam in publico loco. quo? Apollinis templum alii volunt, ex Horatio:

— hæc ego ludo

Quæ nec in æde ſonent reſonantia, judice Tarpâ

Ubi Apollinis Palatini ædem Scholia etiam vetera interpretantur. ſicut & hoc ejus loco:

— & vacuam Romanis vatibus ædem.

Nec refellam: etſi de Athenæo, magis mihi liquet. Imò & Horatianus quidam Scholiaſtes: *In æde, in Athenæo*, interpretatur. Hæreo tantùm & quæro, an Athenæum ſive Minervium illud ſic Romæ antiquum. Poſteà tamen fuit, & huic uſui frequens Capitolinus in Pertinace: *Proceſſionem, quam ad Athenæum deſtinaverat, ut audiret Poëtam, diſtulit*. Lampridius,

Alexandro: *Ad Athenaum, audiendorum Græcorum & Latinorum rhetorum vel Poëtarum cauſsâ, frequenter proceſſit.* Ac noto etiam ibi theatricam illam poſituram graduum fuiſſe. Ita enim Sidonius * *Athenai cuneos* dixit. & alibi † : *Quo recitante, crepitantis Athenai ſubſellia cuneata quaererentur.* Nota *cuneata*, nota & *quaſſa*, à plauſu & ſtrepitu, ut dixi. Nam hunc mirè captabant. Adſurgebant igitur, clamabant, plaudebant. De primo, Martialis:

Sæpius adſurgam recitanti carmina? tu ſtas,
Et pariter geminas tendis in aſtra manus.

Quod eſt hominum ſcilicet admirantium, & nec ſede ſuâ ſe tenentium. De clamoribus autem, & qui fuerint, idem poëta:

Effœte, graviter, citò, nequiter, euge, beatè.

Et ſæpiſſimè, καλῶς, σοφῶς. De plauſu autem, paſſim. Sed pulchrum, quòd conducerent etiam id genus operas, aut jam antè præpararent. Juvenalis:

Scit dare libertos extremâ in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces.

Nempe iſti *Sophos* illud acclamabant, & modulatè laudabant ſportulis invitati & cænis. Sæpè Martialis tangit, & Plinius junior: qui etiam ** *Sophocles*, & *Laudicenos* fa-

* *Lib.* 11. *epiſt.* 9. † *Lib.* 9. ** Quia *Sophos* illud clamarent: & *laudarent cœna* cauſsâ

facetè appellat. Addit autem, quod rideant vel ſeveri: *Heri*, inquit, *duo nomenclatores mei (habent ſanè ætatem eorum, qui nuper togas ſumpſerunt) ternis denariis ad laudandum trahebantur. tanti conſtat, ut ſis diſertiſſimus. Hoc pretio quamlibet numeroſa ſubſellia complentur, hoc ingens corona colligitur, hoc infiniti clamores commoventur, cum μεσόχορος dedit ſignum. Opus eſt enim ſigno apud non intelligentes.* Lepidè, & vel exſcribens rideo. Sed de *Meſochoris* & *Signo*, Scholiaſtes Juvenalis illuſtrat in Sat. XI. ad verba *Teſtarum crepitus. Teſtis nam anteà* (inquit) *percutiebant ſaltantibus Pantomimis, quidam huc non erat ut meſocori percuterent manus.* Legendum: *quia adhuc non erat, ut Meſochori.* Ergo novitium hoc inventum; ut ille in medio quaſi laudantium & cantantium choro conſiſteret, & manu percuſsâ ſignum daret concinendi. Hæc igitur Publica Recitatio, & ſæpè vitioſa: in quâ laudes, non judicia captabant. Sed utebantur etiam vulgò ut Ovidius ille:

Carmina cùm primùm populo juvenilia legi.

Ut Silius, de quo Plinius, *Nonnunquam judicia hominum Recitationibus experiebatur.* Ipſe Domitianus Princeps, cùm ſtudium Poëtices adſimularet, *recitavit etiam publicè*, ut Suetonius ſcripſit. Sed & Claudius Imperator, *Hiſtoriam in adoleſcentiâ*,

hortante T. Livio, ſcribere aggreſſus, frequenti auditorio commiſit. Quid, quòd Principes ipſi audirent? magnus ſtudiorum honos, aut calcar. Auguſtus certè (in Suetonio) *Recitantes & benignè & patienter audivit, nec tantùm Carmina & Hiſtorias, ſed & orationes & Dialogos.* Legi alibi, & Claudium Imperatorem vel inopinatò recitantibus quibuſdam ſuperveniſſe. An non ſtudia atque ingenia tali auditorio excitarentur? Sed ex Suetonii illâ de Auguſto notâ, apparet raro Orationes legi ſolere; plurimùm Carmina, Hiſtoriaſque. Quod etiam Plinius oſtendit, & damnat, epiſtolâ XVII. libri VII. Poëmata autem, ob ſuavitatem, recitata & audita creberrimè. Idque Iulio menſe maximè vel Auguſto, Plinius: *Iulio menſe, quo lites maximè interquieſcunt, poſitis ante lectos cathedris, amicos collocavi.* Et addit, ſe verſus ſuos recitaſſe. Iuvenalis autem quaſi ex more notat

—Auguſto recitantes menſe poëtas.

At Plinius iterùm *Aprilem*; ut ſollemnem, ingerit libro II. Epiſt. *Magnum proventum poëtarum hic annus attulit, toto menſe Aprili nullus ferè dies, quo non aliquis recitaret.* An quia prævenerunt, & grave iis exſpectare Iulium vel Auguſtum? an toto anno licebat, & ſolebat. Hæc Recitatio, & uſus ejus vel abuſus. Sed uſus in bonâ eâ pro-

profectò magnus fuit : ac verè Theophraſtus. *Αἱ ἀναγνώσεις ποιοῦσιν ἐπανορθώσεις. Recitationes pariunt emendationes* : quod ſcitum & breve dictum, Laërtius ei adſcribit. Optima autem ratio, quam Plinius ſe uſitatum eſſe refert, lib. VII. *Nullum*, inquit, *emendandi genus omitto. ac primùm, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto; deinde duobus aut tribus lego; mox aliis trado adnotanda, notaſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus aut altero penſito: noviſſimè pluribus recito.* Macte Plini! hi gradus ad limam ſunt, hi ad vitam: atque utinam nobis facultas (voluntas eſſet) imitari! Sed claudo hoc totum de Recitatione, recitatiunculis ſive fabellis. Seneca narrat comiter de quodam: *Recitator hiſtoriam ingentem attulit, minutiſſimè ſcriptam, arctiſſimè plicatam. & magnâ parte perlectâ, Deſinam, inquit, ſi vultis. Acclamatur, Recita, Recita, ab his qui illum obmuteſcere illico cupiant.* Magis lepidè, pater ejus in Suaſoriâ pro Cicerone: *Sextilius Enna fuit, homo ingenioſus magis, quam eruditus, & poëta inæqualis. Is hanc ipſam proſcriptionem Ciceronis recitaturus in domo Meſſallæ Corvini, Pollionem Aſinium advocaverat, & in principio hunc verſum, non ſine aſſenſu, recitavit:*

> *Deflendus Cicero eſt, Latiæque ſilentia linguæ.*

Pol-

Pollio Aſinius non æquo animo tulit, & ait: Meſſala, tu quid tibi liberum ſit in domo tuâ, videris; ego iſtum auditurus non ſum, cui mutus videor. atque ita conſurrexit, ne interfuiſſet recitationi eorum. quod Cornelium ſcio: cui non æquè diſplicuiſſe hunc verſum quàm Pollioni, apparet, quod meliorem quidem ſed non diſſimilem compoſuit. Intellegit hunc verſum:

Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ.

Sed quod ad verba de Cornelio attinet corrupta ſunt; mihi ſic emendanda: *conſurrexit. Huic interfuiſſe recitationi Severum quoque Cornelium ſcio*: & ſic cohæreat narratio, aliàs ſoluta aut inconcinna. Fabellam tertiam Plinius porrigit. *Paſſienus Paulus,* inquit, *ſplendidus eques Romanus, & inprimis eruditus ſcribit Elegos. Is cùm recitaret, ita cœpit dicere,* PRISCE IUBES. *Ad hoc Iabolenus Priſcus (aderat enim, ut Paullo amiciſſimus) Ego verò non jubeo. Cogita, qui riſus hominum, qui joci. quòd eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis* Concludit, & ſubjicit: *Tam ſollicitè recitaturis providendum eſt, non ſolùm ut ſint ipſi ſani, ſed etiam ut ſanos adhibeant.* Habes, quæ de more hoc præcipua occurrerunt, ſatis ad eum noſcendum: quid juvabit? utinam ad reducendum. Nam mihi crede, hoc noſtro ævo (iterum dico) utile; cùm Typographia

phia ſtatim nos protrahit & diffundit, nec vel locum pœnitentiæ aut emendationi relinquit. O ſi igitur Recitatio! ſed cum Plinianâ exceptione, *ut ſani advocent, & advocentur*. Tu diu inter eos mi Harti, & mei amantes eſto. Lovanii, XVI. Kalen. Mart. ∞. IↃ XCIX.

JUSTI LIPSII
DE
Notis, & Notariis veterum,
AD
LEONARDUM LESSIUM,
EPISTOLA.

IN variis & pænè cottidianis ſermonibus noſtris, de NOTIS fabulati ſumus: quarum uſum crebrum vel adſiduum veteribus, uterque conſentiebamus cum fructu & bono publico revocandum. Sed quî fiet? exoleverunt illæ, & fuiſſe magis, quàm quid & quâ facile fuerint, ſcimus. Oſtendebas te non nolle ut aliquid huic rei colligerem, collectum ad te deferrem, melius ſic certiuſque arbitrandum, an tanti tota res eſſet. Facio igitur: & cujus cauſâ magis ve-

velim, aut debeam? Tuum eſt, ut Homerico verſu dicam,

* — ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε

Καὶ σθένεϊ.

Notas hic appellamus, ſcripturæ quædam compendia, cùm verba non perſcribimus ſed ſignamus: celeritati, & exceptioni repertas. Ipſe qui hoc facit, *Notarius* dictus Gloſſæ: *Notarius* ταχυγράφος: *velox ſcriptor*: à fine. Suidas Νοτάριος, ὑπογραφεύς: quaſi dicas *Exceptorem*, ab uſu. Iterum Gloſſæ: *Notarius*, σημειογράφος: *qui per ſigna ſcribit*, à modo. Hinc Auſonii quædam Epigraphe: *Ad Notarium, velociſſimè ſcribentem*, Auguſtinus, de Doct. Chriſt. † *Ex eo genere ſunt etiam Notæ, quas qui didicerunt, propriè jam Notarii appellantur*. Itaque duplex apud veteres ſcribendi ratio, *Scriptura & Notaria*: illam καλλιγραφίαν, hanc ταχυγραφίαν dicebant. Scriptor aliquis, apud Suidam, de Origine illo, Græciæ ſtellâ, utinam non caducâ: Ἀμβρόσιος inquit, πολλὰ ἱκετεύσας καὶ παραβιασάμενος, καὶ ταχυγράφους αὐτῷ παρασχὼν ἑπτά, καλλιγράφους δὲ πλείους, ἑρμηνεῦσαι αὐτὸν τὰς θείας γραφὰς πεποίηκε: *Ambroſius* (quidam interpotentes) *multa eum*

* *quantum equidem poſſum manibus pedibuſque & Robore conniti.* † *Lib.* 11. *cap* 26.

eum orans & adigens, & ſeptem ei Notarios, plures ſcriptores alios apponens, commentari eum ſacros libros curavit. Fulgentius † & has intellexit: *In omnibus artibus ſunt primæ artes, ſunt ſecundæ. ut in puerilibus litteris prima eſt Abecedaria, ſecunda * Notaria.* Rationem ſcribendi per litteras, ut faciliorem, primam diſcebant; tum iſtam. In Suetonio † huic ſenſui jam olim emendavimus; *Nepotes & litteras, & notare* (ſive *Notariam*) *aliaque rudimenta per ſe plerumque docuit: ac nihil æque laboravit, quàm ut imitarentur chirographum ſuum.* Vulgò quidem *natare* ſcribitur, & defendunt alii, ſed rem & textum Suetonii qui attendet, niſi pravi pervicax eſt, ad me ibit. Sed Notarum iſtarum quis primus auctor? Ego libenter Græcis gloriam dederim, & nominatim Xenophōti, philoſopho & hiſtorico. de quo Diogenes, καὶ πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν, *Primus notis excipiens dicta* (Socratis) *in lucem hominesq́ protulit.* At Latini ad ſe trahunt * de quibus ita Iſidorus. *Vulgares Notas Ennius primus mille & centũ invenit.* Appellat vulgares, ut à *Iuridicis* & *Militaribus*, de quibus ſubjicit, diſtinguat, & quia hæ in cõmuniſſimo uſu. Sed itáne auctor Ennius?

nuſ-

† 111. *Mythol. in Orpheo.* * *Sic legimus vulgò corrupt.* 1. † *Aug cap.* 44. * *Lib.* 1, *ca.* 21.

nuſquã lectũ, & ipſe Iſidorus mox abnuit: *Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus commentus eſt Notas ſed tantùm præpoſitionum. Poſt eum Tertius Perſannius Philargyrus, & Aquila Mæcenatis libertus alius alias addiderunt. deinde Seneca* (patrem puto intelligi) *contractio omnium digeſtoque numero, & aucto, opus effecit in quinque millia.* Quis hic ille *Tertius?* nullus in libris ſcriptis, quos ego vidi: & vox abeſt. Itaque legam, *Poſt eum Perſannius*: & idem nomen ſuprà reponere auſim: *Vulgares Notas Perſannius primus*: non autem *Ennius*. Ita dicat iſtum repperiſſe primum tali numero Notas: etſi paucas antè Tiro Tullius, & ut addit (ſi ea quoque verba ſincera) *præpoſitionum* tantum neque enim commodè hîc ingero aut digero *præpoſitiones*: tui juvabis, ſi potes. At plutarchus Ennium quoque rejicit, & magis pro Tirone eſt. nam ſcribit in Catone Uticenſi, *unam ejus orationem proſtare, exceptam Ciceronis operâ, qui in curiâ celerrimos ſcribas diſpoſuerat, prædoctos Notis & ſignis uti.* Addit deinde: οὔπω γὰρ ἤσκουν, οὐδ' ἐκέκτηντο τοὺς καλουμένους σημειογράφους: *nondum enim inſtituerant, neque habebant, Notarios dictos*. Sed magis hoc clarè Euſebius, *M. Tullius Tiro, Ciceronis libertus, primus Notas commentus eſt.* Dionem Caſſium mente refragari iſtis non arbitror, etſi pæ-

nè

nè verbis. nam ſcribit, & laudat inter alia Mæcenatem: ὅτι πρῶτος σημεῖά τινα γραμμάτων πρὸς τάχος ἐξεῦρε: *quod primus Notas quaſdam ad celeritatem ſcribendi invenit.* * Non herclè primus omnes, ſed *quaſdam* ex iis, & auxit. Imò reverà nec Cicero, nec ipſe: ſed liberti eorum, ut ex Iſidoro clarum: etſi Plutarchus & Dio patronis attribuerunt. Seneca noſter magis ingenuè: † *Quid loquar verborum Notas, quibus quamvis citata excipiatur oratio? viliſſimorum mancipiorum iſta commenta ſunt*: Tironis, Perſannii, Aquilæ, libertorum aut ſervorum. Hæc inventio, propagatio, auctio: quis uſus? duplex, publicus & privatus. Iſidorus ſuggerit: *Notarum uſus erat, ut quicquid pro concione, aut in judiciis diceretur, librarii ſcriberent complures ſimul adſtantes, diviſis inter ſe partibus, quot quiſque verba, & quo ordine exciperet.* Ait fuiſſe *complures ſimul*: quod neceſſum, ubi citata & longa oratio, neque unius mens aut manus ſuffeciſſet. Ait, *adſtantes*: at liber ſcriptus, *addentes*: ex quo poſſis, ** *audientes*, Ait denique, *diviſiſſe partes, & verba*: id eſt, ut primus ſex prima verba (pro exemplo) ſecundus ſex altera, tertius tertia: aut tali diviſione. & poſtea ſimul juncti

* *In Chron.* † *Lib.* lv. *Actis anni* DCCXXI.
** *Epiſt.* xl.

cti & conferentes, membris inſitis, orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiuſque ita fuerit: arte tamen adauctâ, nihil ambigam vel unum ſuffeciſſe. Igitur publicè hîc uſus, orationes & dicta excipere, ac provulgare. Ita Aſconius tradidit, orationem Ciceronis pro Milone, ipſam quam dixerat (nam hodierna hæc ſcripta modò eſt) *exceptam fuiſſe, quæ ſuo tempore exſtaret*. Et Fabius † queritur, *orationes aliquot ſuas circumferri, neglegentiâ excipientium in quæſtum Notariorum corruptas*. Culpat non de facultate, ſed de intentione: & quòd tantùm in quæſtum, non fidem, excepiſſent. Factum idem in Actis judicialibus. & documento hodieque aliquot Chriſti martyrum: in quibus omnia verba ultro citroque dicta referuntur. * Ulpianus hac occaſione cenſet: *eos qui Notis ſcribunt Acta judicum, reip. cauſsâ videri abeſſe*. Ammianus, *Iudici aſſiſtentes hinc inde Notarios facit*. Manilius de Juriſprudente:

Hic etiam legum tabulas, & condita verba
Noverit, atque Notis levibus pendentia verba.

Quia crebro ſcilicet earum ibi uſus. quod tamen Juſtiniano diſplicuit, ob cauſſas: ‡ vetuitque *per ſignorum capitones & compen-*

† *Nec damnamus tamen Adſtantes.* * *Lib. 7 cap. 3.*
‡ *Lib. 14. ep. 4.*

pendioſa ænigmata Codicis ſui textum conſcribi. Publicè igitur hic uſus: at privatim, plurimus. ſive in epiſtolis, orationibus, ſcriptis aliis ſubitò dictandis; ſive in excipiendo ſtatim, & ſine jacturâ magna lectionis, adnotando. † Plinius minor, de majore: *Semper ei, etiam, in itinere, Notarium ad latus fuiſſe, cum libro & pugillaribus,* Idem de ſe alibi: *Notarium voco, & die admiſſo, quæ formaveram, dicto.* Quis neget grande in eo commodum? & quod calor vel intentio dictantis morâ non tepeſcit aut frangitur? Hodie ſi in lectionibus publicis, ubi Dictatura regnat, uſurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? Nam mira hîc in excipiendo celeritas: quæ finis & fructus propriè hujus inventi. Celeritas inquam tanta, ut *quamvis citata* * (verba Senecæ) *excipiatur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequatur.* Quid, ſequatur? imo præveniat: & ita Martialis in lemmate, *Notarius:*

> *Currant verba licet, manus eſt velocior illis.*
> *Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.*

† Manilius, de eodem:

> *Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.*

Au-

† *Cod. de utroque jure enucl.* * *Lib.3.* † *Epiſt.90.*

Auſonius ad ſuum Notarium,

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta, jam ceris tenes,
Tu me loquentem prævenis.

Et addit pulchrè:

Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Ideo *Furta verborum* Hieronymus dixit: * *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut Notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret.* Furta, inquam, vel quia eripiunt & præripiunt verba: vel etiã, quia tegunt, & compendio quaſi clepunt. Sed quid aut quales fuere igitur? inquies. Communiter poſſum dicere, videri duplices fuiſſe, *Litteras*, & *Signa. Litteras*, ut c[illegible] una alio[illegible]c aut illud verbi not[illegible] *Pupillus*: eadem inv[illegible]*us*: converſa O. [illegible]ſſim in libris [illegible] eæ paucæ eſſ[illegible]e verbis no-[illegible] ad quin[illegible] [illegible]

quia Notas litteras non eſſe Pedius ſcribit. Sidonius: *Tribuit & quoddam dictare celeranti ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa compendium, qui comprehendebant ſignis, quod litteris non tenebant.* Signa igitur, & parva. atque ita Plutarchus notificat: * σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα: *Signa in parvis & brevibus figuris, multarum litterarum vim includentia.* Auſonius *Puncta* appellat:

Punctis peracta ſingulis
Vt una vox abſolvitur.

Et benè *Singulis*: unde & ſic appellarunt. † Iuſtinianus in Conſtitutione Græcâ: Σημείοις ἐν τῇ γραφῇ, ἅπερ Σίγγλας καλοῦσι: ** *Notis in ſcripturâ, quas Singulas appellant.* Sed de *Punctis*, Etiam Prudentius, de Caſſiano martyre, doctore ejuſce [artis]:

[P]ræfuerat ſtudiis puerilibus, & grege multo
[S]eptus, magiſter litterarum ſederat,
[Ver]ba notis brevibus comprendere multa peritus,
[R]aptimque punctis dicta præpetibus ſequi.

[Tr]addit eum damnatum, & adjudica[tum i]pſis pueris, qui ſtilis foderent & con[fice]rent, imitatione illius artis. Itaque cla-

Red-

† Cod de utroque jure enucl.
** Hymn. 9.

Reddimus ecce tibi tam MILLIA MULTA *notarum.*
Quàm ſtando, flendo, te docente, excepimus.
Pangere puncta libet, ſulciſq; intexere ſulces.
Flexas catenis impedire virgulas.

Ex quibus videas & *Puncta* fuiſſe, & *Lineas*, & *Flexuras* ac *Catenationes*. Nec plura reperi, ajunt libros alibi in bibliothecis exſtare harum Notarum: cur non edunt? quanto utiliūs, quàm nugas quaſdam hodie atque heri natas? Enim verò periiſſe utiliſſimam (ita cenſeo) artem, dolendum eſt, & reparabilem tamen, ſi libeat adniti. Sinenſes hodieque characteres habent, quibus tota verba ſignant: ſed operoſos fere aut implexos. Expeditius aliquid oporteat. & credam à ſagacibus viris, in paucis diebus repertum iri, ſi jubeantur. Finivi mi Pater, tu judicabis, & tabellam dimittes, me animo tuo & precibus includes. In Muſæo noſtro, hodie horis matutinis.

JUSTI

JUSTI LIPSII EPISTOLICA INSTITUTIO.

CAPUT I.

De nominibus variis Epiſtolæ: & de forma apud veteres.

EPISTOLA qui rectè & laudabiliter ſcribatur, præire mihi propoſitum juventuti, ſed compendio: ad uſum, non ad ſpeciem · nec ut omnia quæ ad rem, ſed quæ in rem maximè, dicam.

EPISTOLÆ Græcanicum nomen eſt, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quaſi *Miſſoriam* dicas: (* Iſidorus interpretatur *Miſſam*) ſed in veteri tamen Latinorum uſu: & Plautus aliquoties uſurpat, & Afranius comœdiam etiam quampiam, *Epiſtolam* inſcripſit. *Vt* mediâ Politianus & nonnemo hodie ſcribunt, freti auctoritate librorum & lapidum, in quibus crebrò ſic reperias: ſed, niſi fallor, nunquam ante Veſpaſiani ævum. Et per, O ſanè rectiùs ſcripſeris magiſque ἀναλόγως. Aliis etiam nominibus

 priſ-

* *Lib.7 Orig.*

priſci appellavêre, *Litteras, Tabulas*, *Codicillos.* Litteras (poëtæ etiam *Litteram*,) ob eminentiam, & quia hoc genus creberrimi inter litteras omnes uſus: Tabulas, Tabellas, Codicillos à materie; quia ante chartæ & membranarum uſum (* Iſidori verba cito) in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia ſcribebantur. Unde & portatores earum Tabellarios vocaverunt.) Quæ tranſcripta moneo ex Hieronymi epiſt. XLII. Feſtus eidem rei: [Tabellis, inquit, pro chartis utebantur antiqui, quibus ultrò citroque certiores abſentes faciebant: unde adhuc Tabellarii dicuntur, & Tabellæ miſſæ ab imperatoribus.] Inde Plautus Epiſtolam circumſcribens Pſeudolo:

Per ceram & lignum, inquit, *litteraſque interpretes.*

Et paullo poſt:

Pro lignea ſalute vis argentum remittere illi?

Ejuſmodi Tabulæ Homero etiam notæ: apud quem Prœtus litteras Bellerophonti tradit ſcriptas ἐν πίνακι πτυκτῷ *in tabella* † *plicata.* Fieri ſolitæ inducta cera, è fago, abiete, buxo, tilia ſive phylira, acere, citro, ebore, quæ omnia exemplis firmare non hîc locus. Uſi tamen & charta ad hanc

*Lib. 7. Orig. † Iliad. ζ verſ. 169. Sive, *duplice*. L. 16.

hanc rem, idque ex Martialis lemmate facilè colligas, *Charta epiſtolares.* quod nomen hodieque Epiſtolæ tribuunt Hiſpani. Sed ſive Tabella, ſive Charta, paullò alia tamen ejus quàm hodie forma. Pagellæ enim erant, & ſpecies minuti libelli. Hinc Ciceronis illa capies: (*Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. † Et, Altera jam pagella procedit.) Excipio, quòd publicas litteras ad S.P.Q. grandiore forma, & tranſvarſa charta ſcribebant, ſcilicet quaſi Hiſtorias. Suetonii hæc mens in † Iulio, (Primus epiſtolas ad Senatum, ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſe fertur, cùm anteà Coſſ. ac Duces non niſi tranſverſa charta mitterent,) Cui Iſidorus dat lucem: (Quædam nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebautur, breviore forma, Carmina atque epiſtolæ,) at verò Hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur. (Et hinc * Senecam explico: Epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere) quod ſcilicet referendum ad anguſtias & minutam libelli formam.

* *Lib.*11. *ad Cœlium epi.*13. † *Lib.*11. *ad Brutum epi.*25. † *Cap.*45. * *Epiſt.*45.

CAPUT II.

Quid ſit epiſtola, & quæ ejus partes.

DEfinio autem Epiſtolam, SCRIPTUM ANIMI NUNTIUM AD ABSENTES, AUT QUASI ABSENTES. Ainmi nuntium dixi, quia finis Epiſtolæ duplex; aut affectu teſtando, aut rei ſignificandæ. Illum, ingerit Ambroſius ad Sabinum, *Epiſtolarum uſus eſt (inquit) ut disjuncti locorum intervallis, adfectu adhæreamus*: Hunc alterum, Cicero ad * Curionem, (*Hac cauſſa inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes ſiquid eſſet quod eos ſcire, aut noſtra aut ipſorum intereſſet.* Et ante eum * Turpillius: *Sola res eſt* † *quæ homines abſentes, præſentes facit.*

Recte igitur dixi, *abſentes*: ſed addidi etiam *quaſi abſentes*: quòd interdum ea uſurpata ad præſentes. Ita Auguſtus * *ſermones graviores cum Livia ſua non niſi in ſcriptis & è libello habebat.* Et idem Juliam ſuam in Amphitheatro * *admonuit ſcripto.* Quin mos ille ſub Tiberio principe * *etiam præſentem ſcripto adire.* quem originem ſumpſiſſe à Julio Cæſare ex Plutarcho colligas, qui (primus inquit) rationem reppe-rit

*Lib 2. * *Apud Hieron. epiſt.* 42. † *Velim tranſponi ut fiat Trochaicus:* homines abſentes. quæ præſ.
* *Sueton cap.* 84. * *Macro.* 2. * *Tac* 4. *Annal.*

rit amicos per literas conveniendi, cùm corâm agendi nec occupationes nec magnitudo verbis ſemper occaſionem daret.) Atque id genus propriè Codicillos appellabant. Senecæ ea mens epiſt. LVI. *Video te mi Lucili cùm maximè: audio adeò tecum ſum, ut dubitem an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.* Hæc definitio Epiſtolæ; ex quâ partes præcipuas ejus duas facio: Materiam & ſermonem.

Caput III.

Materies definita, diviſa, & de præmiſſis Epiſtolæ.

MATERIEM dico REM QUÆ SUBJECTA SCRIPTIONI. Ea duplex, Solennis & Varians. Solennis, QUÆ IN OMNI EPISTOLA, EADEM, AUT PÆNE EADEM, ET QUASI EX FORMULA RECURRIT. Qualia ſunt, Præloquium, & Clauſula. Præloquium intellego, QUOD EX RITU PRÆMITTITUR: ut Nomina & Salus. In Nominibus olim receptum, ut in ipſa fronte epiſtolæ bina ſemper ponerent, Suum & Alienum: illo præpoſito, etiam ad digniorem. Cum cauſſa. quoniã prima legentis cogitatio & deſiderium, eſt ſcire à quo miſſa. Etiam hoc ſervatum, ut nomina nuda, nec blandien-

ĉti & conferentes, membris inſitis, orationem explerent. Ac plurimum ita fuerit, certiuſque ita fuerit: arte tamen adauĉtâ, nihil ambigam vel unum ſuffeciſſe. Igitur publicè hîc uſus, orationes & diĉta excipere, ac provulgare. Ita Aſconius tradidit, orationem Ciceronis pro Milone, ipſam quam dixerat (nam hodierna hæc ſcripta modò eſt) *exceptam fuiſſe, quæ ſuo tempore exſtaret.* Et Fabius † queritur, *orationes aliquot ſuas circumferri, neglegentiâ excipientium in quæſtum Notariorum corruptas.* Culpat non de facultate, ſed de intentione: & quòd tantùm in quæſtum, non fidem, excepiſſent. Faĉtum idem in Aĉtis judicialibus. & documento hodieque aliquot Chriſti martyrum: in quibus omnia verba ultro citroque diĉta referuntur. * Ulpianus hac occaſione cenſet: *eos qui Notis ſcribunt Acta judicum, reip. cauſâ videri abeſſe.* Ammianus, *Iudici aſſiſtentes hinc inde Notarios facit.* Manilius de Juriſprudente:

Hic etiam legum tabulas, & condita verba
Noverit, atque Notis levibus pendentia verba.

Quia crebro ſcilicet earum ibi uſus. quod tamen Juſtiniano diſplicuit, ob cauſſas: ‡ vetuitque *per ſignorum capitones & compen-*

† *Nec damnamus tamen Adſtantes.* * *Lib. 7 cap. 3.*
‡ *Lib. 14. ep. 4.*

pendioſa ænigmata Codicis ſui textum conſcribi. Publicè igitur hic uſus: at privatim, plurimus. ſive in epiſtolis, orationibus, ſcriptis aliis ſubitò dictandis; ſive in excipiendo ſtatim, & ſine jacturâ magna lectionis, adnotando. † Plinius minor, de majore: *Semper ei, etiam, in itinere, Notarium ad latus fuiſſe, cum libro & pugillaribus,* Idem de ſe alibi: *Notarium voco, & die admiſſo, quæ formaveram, dicto.* Quis neget grande in eo commodum? & quod calor vel intentio dictantis morâ non tepeſcit aut frangitur? Hodie ſi in lectionibus publicis, ubi Dictatura regnat, uſurpetur: quanto bono, & quo temporis fœnore fiat? Nam mira hîc in excipiendo celeritas: quæ finis & fructus propriè hujus inventi. Celeritas inquam tanta, ut *quamvis citata* * (verba Senecæ) *excipiatur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequatur.* Quid, ſequatur? imo præveniat: & ita Martialis in lemmate, *Notarius:*

Currant verba licet, manus eſt velocior illis.
Nondum lingua, ſuum dextra peregit opus.

† Manilius, de eodem:

Quique notis linguam ſuperet, curſumque loquentis.

Au-

† *Cod. de utroque jure enucl.* * *Lib.3.* † *Epiſt. 90.*

Auſonius ad ſuum Notarium,

Tu ſenſa noſtri pectoris
Vix dicta, jam ceris tenes,
Tu me loquentem prævenis.

Et addit pulchrè:

Quis, quæſo, quis me prodidit?
Quis iſta jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?

Ideo *Furta verborum* Hieronymus dixit: * *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut Notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonis obrueret.* Furta, inquam, vel quia eripiunt & præripiunt verba: vel etiã, quia tegunt, & compendio quaſi clepunt. Sed quid aut quales fuere igitur? inquies. Communiter poſſum dicere, videri duplices fuiſſe, *Litteras*, & *Signa*. *Litteras*, ut cùm una aliqua hoc aut illud verbi notat. P. *Publius*: eadem, *Pupillus*: eadem inverſa, *Pupilla*. Item C. *Cajus*: converſa Ↄ. *Caja*: & quæ talia paſſim in libris aut monumentis. Sed cùm eæ paucæ eſſent, *Signa* reperta, pleriſque verbis notandis: quidni pleriſque? cum ad quinque *millia* fuiſſe à Senecâ, ſuprâ dictum? Ea autem aliâ quadam & minutâ facie, ut jure à *litteris* diſtinguantur. Juriſconſultus: † *Notis ſcriptæ tabulæ non continentur edicto,* quia

* *De Vitando ſuſp. contub.* † *L. 6. de bon. poſſ. Lib. 9. ep. 9.*

quia Notas litteras non eſſe Pedius ſcribit. Sidonius: *Tribuit & quoddam dictare celeranti ſcribarum ſequacitas ſaltuoſa compendium, qui comprehendebant ſignis, quod litteris non tenebant*. Signa igitur, & parva. atque ita Plutarchus notificat: * σημεῖα ἐν μικροῖς καὶ βραχέσι τύποις πολλῶν γραμμάτων δύναμιν ἔχοντα: *Signa in parvis & brevibus figuris, multarum litterarum vim includentia.* Auſonius *Puncta* appellat:

Punctis peracta ſingulis
Vt una vox abſolvitur.

Et benè *Singulis*: uude & ſic appellarunt. † Iuſtinianus in Conſtitutione Græcâ: Σημείοις ἐν τῇ γραφῇ, ἅπερ Σίγγλας καλοῦσι: ** *Notis in ſcripturâ, quas Singulas appellant.* Sed de *Punctis*, Etiam Prudentius, de Caſſiano martyre, doctore ejuſce artis:

Præfuerat ſtudiis puerilibus, & grege multo
Septus, magiſter litterarum ſederat,
Verba notis brevibus comprendere multa peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus ſequi.

Et addit eum damnatum, & adjudicatum ipſis pueris, qui ſtilis foderent & conficerent, imitatione illius artis. Itaque clamant:

Red-

* *In Catone.* † *Cod de utroque jure enucl.*
** Περὶ στεφ. *Hymn.* 9.

Reddimus ecce tibi tam MILLIA MULTA *notarum,*
Quàm ſtando, flendo, te docente, excepimus.
Pangere puncta libet, ſulciſq; intexere ſulces.
Flexas catenis impedire virgulas.

Ex quibus videas & *Puncta* fuiſſe, & *Lineas*, & *Flexuras* ac *Catenationes*. Nec plura reperi, ajunt libros alibi in bibliothecis exſtare harum Notarum: cur non edunt? quanto utiliuſ, quàm nugas quaſdam hodie atque heri natas? Enim verò periiſſe utiliſſimam (ita cenſeo) artem, dolendum eſt, & reparabilem tamen, ſi libeat adniti. Sinenſes hodieque characteres habent, quibus tota verba ſignant: ſed operoſos fere aut implexos. Expeditius aliquid oporteat. & credam à ſagacibus viris, in paucis diebus repertum iri, ſi jubeantur. Finivi mi Pater, tu judicabis, & tabellam dimittes, me animo tuo & precibus includes. In Muſæo noſtro, hodie horis matutinis.

JUSTI

JUSTI LIPSII EPISTOLICA INSTITUTIO.

CAPUT I.

De nominibus variis Epiſtolæ: & de forma Apud veteres.

EPISTOLA qui rectè & laudabiliter ſcribatur, præire mihi propoſitum juventuti, ſed compendio: ad uſum, non ad ſpeciem: nec ut omnia quæ ad rem, ſed quæ in rem maximè, dicam.

EPISTOLÆ Græcanicum nomen eſt, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quaſi *Miſſoriam* dicas: (* Iſidorus interpretatur *Miſſam*) ſed in veteri tamen Latinorum uſu: & Plautus aliquoties uſurpat, & Afranius comœdiam etiam quampiam, *Epiſtolam* inſcripſit. *Vt* mediâ Politianus & nonnemo hodie ſcribunt, freti auctoritate librorum & lapidum, in quibus crebrò ſic reperias: ſed, niſi fallor, nunquam ante Veſpaſiani ævum. Et per, O ſanè rectiùs ſcripſeris magiſque ἀναλόγως. Aliis etiam nominibus

I prif-

* *Lib.7 Orig.*

priſci appellavêre, *Litteras, Tabulas, Codicillos.* Litteras (poëtæ etiam *Litteram,*) ob eminentiam, & quia hoc genus creberrimi inter litteras omnes uſus: Tabulas, Tabellas, Codicillos à materie; quia ante chartæ & membranarum uſum (* Iſidori verba cito) in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia ſcribebantur. Unde & portatores earum Tabellarios vocaverunt.) Quæ tranſcripta moneo ex Hieronymi epiſt. XLII. Feſtus eidem rei: [Tabellis, inquit, pro chartis utebantur antiqui, quibus ultrò citroque certiores abſentes faciebant: unde adhuc Tabellarii dicuntur, & Tabellæ miſſæ ab imperatoribus.] Inde Plautus Epiſtolam circumſcribens Pſeudolo:

Per ceram & lignum, inquit, *litteraſque interpretes.*

Et paullo poſt:

Pro lignea ſalute vis argentum remittere illi?

Ejuſmodi Tabulæ Homero etiam notæ: apud quem Prœtus litteras Bellerophonti tradit ſcriptas ἐν πίνακι πτυκτῷ *in tabella* † *plicata.* Fieri ſolitæ inducta cera, è fago, abiete, buxo, tilia ſive phylira, acere, citro, ebore, quæ omnia exemplis firmare non hîc locus. Uſi tamen & charta ad hanc

*Lib. 7. Orig. † Iliad. ζ verſ. 169. Sive, duplice. L. 16.

hanc rem, idque ex Martialis lemmate facilè colligas, *Chartæ epiſtolares.* quod nomen hodieque Epiſtolæ tribuunt Hiſpani. Sed ſive Tabella, ſive Charta, paullò alia tamen ejus quam hodie forma. Pagellæ enim erant, & ſpecies minuti libelli. Hinc Ciceronis illa capies: (* Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. † Et, Altera jam pagella procedit.) Excipio, quòd publicas litteras ad S.P.Q. grandiore forma, & tranſvarſa charta ſcribebant, ſcilicet quaſi Hiſtorias. Suetonii hæc mens in † Iulio, (Primus epiſtolas ad Senatum, ad paginas & formam memorialis libelli convertiſſe fertur, cùm anteà Coſſ. ac Duces non niſi tranſverſa charta mitterent,) Cui Iſidorus dat lucem: (Quædam nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebautur, breviore forma, Carmina atque epiſtolæ,) at verò Hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur. (Et hinc * Senecam explico: Epiſtola non debet ſiniſtram manum legentis implere) quòd ſcilicet referendum ad anguſtias & minutam libelli formam.

* *Lib.11. ad Cœlium epi.13.* † *Lib.11. ad Brutum epi.25.* † *Cap.45.* * *Epiſt.45.*

CAPUT II.

Quid ſit epiſtola, & quæ ejus partes.

DEfinio autem Epiſtolam, SCRIPTUM ANIMI NUNTIUM AD ABSENTES, AUT QUASI ABSENTES. Ainmi nuntium dixi, quia finis Epiſtolæ duplex; aut affectu reſtando, aut rei ſignificandæ. Illum, ingerit Ambroſius ad Sabinum, *Epiſtolarum uſus eſt (inquit) ut disjuncti locorum intervallis, adfectu adhæreamus*: Hunc alterum, Cicero ad * Curionem, *(Hæc cauſſa inventa res ipſa eſt, ut certiores faceremus abſentes, ſiquid eſſet quod eos ſcire, aut noſtra aut ipſorum intereſſet*. Et ante eum * Turpillius: *Sola res eſt* † *quæ homines abſentes, præſentes facit*.

Recte igitur dixi, *abſentes*: ſed addidi etiam *quaſi abſentes*: quòd interdum ea uſurpata ad præſentes. Ita Auguſtus * *ſermones graviores cum Livia ſua non niſi in ſcriptis & è libello habebat*. Et idem Juliam ſuam in Amphitheatro * *admonuit ſcripto*. Quin mos ille ſub Tiberio principe * *etiam præſentem ſcripto adire*. quem originem ſumpſiſſe à Julio Cæſare ex Plutarcho colligas, qui (primus inquit) rationem reppe-

rit

* *Lib 2.* * *Apud Hieron. epiſt.42.* † *Velim tranſponi ut fiat Trochaicus:* homines abſentes. quæ præſ. * *Sueton cap.84.* * *Macro. 2.* * *Tac 4. Annal.*

rit amicos per literas conveniendi, cùm corâm agendi nec occupationes nec magnitudo verbis ſemper occaſionem daret.) Atque id genus propriè Codicillos appellabant. Senecæ ea mens epiſt. LVI. *Video te mi Lucili cùm maximè: audio adeò tecum ſum, ut dubitem an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.* Hæc definitio Epiſtolæ; ex quâ partes præcipuas ejus duas facio: Materiam & ſermonem.

CAPUT III.

Materies definita, diviſa, & de præmiſſis Epiſtolæ.

MATERIEM dico REM QUÆ SUBJECTA SCRIPTIONI. Ea duplex, Solennis & Varians. Solennis, QUÆ IN OMNI EPISTOLA, EADEM, AUT PÆNE EADEM, ET QUASI EX FORMULA RECURRIT. Qualia ſunt, Præloquium, & Clauſula. Præloquium intellego, QUOD EX RITU PRÆMITTITUR: ut Nomina & Salus. In Nominibus olim receptum, ut in ipſa fronte epiſtolæ bina ſemper ponerent, Suum & Alienum: illo præpoſito, etiam ad digniorem. Cum cauſſa. quoniã prima legentis cogitatio & deſiderium, eſt ſcire à quo miſſa. Etiam hoc ſervarum, ut nomina nuda, nec blandien-

tia aut laudantia verba, ſibi alterive tribuerent, excipio, ſi quis in imperio aut magiſtratu. Tum enim verbo additum (P. Servilius Rullus Trib. pl.x.vir Cnel.Pompejo proconſulis. At Epitheta nulla: niſi ad unicè caros aut domeſticos. quos interdum (Humaniſſimos, Optimos, Suaviſſimos, Suas animas) appellabant, & receptiſſimo verbo *Suoi*. Quod poſtremum interdum etiam ad leviter notos uſurpabant, ut apud Livium (Prætores Syracuſani Marcello Suo.) Priſci interdum: ſed labens ætas paſſim & omnibus dedit. adeò ut Imperatorem ipſum ſane quàm familiariter *Suum* ſalutet Plinius in magni operis præfatione. Ab hac mente Martialis:

Seu leviter noto, ſeu caro miſſa ſodali,
Omnes iſta ſolet charta vocare SUOS.

Et in Plinii Junioris epiſtolis vix aliter legas: ſicut & Pandectarum aliquot locis. Olim iſta: Ego hodie temperem ad uſum noſtri ævi, & alieno ingenio interdum ſerviam potiùs, quàm meo. Ad doctos, probos, ſimplices ſimplicia hæc ſervem: ad magnates aliter, nec temerè nomen meum præpoſuerim, & appellandi formulâ potiùs ſcripſerim, *Maximè Rex*, *Illuſtriſſime Princeps*, *Ampliſſime Domine*, &c. Miſera oſtentatio ſcientiæ, quæ riſum aut offenſam debet, utique in epiſtola, quæ tum de-

demum rectè ſcripta, cùm videtur illi cui ſcripta. At de Salute, clarum eſt olim eam poſt ipſo Nomina adjectam: haud dubiè ex colloquiorum more, quo in occurſu ſtatim ſalutamus * Græcis ſimile, quibus χαίρειν præcari in uſu fuit, aut εὖ πράττειν: quæ Epicuri ſalutatio, aut ὑγιαίνειν: quod diſputatiunculâ quâdam præfert Plato ad Dionyſium. Horatius non præter ſolitum Græcus, expreſſit iſta:

Celſo gaudere & bene rem gerere Albinovano.

Muſa rogata refert.

Omittebant hæc interdum, & præſertim Reges, quaſi per majeſtatem. Plutarchus notat. († Alexandrum, victo Dario, abſtuliſſe ab epiſtolis, τὸ χαίρειν,) illud Saluere (exceptis quas Phocioni ſcribebat, quem unum, ſicut Antipatrum, compellabat, poſt Salutem dictam.) Pertinere etiam ad Præloquium videbatur vetus ordiendi formula. S.V.B.E.E.V. quæ in privatis litteris frequens, in publicis perpetua, etiam poſteriore ævo. Concipi ſolet & his notis, S. V. G. E. V. id eſt, *Si vales gaudeo, ego valeo.* Quæ apud Oppium de bello Hiſpanienſi lectæ, fruſtra turbant & ad mutandum impellunt eruditos.

* *Vide Diogen. Laërtium in Plat. Epiſt.* III.
† *In Phocione,*

CAPUT IV.

De iis quæ ad finem epiſtolæ, itemque de Signo.

AD Clauſulam venio: quam appello TERMINUM EPISTOLAE ET FINEM. In eâ hæc quinque ſolemnia ferè inſunt: I. *Valedictio*, quæ inſerta pariter ex ſermonis ritu, quo abeuntes alter alteri bene precamur. Expreſſa antiquis ſimplici verbo *Vale*. Ovidius*:

Accepe, quo ſemper finitur epiſtola verbo,
Atque meis diſtent ut tua fata. Vale.

Interdum *Have*, *Salve*: nec indecorè cum adjectiuncula *mi anime*, *mi ſuaviſſime*, Aut alio verbo, ad argumentum apto: *Vale & veni*, *Vince & valde*. Interdum & voto concepto: *Deum precor ut te ſervet, conſilia tua fortunet*, &c. Quæ omnia cum judicio imitanda, aut immutanda pro re perſona. II. *Loci adjectio*, quæ neceſſaria inter abſentes: niſi de eo planè conſtet. Itaque Ciceroni crebro omiſſa: & in pari cauſſa omittendá nobis. III. *Temporis*, in quo dies ſemper; annos plurimùm, horas interdum notatas invenies. IV. *Subſcriptio*, quæ priſcis ignota: niſi fortè in literis ad Imperatores: quibus ſubſcriptum per ſpeciem honoris & obſequii,

* De-

* 5. *Triſt.*

* *Devotos ſe eſſe.* Nos tamen uſurpamus, nec damnō apud grandes aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, imò vile. v. èſt *Subſcriptio*, quæ nobis inter legitima, veteribus rarò fortaſſe uſurpata.

Dabant enim plerumq; & mittebant per Pueros ſuos aut Tabellarios notos: nec aliud in exteriore epiſtola quàm Signum & Linum. Illud plerumque erat † Imago propria, aut alicujus è majoribus, impreſſa ceræ ſive cretæ. De cera notum eſt: de creta, veniſſe in hunc uſum Cicero oſtendit IV. in Verrem: *Signum iſte animadvertit in cretula.* Et pro Flacco *Aſiaticam cretam* in hac re appellat. Linum fuit, vinclum quo epiſtola obligata, & cui ſignum ipſum impoſitum impreſſumque. Plautus;

Cedo tu ceram ac linum: age, obliga, obſigna citò.

Nec aperire epiſtolâ fuit niſi illo ſoluto, Inde apud Curtium: *At Parmenio vinculum epiſtolæ ſolvit.* Apud Ciceronem: *Incidere linnum.* & paſſivâ, vulgataque phraſi, *Solvere epiſtolam.* Ferè autem ſignum cum eo fractum. ideoque jubebant ſemper ante

I 5 aper-

* *Ex Dione* 57. *Suet. in Tib.* 32. *Et priſcis lapidd.* D. N. M. Q. E. *id eſt,* Devotus Numini Majeſtatique ejus. † *Sive alia aliqua. ut Auguſtus Sphinge ſignare ſolebat, poſtea imagine Alexandri, poſtremum ſua.*

apertionem Signa agnoſci, fidei cauſâ. in Plautinis:

Accipe, hem cognoſco ſignum.

Iterum:

Cape ſignum noſce.

Cicero in Catil. Oſtendi tabellas Lentulo, & quæſivi cognoſceretne ſignum? Annuit: Eſt verò inquam imago avi tui clariſſimi viri.) Salluſtius. (Pellectis litteris, cùm priùs omnes ſigna ſua cognoviſſent. Hoc curioſè ideò: quia ſigno corrupto facile & tutum negare à ſe ſcriptam utique cùm dictaſſent (ut ſæpe) & alienâ manu eſſet. Ita olim, nec tamen rigidè abnuò, quin aliquando ſuper ſcriptum. Plutarchus in Dione, inter plures epiſtolas quæ adlatæ *μία δ' ἦν*, inquit, *ἔξωθεν ἐπιγεγραμμένη τῷ πατρὶ παρ' Ἱππαρίνου*: *Una erat exterius inſcripta, Patri ab Hipparino.* Quod pro eorum opinione ſit, qui volunt ea quæ in capite ac fronte epiſtolarum veterum ſemper legimus, fuiſſe Tabellarii cauſâ in earum dorſo. Sed quidquid hujus ſit, nobis ſuperſcriptio uſurpanda: ſive ob ignotos ignorantéſque Tabellarios, ſive magis ob receptiſſimum morem, cum quo fruſtrà pugnemus. Quin & Titulis, eodem auctore, uti ſuadeam: ſine ambitione tamen aut profeſsâ nimis adulatione. Hæc Solemnis Materies epiſtolæ. in quam licet

cet advocem Epiſtolas totas, quas *Formales* * Suetonius appellat. Ea de unâ aliquâ re, unâ ac ſimili formâ, ad plures ſcribuntur: in negotiis publicis, inque aulis Principum etiam hodie uſitatæ. quas ipſas *Canonicas* (niſi fallor) * Caſſiodorus appellat.

* *In Domit.ca.*13. * *Lib* 11. *Var. Epiſt.* 23.

CAPUT V.

De Materie varia, ejuſque ſectione.

AT Variantem Materiem appello, QUÆ DIVERSA IN QUAQUE EPISTOLA EST: IPSA OCCASIO SCRIBENDI ET CAUSSA. Ea multiplex: nec minùs latè patet quàm hæc vita. Quid enim rei divinæ aut humanæ eſt, quod non ſermone communicamus? ergo & Litteris, quæ alter ſermo. Sed tamen diffuſam coërcere his terminis poſſe videor, ut omnis ea ſit triplex; (Seria, Docta, Familiaris. SERIAM dico, quæ ad publica aut privata pertinet, ſed uberiùs ea tractat, & cum cura.) Id genus inter publica ſunt. Narrationes, Diſſertiones, Deliberationes, de ſtatu rerum, de militia, de pace, & his talibus. Inter privata, (Conſolationes, Admonitiones, Petitiones, Objurgationes, Excuſationes, Suaſio-

ſiones, Laudationes,) & uno verbo, quicquid paullo magis ſeriò ſcribimus, & una in re velut figentes pedem. Quod genus ſæpe incurrit, & plerumque neceſſariò, interdum animi cauſſa, uſurpatur. DOCTAM dico (quæ ea quæ ad ſcientiam aut ſapientiam, continet, & res non epiſtolæ, epiſtolæ veſte velat.) Talis triplex: aut enim *Philologa* eſt, & in amœnioribus ſtudiis occupatur, ut olim Varronis Quæſtiones Epiſtolicæ, Valgii Ruffi Quæſita per Epiſtolam. Aut *Philoſopha*, & de Natura vel Moribus agit: ut Senecæ noſtri epiſtolæ, ſed & Platonis. At denique *Theologa*, quæ in ſacris rebus dedita, ut ſunt Auguſtini, Hieronymi, Cypriani, Baſilii, Gregorii utriuſque. Denique FAMILIAREM dico, quæ res tangit noſtras aut circa nos, quæque in aſſidua vita.) Ea propria & creberrima Epiſtolæ materies: & ſi verum fateri volumus, germanæ illius una. Cui priora illa duo. *Seria*, inquam, & *Docta* ſæpe admixta, ſed admixta; variumque ei ſemper nec ſimplex argumentum.

CAPUT VI.

De Inventione pauca & ordine.

SAtis de univerſa Materie dictum: de Inventione & Ordine addendum aliquid

quid eſt. ſed breviter. Nam ad Inventionem uberibus præceptis quid opus? Cùm ſemper ea prompta, nec ad epiſtolam ſcribendam veniatur, niſi argumento concepto, & mente (ut ita dicam) tumente. Quod in *Familiaribus* veriſque Epiſtolis perpetuum eſt. In *Seriis* aut *Doctis* paullò aliter, quibus quomodo aggerenda aut amplificanda Materies ſit, nihil hîc ego, ſed Rhetorum te libri docebunt. Nec in *Ordine* quidem admodum laboro, qui optimus in Epiſtola neglectus aut nullus. Ut in colloquiis incurioſum quiddam & incompoſitum amamus, ita hîc. Adeò ut nec in Reſponſionibus ordine & diſtinctè ad capita ſemper reſpondeamus: ſed ut viſum, atq; ut hoc illudque in mentem aut calamum venit. Omnino decôra eſt hæc incuria: & magnus * Magiſter rectè monuit, *Epiſtolas debere interdum hallucinari.* Itaq; ille ipſe hæſitat, revocat, turbat, miſcet, nec quicquam magis curaſſe videtur, quàm ne quid curæ præferret. Tamen in *Seriis*, non nego de Ordine paullò magis ſatagendum, ſed ita, ut ſemper infra Oratoriam illam diligentiam conſiſtas, & imitere eam, non æques. Præceptis cur te alliges? Ut imperatori in acie certus aliquis ordo eſt, nec tamen unus: ſic tibi in omni materie, quam pro re, pro judicio diſpone.

* *Cicero ad Attic.*

CAP.

CAPUT VII.

De Sermone. quæ de eo dicenda: & primum de Brevitate.

VEnio ad Sermonem: cujus cauſſa, fateor, Inſtitutio hæc ſuſcepta. Nam de Materie, totum mediocres cujuſdam prudentiæ eſt: & vix peccatur. at in Sermone, Labor & Error eſt, nec corpus illud hodie crebrò cultum vidimus (liberè effero) decenti hac veſta. Sermonem appello, ELOCUTIONEM ET STILI MODUM EPISTOLÆ APTUM. Is ut talis fiat, dupliciter eum conſiderabo: *Vniversè* & *Diſtinctè*. Universè, in toto Habitu & conformatione epiſtolæ: Diſtinctæ, in partibus, id eſt *Phraſi* & *Verbis*. De habitu igitur ſermonis epiſtolici, præcipio ut quinque iſta ſerves: *Brevitatem*, *Perſpicuitatem*, *Simplicitatem*, *Venuſtatem*, *Docentiam*. Prima illa, prima mihi ſermonis virtus eſt: adeòque epiſtolæ propria, ut ſi longior, (cum Demetrio ſentio) Libri jam nomen aſſumat, Epiſtolæ amittat. Cùm tam multa ea nuntiet, qui debet multis? Addo, quòd ut in ſermone aut fabulis ſic in epiſtolis odioſa garrulitas. Quam tamen, quod obſerves, imperitiſſimus quiſque affectat, & loquentes ferè plurimum, qui minimum eloquentes. Ut corpore te-

nues,

nues, veſte ſe dilatant, ſic qui ingenii aut ſapientiæ inopes, diffundunt ſe verbis. At Brevitas mihi amata, & iis qui ſapiunt: ſi tamen cum judicio ea uſurpata & modo. Peccari enim & hic poſſe ſcio & ut in ſagittâ mittendâ, non minus aberrat qui citra ſcopum, quam qui ultra jaculatur, ſic in ſcribendo, quiſquis pauciora quam pro re, aut plura dicit. Modum autem à materie ſpecto. ſi *Seria* Epiſtola aut *Sapiens*, diffundi paullò magis velim, & rei per ſe gravi addi verborum aliquod pondus. Si *Familiaris* contrahi: nec res tenues ac multas ornari laciniâ ſermonis. Scilicet ut vela pro magnitudine navium: ſic verba debent eſſe, pro rerum. Judicium porrò ſumo à perſonis: idque dupliciter; A *Qualitate*, à *captu*. Ab illa: ut ſi ad Ignotos aut Magnates ſcribitur, uberior & floridior paullò epiſtola ſit. quia ſtricta illa brevitas apud hos tales, non abeſt à contemtu. Aliter, ſi ad amicos, aut æquales. A Captu: ut ſi ad leviter doctum aut acutum, ſi ad juvenem extendam tunc profectò, nec tenebras ingeniis offundam per ſe parum claris. Atque id mihi in omni perſonâ valdè notâ: ut illi, inquam, te ſtilùmque tuum attemperes. quoniam caput artis, ſcribere accommodatè. Qui fiet igitur Sermo brevis? obſervatione triplici, Re-

rum, Compoſitionis, Verborum. rerum, ut ſupervacuum nihil admiſceas, nil repetas, inprimis non capita ad quæ reſpondes. *Compoſitionis*, ut ſtructuram & periodum longiorem omnem fugias: membris utare, & aſyndetis ſæpe. *Verborum,* ut lætior omnis phraſis, allegoria, imago abdicetur: parca & pura oratio ſit, neceſſariâ ſupellectile verborum contenta.

Habes de Brevitate; quæ viris mihi dicta, non juventuti, ſunto. adeò enim hanc ad eam non voco, ut etiam abſterream: ſive quia tutò adſumere vix poteſt, & Brevitatis imitatio facllimè ætatem hanc decipit. ſive quia nec utiliter poteſt, & juvenili illo brevitatis ſtudio (ſæpe vidimus) aridus plerumq; & exſuccus ſtilus evadit. nec facilè ad laudatam illā temperiem venitur, niſi initio ubertas quædam & luxuries ſit, quam ætas paullatim depaſcat.

Caput VIII.

De Perſpicuitate, quî peccetur in eam, qui paretur.

Virtus altera, *Perſpicuitas*, de induſtriâ à me Brevitati ſubtexta, quia periculum magnum huic ab illâ. Quàm ardua, quàm rara illa Brevitas, quæ non prætervolet aures aut defraudet? in quâ legentis ſenſus non opus ſit intendi? Atqui

qui ſemel hoc imbibe: ſummum in ſermone vitium eſſe, non ſolùm non capi, ſed etiam ægrè capi. In quo peccant quidam Naturâ, qui ipſi obſcuri & reconditi talia efferunt: plures, ſtudio, qui nihil doctum aut laudabile putant, niſi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Stulti! quia malè ingenioſus ille, ad quem capiendum opus eſt ingenio: præſertim in Epiſtola, quæ arbitrum aut interpretem non quærit. Clarè ergo ſcribito, ſi potes, & breviter. ſed ita, ut hoc laudis eſſe ſcias, illud neceſſitatis. Clarus autem ſermo erit, præcepto triplici: Si verba in eo propria: ſi uſitata, ſi collocata.

CAPUT IX.

De Simplicitate duplici, & ad hanc monita.

Tertiam virtutem poſui ſimplicitatem: intellectu duplici, quia & in ſtilo eam exigo, & in Mente. De ſtilo: certum, & veterum exemplo teſtatum eſt, ſimplicem eum eſſe debere, ſine cura, ſine cultu, ſimillimum quotidiano ſermoni. Itaque Demetrius, ut Dialogum, Epiſtolam ſcribi vult: & ipſe Cicero, (texri eam quotidianis verbis.) Seneca appoſitè: (Qualis ſermo meus eſſet, ſi una ſederemus aut ambulare

mus,

mus, illaboratus & facilis, tales volo eſſe epiſtolas meas.) Quod feminas ornare dicitur, non ornari, hoc epiſtolam. quam ſequi decor debet, non ab ea aut in ea affectari. At de mente: ita intellego, ut ſimplex quiddam & ingenuum in tota ſcriptione eluceat, & aperiat candorem quendam liberæ mentis. Nulla enim ex re magis natura cujuſque & certa indoles elucet (Demetrio verè ſcriptum) quàm ex epiſtola. Itaque optima ea tibi repræſentanda, & imprimis illi ad quem ſcribis amica, ut inquam lenium affectuum, & benevolentiæ illud, ut ſic dicam, ſaccharum, inſpergatur, fiatque delectabilis, & ad legentis guſtum. Quo in genere Cicero unicus, & unicè imitandus. Præceptis enim aliis res non continetur. Cautionem addo ſive exceptionem: pro re interdum epiſtolam aſſurgere, & paullò ſtudioſius ſcribi (ut in ſeriis:) ſed tamen ita, ut ſimplicitatem totam non exuat, & ornamenta interdum habeat, lenocinia nunquam. Nam illæ quæ ad pompam & oſtentationem ingenii ſcriptæ (quales Philoſtrati & Phalaridis, item Syneſii & Plinii nonnullæ) neſcio an tueri nomen veræ epiſtolæ apud judices veros poſſint.

CAP.

CAPUT X.

Junctim de Venuſtate & Decentia.

RElìquæ mihi duæ virtutes *Venuſtas* & *Decentia*: etſi vix reliquæ. Utraque enim ejuſmodi, ut admonere de ea breviter poſſim, non docere. Illa ab Ingenio tota eſt: hæc à Judicio: quorum utrumque ſpernit ligari præceptorum his vinclis. (Venuſtatem appello, cum ſermo totus alacer, vivus, erectus eſt, & allicientem quandam gratiam Veneremque præfert.) Quod natura ferè dat, nonnihil tamen & duplex hæc monitio. Primùm, ut Adagia Alluſioneſque ad dicta aut facta vetera, verſiculos aut argutas ſententias utriuſque linguæ interdum immiſceas. Secundùm, ut jocis ſalibuſque opportunè condias: quos animam & vitam epiſtolæ eſſe, non fugiam dicere.

At *Decentiam* intelligo, id quod Græci τὸ πρέπον, quæ tum in epiſtola, cùm omnia aptè & convenienter ſcripta. Quod fiet aſpectu duplici: *Perſonæ* & *Rei*. *Perſonæ* dupliciter: ſi tuam reſpicis, & ejus ad quem ſcribis: Rei autem, ſimpliciter: ut omnia pro argumento: & ſententiarum phraſiumque veſtis apta ſit corpori rerum. Magna hæc, ſed oculta virtus: * nec immeritò Ci-

* *In Ora. ad Brutum.*

* Cicero monuit, (ut in vita, ſic in oratione, nihil difficilius eſſe, quàm quid deceat, videre.) Nec verba hîc perdam: quia ſcio Judicii totam hanc rem eſſe; quod à natura pete, non ab Arte.

* *In Orat. ad Brutum.*

Caput XI.

Ad Sermonem diſtinctè tranſitum, eum parari Imitatione: ad hanc tria præcepta. & primum de iis qui, & quando, legendi.

Dixi universè de Sermone: magis diſtinctè ad partes ejus tranſeo, *Phraſim* & *Verba*. Illam appello, Voces duas aut plures in sententia junctas: Hæc, Voces ipsas singulas. In illis *Elegantia* & *Nitor* requiritur: in his *Latinitas* & *Proprietas*. Ea omnia hodie, vel ex *Auditu* haurienda ſunt: vel ex *Lectione*. Ex illo leviter: quia nec adhærent audita animis, æquè ac lecta: nec eſt ferè ut optima audiantur, quia & rarus Latinus ſermo, & pauci ea cura loquuntur qua ſcribunt. Itaque doctiſſimi ac diſertiſſimi, ſæpe in ſermone alii: nec temerè exemplum vidimus, aut videbimus eloquentiæ, quam formavit Auditio ſola. Lectio igitur magis tuta, magis utilis, ſic tamen, ut *Imitatio* ei adjuncta ſit: ſine qua languida hæc, imo va-

vana. *Imitationem* dico, SERMONIS NOSTRI AD SERMONEM VETEREM, APTAM CONFORMATIONEM, ET STILO EXPRESSAM. A qua(uno verbo dicã)ſpes omnis creſcẽdi huic ſegeti Phraſium & Verborum. Nam Ars alia, quicquid conentur, non magis diſertos fecerit, quã vates ſomnium in Parnaſſo. De illa igitur cum cura & ad uſum dicam: & quidem hæc tria, (Quos & Quando legas: Quid & è quibus ſeligas: Quid exprimas & quid vites.) In primo: utinam ea copia ſcriptorum hodie, ut jure ambigua haberi hæc iis poſſit! Pauci relicti veteres: quis controverter, quin ii legendi omnes ſint? niſi fortè nuper aliquot Itali, qui in arctum reductam eloquentiam concluſerunt finibus tantùm Tullianæ lectionis. O vani & faſtidioſi! non ſolùm præter mentem magiſtrorum veterum, ſed præter rationem præterque uſum. Quos nunc non refello, & adhæſiſſe olim me, ſcio paullo juvenilius, donec repreſſit & revocavit maturioris judicii frænum. Tu mecum, omnes legendos imitandóſque tibi certò ſtatue: non ſimul tamen aut omni ævo. Diſcrimen aliquod temporum eſt, quod utiliter enotabo. Eſt *Puerilis* quædam & prima, Imitatio: eſt *Creſcens*, eſt *Adulta*. In illa prima, Italorum hæreſis mihi placeat:

ceat: & aliquamdiu Cicero non præcipuus ſolum legatur, ſed ſolus. Cui fini? ut corpus ſcilicet illud & contextus orationis primùm ſerio formetur uno quodam habitu, & æquabili ſermonis filo. Neſcio an idem cenſerem, ſi Calvus, Cælius, Brutus, Cæſar, & alii è claſſe Oratorum extarent. Sed, ut hodie res eſt, quis præter Tullium periodos, membra, numeros, & continuatam illam orationis ſeriem nobis ſuggeſſerit? A qua, me quidem judice, neceſſariò initium faciendum juventuti. Ut pictor cum tabulam incepit, primum hominem totum delineat, colores mox aptos quærit, & addit cuique parti: ſic meus Imitator, corpus eloquentiæ ſuæ formet, pigmenta deinde variè conquirat. Niſi facit, (crede juventus, aut ſerò credes) hiulca ſemper, incompoſita, & è variis varia quædam ſtili forma gignetur, nec ſatis ſibi conſtans, quotidie video, & peccati cauſſam non ignoro, Cicero igitur primus primas teneat: & teneat ſolus. Sed quamdiu? pro ingeniis tempus definiam; in molliore aliquo, annum: in duriore, alterum etiam annum. Et addo non inutiliter, ſub hanc ipſam curam, Manutii epiſtolas, Sadoleti, Bembi, Bunelli, atque in primis Longolii noſtri, legi poſſe. non quia ipſi (liberè dicam) valdè probi, ſed quia pue-
rili

rili quodam affectu Ciceronis illam orbitam anxio pede preſſerunt, ideóque per eorum veſtigia tutior & facilior tibi curſus. At in *Creſcentem* & *Iuvenilem* Imitationem alios admitto: ſed ſucceſſu tamen, nec ut ſaltu pergas, ſed per quoſdam velut gradus. Itaque meo conſilio, eos hâc primùm adeas qui à Cicerone minimùm abeunt, & qui copiâ, ſuavitate, fluxu dictionis, referant beatam illam facilémque naturam. Qualis Fabius inprimis, & nonnihil Q. Curtius, Vellejus, Livius, Cæſar: ſimiliores futuri, niſi retinuiſſet & ſteriſſet alia ſpecies argumenti. Hos igitur tunc lege, ſed leviter: at cùm omni ſtudio Plautum & Terentium, qui ſemel corpore illo Sermonis & tanquam ædificii formâ conſtitutâ, utiliſſimè adhibebuntur ad poliendas omnes partes. Verborum proprietas à quibus petatur melius? à quibus Phraſium ille nitor Atticus? Jam venus, & lepor & comitas à quibus uberius hauriatur, quàm à meo comico? Plautum enim hic ſolum intelligo, & præpono (nec impono: quia ex animo ita ſentio) omnibus, qui in Latio aut Græciâ imbuerunt chartaceum hoc æquor. Hi ad Epiſtolam (de Orationibus enim aliter cenſeo) & familiarem ſcriptionem imprimis apti; quia reverâ epiſtola quid aliud, quam cottidiana diſſertio? ut

non

non errarit Artemo apud Demetrium, qui cenſet eodem modo Dialogum & Epiſtolam ſcribi. Et Plinius ab eâdem causâ, epiſtolas matronæ cujuſdam dilaudans, cum Plauto & Terentio metro ſolutis eas componit. Quin ipſum Plinium, in ſecundâ hac claſſe jure colloco, terſum, acutum, nitidum; ſed non ſine deliciis molliculum interdum, & parùm virum. Cui comitem novum do, ſed majorem novis, Etruſcum illum Angelum, qui (niſi quod affectatæ interdum & quæſitæ in eo argutiæ) cum illis ipſis priſcis pari paſſu decurrere poſſe videatur Epiſtolarum hunc campum.

Hoc velut tirocinii biennium ſit: quo manus hæc ſtili coërcenda nonnihil intra puram togam. cui jam deinceps, in *Adulta* Imitatione, liberè permittam exerat ſe & vagetur per ſcriptorum omne genus. Legat, videat, & flores ex omni prato carpat ad Eloquentiæ hanc corollam. Sed in primis ſuadeam Salluſtium, Senecam, Tacitum, & id genus brevium ſubtiliumque ſcriptorum jam legi, quorum acuta quaſi face luxuries illa pauliſper recidatur, fiátque oratio ſtricta, fortis, & verè virilis.

Fini de parte prima: niſi quod leviter addo: perutile futurum eundem illum Ciceronem legi quotidie & relegi, veſpertinis præſertim horis, &, ſi oportunitas feret,

ſub-

ſub ipſum ſomni tempus. Mens tunc neſcio quomodo meliùs arripit, retinet & concoquit per quietem. Tenta, reperies in levi monito non leve momentum.

CAPUT XII.

De Excerptis, quo ordine ea reſtituenda, & à quibus ſingula carpenda.

QUid *ſeligas* & *à quibus*, partem feci alteram, de qua etſi exemplis dicere faciliùs poſſem, quàm ſcriptis, tamen breviter hæc habe. Lectionem ipſam non ſufficere, ne repititã quidem, imò nec in feliciſſima memoria: ſed opus eſſe *Excerptis* quibuſdam & *Notis* rerum verborúmque ſingularium, quas imitemur: quæ excerpta Memoralibus libellis, tam quam ærario, contineri velim, unde ſermonis illæ opes, per tempus, & ad uſum promantur. Fieri autem libellos triplices: unum quem *Formularum* dixerim; alterum, quem *Ornamentorum*; tertium, quem *Dictionis*. Duo illi ad ſermonem univerſum magis pertineant, tertius ad diſtinctum. In primo, Formulæ mihi duplices: Ad contextum iſtæ, *Ordiendi, Narrãdi, Continuandi, Tranſeundi, Abrumpendi, Claudendi*: Ad Materiem, iſtæ: *Rogandi, Gratias agendi, Operam offerendi, Laudandi, Vituperandi, Aſſeverãdi*:

K & quic-

& quicquid iſtarum rerùm communium eſt, quæ in epiſtolam creberrimè incurrunt. Secundus, *Ornamentorum* liber eſt. in quo diſtinctè & per capita collocaverim hæc: *Similitudines*, *Allegorias*, *Imagines*, *Acutiora dicta*, *Sententias*, & ſiqua ejuſmodi illuſtria lumina ſermonis. Tertius, *Dictionis*. quam divido in duas partes, *Phraſium* & *Verborum*. Phraſes quidem enotari velim, quæcunque inſigniores aut nitidiores occurrent: Verba, quæcunque rara, nova, novo ſenſu ſive flexu uſurpata. In Phraſibus diſpoſitionem non videò; niſi quòd ſeorſim eas poni velim, pro diſcrimine ſcriptorum: Tullii ſolas, Plauti & Terentii ſolas, Hiſtoricorum ſolas: quod quiſque pro judicio ſuo aut induſtria faciet. In verbis ordinem ſolùm ſervem Alphabeti. Hæc ſunt quæ ſelegi velim. Sed à quibus? non enim promiſcuè ab omnibus: ſed ad judicium paucis tibi ſic præibo. *Formularum* liber à Cicerone maximè compleatur: addo Plinium; Politianum, aut ſi quid aliunde transferre aut haurire poteris opportunè. *Ornamentorum*, à Cicerone, Fabio, Plinio, Hiſtoricis, Seneca, etiam à Græcis, & imprimis à Plutarcho. *Phraſium* exempla à Cicerone maximè, & Comicis petantur: nonnihil ab Hiſtoricis, atque etiam ab aliis, quos non attigi, Varro-

rone, Agellio, Suetonio, Juriſconſultis, imò & interdum Appulejo.

Verborum, uno verbo, ab omnibus: nec inutiliter etiam à Grammaticis & Gloſſariis antiquis.

CAPUT XIII.

De expreſſione & formatione Stili, per tria genera Imitationum.

TErtium illud utiliſſimum ſequitur, Quid exprimas, & quid vites. Fruſtra enim priora illa duo, ſi non iſtud: nec lectio aut ſelectio adjuverint, ſine proba expreſſione. Ea ut talis ſit, per triplicem Imitationem diſtinctè te ducam, & quid ſequare in unaquaque dicam, & quid vites. In *Puerili*, duo hæc tibi propono. Primò, ut formulas imprimis & communia illa contextus totius imitere: ſecundò, ut ductum, numeros, lineamenta & faciem Tullianæ orationis. Et imitare, non induſtriè ſolùm ſed pænè adfectatè & cupide: ſic inquam, ut color quæſitus & fucus appareat, imò & furtum. Ut pueros nihil pudet, cum ſcribere diſcunt, per ſingulos litterarum apices aliena manu duci: non item hîc tu Clauſulas, membra, & periodi cujuſpiam partem cum venia ſæpe inſeres, & Centonem è Tullii purpura contexes,

paullo poſt daturus tuam. Exercitii genus quod olim in Germania huic rei propoſui, dicere operæ pretium habeo, etſi non dictare. Fuit tale.. Hæc ſequêre : quid fugies? nihil, niſi ea quæ Grammatici vitant. At in *Creſcente*, creſcat mihi pauliſper judicium, & ſervari præcipiam hæc tria. Primum, ut in furtis jam verecundior ſis; non enim ultrà decet. Secundum, ut in Formulis exprimendis remiſſior ; non enim ultrà opus. Sicut digiti in citharâ ægrè & cum intentione initio ponuntur, iidem poſtea ad chordas & numeros ſpontè veniunt : ſic mens iſtis paullum aſſuefacta. Tertium, ut Phraſes & Verba meliora undique aſſumas : & formes, ut ſic dicam, cutem illam orationis tuæ externam. Atque hæc ſanè præcipua hîc cura. quid vitandum? vitium agnatum Verborum delectui, nimia aſperitas, aut antiquitas. Quod in Comicis imitandis præcipuè mihi cave, & ne quid aut ſordidum ab iis dictio tua trahat, aut obſoletum. Nam ut imperiti pictores in facie exprimenda, rugam, nævum, verrucam facilè imitantur, indolem negligunt, & ipſum vultum : ſic ſæpe adoleſcentes rara aut exſtantia verba excerpunt, ingenium omittunt & genium dictionis. Quæ autem verba ſordida? quæ jacent, repunt, à face vulgi & è triviis ſum-

ſumpta, nec niſi judicio diſcernenda. Quæ obſoleta? notæ duplicis: Natura & Opinione. Illa dixerim, quæ revera talia ſunt: hic, quæ ſenſu dumtaxat vulgi. Nam hodie ita invaluit, ut quicquid ignotum, nec tritum auribus imperitorum, obſoletum cenſeatur, quamquàm ab optimis auctoribus petitum, & ab optimo illo ævo. Priora igitur aut planè vitabis, aut non niſi cum excuſatione & interſatiuncula utâris: iſta etiam appetes & intexes ſermoni tuo tamquam gemmas. De quo toto genere, opportunius monebo & inſtruam per exempla. Supereſt Imitatio ultima, ſive *Virilis*: in qua hoc præcidio, non tam exteriorem illum ornatum ſpectari debere, quàm virtutes & cultum internum: id eſt, Figuras, Imagines, Acumina, & ea quæ appellavi Ornamenta. In quo una cautio, ut cum oratio perfici jam incipiat & ſumma illi manus imponi κακοζηλία vitetur. Ea eſt, nimium cultus ſtudium, & ſine modo. Quod per te ægrè videas aut vites: felix cui doctor hic aliquis aut monitor amicus.

Hæc dictanda mihi nunc ſuper Epiſtolis cenſui: cum fructu nonnullo eorum, ſpero, qui audierunt; vereor ut exiguo, qui tantum legent.

mus, ſuſpendimus, aut deponimus ſermonem. Comma ſuſtinet, Colon ſuſpendit, Periodus deponit, *Hæc virtus Diſtinguendi* (ait Fabius) *fortaſſè ſit parva, ſine quâ tamen eſſe alia nulla in agendo poteſt.* En momentum, quod in Sermone habet: quid ſi majus etiam in Scripto dicam? Nam hercules confuſa tota lectio & intellectio, niſi notæ ſuæ dividant & quaſi manuducant. Quid igitur ea eſt? *Notandi certa ratio, quâ ſecamus & partimur, ſcriptionem.* Ea quæ veteribus fuerit, quærunt: ego amplius, an fuerit, quæro. Nam priſca omnia monumenta, lapides, tabulæ, æra legum aut orationum: in quibus omnimoda adhiberi ea potuit: nullam præferunt aut habent. Niſi hanc tamen, quâ ſingula verba punctis ſuis diſparant & ſecernunt: ſed punctis uniuſmodi ſemper & pari formâ, Quæ res, ut verum fatear, turbet magis & ſiſtat lectorem, quàm transferat & adjuvet. Quod de lapidibus dico, ad libros etiam priſcos traho: nec in iis Diſtiuctionum illæ variantes notæ. Ut alios omittam, exſtant nobiles illæ Pandectæ Etruſcæ, à Juſtiniani ævo: quære, non dabunt. Quid ergo? ante Juſtiniani ævum non fuerunt? mox videbo: ſed tamen antiquitùs omnino, haud puto. Atqui Cicero & alii videntur agnoviſſe. ut Craſſus apud

eum loquens inducitur: * *Non librariorum notis, ſed verborum & ſententiarum modo, interpunctas clauſulas in orationibus veteres eſſe voluerunt.* En *notas à librariis*, & quidem in *clauſulis*, & gratiâ interpungendi. Idem pro Muræna, in Juriſconſultos illudens: *eos in ſingulis litteris, & interpunctionibus verborum occupari.* Significat ſenſum mutari, & cautionem vel cavillum eſſe, ex interpunctis. Quid Seneca, nónne clarè? *Nos*, inquit, *etiam cùm ſcribimus, interpungere ſolemus.* Ecce *interpuncta*, & quidem *ſollemnia in ſcribendo.* Hæc ſiſtant, aut viâ illâ ſententiæ ejiciant: ſed neſcio an providum & ſagacem. Nam prior Tullii locus poſſit planiſſimè altrovorſum duci, quaſi dicat, Veteres ideò non uſurpaſſe in clauſulis interpuncta, ne ea potiùs, quàm modum & modulum, in verbis, conſiderarent. Locus alter, dicat Juris interpretes in minutis occupari, ſcrutari in contractibus apices litterarum, & puncta verborum: quia nempe ambigua ſæpe hæc iſta, & ad anteriora aut ſequentia ducenda. Id enim eveniebat in illis ſolitariis punctis, quæ verba, ut dixi, ſingula, non membra aut ſenſus ſecernebant. In Senecâ hæc reo. & an dicit, ſpiritum ſtilumque hominis naturaliter etiam pauſare in ſcribendo, & interquieſcere cum ſententiâ: non rapidè ſem-

* III. *De Orat.*

ſemper, & torrentis vicem, ferri? Profectò dicit: vide. Nam tota ejus diſſertatio eſt contra præcipites illos & effuſos in loquendo, & curſu verba convolventes. Quando igitur origo? nam res tam utilis, &, quod caput, tam obvia, ad quam Natura ipſa ducit, non debuit, non potuit diu quæri. Dicat aliquis ſub Hadriano cœpiſſe, quia in Suidâ * lego de Nicanore quodam Grammatico ejus ævi, ſcripſiſſe περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου βιβλία ἕξ: *De Interpunctione in genere libros ſex*: itemque partitè, περὶ στιγμῆς τῆς παρ' ὁμήρῳ καὶ τῆς περὶ καλλιμάχῳ: *De interpunctione apud Homerum, & apud Callimachum*: neque aliud egit aut ſcripſit, ita ut per jocum στιγματίας, *Interpunctus*, aut *Compunctus* (ſervile convicium eſt) vocaretur. Potuit igitur tunc agitari de inducendâ, etſi nondum vulgò inductâ. Certiſſima, quam reperio, mentio eſt in Diomede Grammatico †: qui *appoſitionem puncti* (ita loquitur) in triplici differentiâ agnoſcit. Differentia eſt, quæ clariùs apud Caſſiodorum ‡ ſic expreſſa: *Sed ut his omnibus addere videaris ornatum, Poſituras quas Greci θέσεις vocant, id eſt puncta breviſſima pariter & rotunda, & planiſſima, ſingulis quibuſque pone Capitibus, præter tranſlationem ſancti*

* *In* Νικάνωρ. † *Lib. II. cap. De Pronunciat.*
‡ *Lib. I. Inſtit. Divinar. Lect.*

Hieronymi, quæ colis & commatibus ornata conſiſtit. quoniam illuſtrem faciunt orationem, quando ſuis locis aptata reſplendent. Nam ſi corpus noſtrum indiget per membra cognoſci, cur lectio, cùm ſuis partibus videatur eſſe diſtincta, confuſa relinquitur? Iſta quidem Poſituræ ſeu Puncta, quaſi quædam viæ ſunt ſenſuum, & lumina dictionum, quæ ſic lectores dociles faciunt, tanquam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuantur. Prima eſt Media; ſecunda, Subdiſtinctio; tertia, Plena. Quas à maioribus noſtris ideò conſtat inventas, ut ſpiritus longâ dictione fatigatus, vires ſuas, per ſpatia decreta (ſive *diſcreta*) *reſumeret. Quas ſi mavis cupidus lector agnoſcere, Donatum lege, qui te poſſit de hac re, brevi compendio inſtruere.* Pleraque omnia hîc habes: Nomen, Uſum, Diſcrimen. Nam veteres *Poſituras* vocarunt: atque ita Iſidorus * *Poſitura,* inquit, *eſt figura ad diſtinguendos ſenſus per Cola, & Commata, & Periodos dicta, vel quia punctis poſitis annotantur; vel quia ibi vox, pro intervallo diſtinctionis, deponitur.* Ex nomine novitio (hoc quidem ſenſu) vides rem non eſſe perantiquam. Addit Uſum, qui liquet. Diſcrimen deinde, triplicem eam eſſe, *Mediam, Subdiſtinctionem, Plenam.* Iſidorus autem ita: *Sunt tres Poſituræ. Prima Subdiſtinctio dicitur: eadem & Comma. Media diſtinctio ſequens eſt:*

* *Lib. 1. cap. 19.*

eſt: ipſa & Colon. Ultima diſtinctio, quæ totam ſententiam claudit: ipſa eſt Periodus. Talia Diomedes: & conſentiunt etiam in Notis, quæ, Iſidori verbis, ſunt iſtæ. *Ubi in initio pronunciationis necdum plena pars ſenſus eſt, fit Comma: Punctuſque ad imam litteram ponitur. & vocatur Subdiſtinctio, ab eo quòd Punctum ſubtus, id eſt ad imam litteram accipit. Ubi autem in ſequentibus jam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliquid ſupereſt, fit Colon, mediamq́ litteram puncto notamus: & Mediam diſtinctionem vocamus, quia Punctum ad mediam litteram ponimus. Ubi verò jam per gradus plenam ſententiæ clauſulam facimus, fit Periodus: Punctumque ad caput litteræ ponimus, & vocatur Diſtinctio.* Ubi vides aliam à noſtrâ Diſtinctionem fuiſſe, quod ad notandi poſituram aut ſignum. Nam idem Punctum manebat, ſed locis variabat. In fine Caſſiodorus remittit ad Donatum: & ſunt eadem iſta etiam hodie in illo mutilo & fracto. quid opus verba reddere? Nos variaſſe iſto ævo, non ignoras. & viros doctos pleniùs paullò diſtinxiſſe, in *Comma, Semicolon, Colon, Periodum. Comma,* ubi minima reſpiratio eſt, & ſemicirculo notamus, *Semicolon,* ubi paullo major, nec ad Colon tamen accedit, notamuſque: quod locum ſæpe habet in *Contrariis*, aut *Disjunctis*, aut variâ *Partitione.*

Colon autem, ſententiâ in parte perfectâ, ſed etiam creſcente, & ſignamus duo puncta : At *Periodi* nota eſt punctum, longæ ſive brevis. Nam & breves Periodi ſunt (in epiſtolis creberrimè) quaſi membra : & hæc ipſa Punctus ſignet : ſed cum diſcrimine, ut grandiore capitali litterâ non excipiantur. Iſta de Diſtinctione veteri, & noſtrâ, ſed in unâ Periodo aut ſenſu. Eſt alia, quæ veterum fuit, nunc deſiit, meo voto revocanda. Perverſus libros dividebant, & curiosè librarii ſubnotabant: quod vetus eſſe, & ab Aſconii, id eſt Claudii ævo, apparet. Nam is in Commentariis, verbà Ciceronis cùm citat & advocat : *Verſu*, inquit, *à primo* DCCCL. Item: *Verſu circiter* ∞ . XI. iterumque : *Circa verſum à primo* LXXX. Verſus appellat, ut & Græci ϛίχοις. Nam ita Diogenes de Ariſtotele : *Libros ejus omnes* continere *μυριάδας ϛίχων τέτλαρας, καὶ τετλαράκοντα, πρὸς τοῖς πεντακισχιλίοις καὶ διακοσίοις ἑβδομήκοντα quadringenta quadragintaquinque millia verſuum, itemque ducentos ſeptuaginta.* Item de Chryſippo, qui *πολυγραφώτατος* fuit, *in diem ſcripſiſſe verſus quingentos.* Plinius de Zoroaſtre : *vicies centum ab eo millia verſuum condita.* Galenus, *Lyci cujuſdam commentarium ſe legiſſe, adeò prolixum, ut quinque millia verſuum contineret,* In Divo Hierony-

mo,

-mo, epiſtolâ ad Magnum,oratorem Rom. *Scripſerunt contra nos Celſus atque Porphyrius: priori Origines, alteri Methodius reſponderunt. Quorum Origines octo ſcripſit libros, Methodius uſque ad decem millia procedit verſuum*: Iterùm ad Damaſum, Epiſcopum Rom. *Quos mihi jampridem dederas Lactantii libros, ideò non libenter lego, quia & plurimæ epiſtolæ in eis uſque ad mille ſpatia verſum tenduntur.* Denique Juſtinianus in Pandectis ſuis *quindecim myriales verſuum* eſſe. Ex quibus omnibus liqueat,certam & perpetuam diſtinctionem in Verſus fuiſſe, in omni volumine & deſcriptione reperiendam, Sed fueruntne igitur veri Verſus, ſive lineæ? Hæremus. ſi fuiſſent; quomodo in membranâ aliâ atq; aliâ ſic caderent? quomodo in litterâ majore aut minore, ut ſolet? Niſi quis putat aut variaſſe per libros: aut certos modulos cuique volumini tributos, quos velut lege ſervarent. Tale aliquid Iſidorus: *Quædam nomina librorum apud antiquos certis modulis conficiebantur breviore formâ Carmina atque Epiſtolæ: at verò Hiſtoriæ majore modulo ſcribebantur.* An ſatis huc faciat aut firmet, neſcio: poſſit tamen aliquis & Verſus explicare membra minuta,& ſectiones ſic inſtitutas. Hieronymum auctorem habeat: qui alibi * *Prophetas verſibus deſcriptos* à ſe

* *Lib 6.* * *Præfat. Iſai.*

à ſe fatetur: & communiter de libris Sacris, * *Silvam nominum, ſenſuumque barbariem per cola verſuum digeſſiſſe.* Neque aliud ſanè vult, quàm quod Caſſiodorus: *Primum D. Hieronymum, propter ſimplicitatem fratrum, colis & commatibus ordinaſſe tranſlationem ſuam.* Et idem alibi †: *Tranſlatio ſancti Hieronymi colis & commatibus ornata conſiſtit.* Ergo idem iſti *Verſus* (Hieronymo quidem) quod *Cola* & *Commata*: & quid autem iſta? nil niſi *Membra*, & *Sectiones*. Nam ſic hodieque *Biblia* illa *Sacra* utiliter legimus diſtincta, & ipſi *Verſus* appellamus. Notat autem idem ſanctus ſcriptor, * exemplo priſco ſe hoc feciſſe: *quia idem*, inquit, *in Demoſthene & Tullio fieri ſolet, ut per cola ſcribantur & commata.* Cave accepetis de Interpunctis, eo nomine: fallêris. quod dixi intelligunt: & ita Demetrius definit, *Colon, aut ſimplicem periodum, aut compoſita periodi partem.* Ita Cicero ‡ *Commata* ſententias acciſas & breviores, ſed plenas: ita & Hermogenes genus tale ſermonis, κομματικὸν καὶ διαλεκτικὸν appellat. Hæc igitur fuiſſe videntur. ſi non; ut nunc ſint, & exemplum illud Hieronymianum uſurpetur, conſilium meum ſit & votum. Valdè ex uſu lectorum, & eo-
rum

* *Proleg in Paralip.* † *Lib. 1. Inſtit. div Lect.*
* *In Eſai.* ‡ *In Orat. ad Brutum.*

rum qui excerptum aut ſubnotatum aliquid volunt; hoc eſſet. cùm ecce Livium, Ciceronem, tales, non niſi per libros, aut orationes diviſos habemus: & longum nec promptum in totis iis aliquid quærere; facile & obvium, ſi Verſus deſignarent. Induſtrius aliquis vir facere debeat, & Typographi imitari. Vale, & ad nos quàm maturrime veni.

JUSTI LIPSII DE BIBLIOTHECIS SYNTAGMA.

CAPUT I.

Bibliotheca, & Libraria, quid? Reges veteres habuiſſe, atque illos Ægypti.

BIBLIOTHECA tria ſignificat, *Locum, Armarium, Libros*, Græca vox Latinis in uſum etiam venit, & quamquam *Librariam* dicunt, tamen veriſimile magis eſt eâ voce tabernam capi, in quâ veniales libri exſtant. Sed Bibliothecarum res vetus, & niſi fallor, cum ipſis litteris adinventa. Nam ſimul

mul ac ſcire & ſapere natum eſt, mox etiam ſcribere: & iſtud eſſe cum fructu non potuit, niſi ut libri adſervarentur & diſponerentur, & ad præſentium & poſteriorum uſum. Privata primùm ea cura, & quiſque ſibi ſuisque ſtruebat: poſtmodum Reges & Dynaſtæ uſurparunt. nec in uſum ſolùm, ſed ambitionem aut ſplendorem. Sanè multos congerere, vix fuit privati hominis aut cenſus: cùm tarda & impendioſa deſcriptio eſſet: donec utiliſſima hæc Typographia rem in compendium miſit. Qui primus Regum illuſtrem habuit (quod memoria ſervet) is fuit Oſymanduas, Ægypti. qui inter alia operum præclara, *Sacram Bibliothecam ſtruxit, & in ejus fronte præſcripſit*, ψυχῆς ἰατρεῖον: ANIMI MEDICA OFFICINA. Ita Diodorus *. & quamquam ille inter veteres Regum fuerit, non tamen dubito exemplum, ſi non ipſam rem, manſiſſe, & in Ægypto Bibliothecas ſemper aliquas exinde exſtitiſſe: idque in templis præcipuè, & ſacerdotum curâ. Multa argumento, tum & illud de Homero: quem Naucrates † quidem plagii accuſat, & in Ægyptum cùm veniſſet, libros repperiſſe *Phantaſiæ* fæminæ, quæ Iliadem atque Ulyſſeam ſcripſerit, & *Memphi in templo depoſuerit Vulcani.* Homerum igitur vidiſſe, ſibi

* *Lib.* 1. † *Euſtat. Præfat. Odyſſ.*

ſibi adſcripſiſſe, & edidiſſe. Quæ in viro, opinor, falſa, rem tamen & morem firmant.

CAPUT II.

Alexandrina Bibliothecâ, cui Philadelphus primus & præcipuus auctor. Varietas & numerus ibi librorum. Combuſta, & iterùm inſtaurata.

SEd reliquæ ibi in obſcuro ſunt, *Ptolomæi Philadelphi* Regis in magnâ luce & laude fuit. Is *Ptolomæi Lagi* filius, ſecundus eo nomine & ſtirpe Ægypti regum: artium & ingeniorum cultor, & quod adhæret, librorum. Itaque Alexandriæ ingentem Bibliothecam compoſuit: inſtructione & exemplo Ariſtotelis adjutus, imo & ipſis ejus libris. Nam Ariſtoteles, ut póſt dicam, copiâ & dilectu inſignem Bibliothecam adornaverat. de quâ Strabo *: Ἀριστοτέλης πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν: *Ariſtoteles, primus, quos norimus, collector librorum fuit, & reges in Ægypto docuit Bibliotheca ſtructuram.* Quæ tamen cautè & cum ſuâ interpretatione legenda: nec enim vel *primus omnino* fuit: & certè ævo anterior, docere *Philadelphum* hunc non potuit, niſi ut

* *Lib.* 13.

ut dixi exemplo. Hoc fortaſſe verum, quod Athenæo ſcriptum † *Ariſtotelem Theophraſto libros reliquiſſe, hunc Neleo. à quo eos mercatus Ptolomaus, cum iis quos Athenis & Rhodi coëmerat, omnes in pulchram Alexandriam transferri curavit.* Etſi alii tamen diſſentiunt, ut in loco dicam. Sed bibliothecam igitur ille undique, & omne genus libris, inſtruxit: etiam ſacris, & è Judæâ petitis. Nam cum aures ejus fama tetigiſſet Hebreæ ſapientiæ, miſit qui libros depoſcerent, & idoneos ſimul homines conduxit, qui in Græcam linguam verterent, communi omnium uſui. Ea interpretatio eſt; quam *Septuaginta*, à numero ſcilicet qui operam dederunt, dicunt. Id eveniſſe anno ejus regni XVII. Epiphanius * tradidit, Olympiade CXXVII. Præerat Bibliothecæ, vir ſcriptis & factis illuſtris, Demetrius Phalereus, exul à ſuis Athenis: & quem rex benignè habitum ad hæc & majora miniſteria admovit. Idemque à Chaldæis, Ægyptiis, Romanis etiam libros petivit, & pariter in linguam Græcam transfundi curavit. De quibus Georgium Cedrenum † capio: *Philodelphus libros Sacros, Chaldaicos, Ægyptios, & Romanos, alioſque diverſilingues in Græcam omnes converti curavit, in univerſum ad centum*

† *Lib.* 1. * *De ponder. & menſur.* † *Lib.* 21.

tum millia voluminum. quæ omnia in bibliothecis ſuis Alexandriæ repoſuit : Duo noto, & curam peregrinos libros vertendi, utilem meo animo,& vobis PRINCIPIBUS etiam nunc uſurpandam ; & numerum librorum, grandem ſatis, ſed non pro vero, ſi de univerſis capiamus. Quod abnuo, & Cedrenni mentem de converſis tantùm eſſe arbitror : atque ipſos primogenios Græcos, longè ſuperaſſe. Hoc alii ſcriptores dixerint, qui valdè adaugent. ut Seneca noſter * : *Quadringenta millia librorum Alexandriæ arſerunt , pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Sanè pulcherrimum, & ſupra gemmas omnes vel aurum: ſed quantò pulchrius , ſi uberiùs ? Nam nec is Senecæ numerus ex vero ſatis,& ad *Septingenta millia* redigendus. Joſephus † doceat, quî tradit *Demetrium* (illum Præfectum , de quo dixi) *aliquando interrogatum à Philadelpho , quot millia librorum jam haberet ? reſpondiſſe , ducenta millia admodum , ſed ſperare brevi ad quingenta.* Vides, quàm auxerit : ſed quantò magis poſteà , atque etiam alii Reges ? Profectò ad *Septingenta millia* venerunt , Agellio diſertim ſcribente ‡ : *Ingens numerus librorum in Ægypto à Ptolomaeis regibus vel conquiſitus* (em-

* *De Tranq.cap* 9. † 12. *Antiq.cap.* 11. & *Euſebius de præpar.lib.*8. *ex Ariſteâ.* ‡ *Lib.*6.*cap.ult.*

(emptione) *vel confectus* (deſcriptione) *eſt, ad millia fermè voluminum ſeptingenta.* Idem Ammianus, verbis ſtatim dandis: idem Iſidorus, ſed emendandus: *Septuaginta millia librorum Alexandriæ, Philadelfi temporibus, inventa ſunt.* Scribendum, inquam, *ſeptingenta.* O theſaurum, ſed in re æternâ non æternum! Nam totum hoc quidquid fuit librorum, bello civili Pompejano periit, cùm Cæſar in ipsâ urbe Alexandriâ bellum cum incolis gereret, & tuitionis ſuæ cauſsâ ignem in naves miſiſſet; qui & vicina navalibus, ipſamque Bibliothecam comprehendit & abſumſit. Triſte fatum, & Cæſari (etſi abſque deſtinatâ culpâ) pudendum! itaque nec ipſe in tertio Civilium, nec Hirtius deinde meminere: alii tamen; ut Plutarchus, Dio, etiam Livius, uti ex Senecâ facile eſt haurire. Nam poſt ſuperiora illa verba, addit: *Alius laudaverit, ut Livius, qui elegantiæ regum curaque egregium id opus ait fuiſſe.* Sunt ipſa Livii verba, ubi de hoc incendio: & juſto elogio in rem & Reges. Sed de hoc triſti igne etiam Ammianus*: *Inter templa eminet Serapeum, in quo Bibliothecæ fuerunt inæſtimabiles? & loquitur monumentorum veterum concinens fides, ſeptingenta volumina millia, Ptolomæis regibus vigiliis intentis compoſita, bello Alexandrino, dum diripitur* civi-

* *Lib.* 22.

civitas, ſub Dictatore Caſare conflagraſſe: Ipſe in direptione eveniſſe vult: itemque Agellius*. *Ea omnia volumina,* inquit, *bello priore Alexandrino* (ad diſcrimen ejus,quod ſub Antonio) *dum diripitur civitas non ſponte neque operâ conſulta, ſed à militibus forte auxiliariis incenſa ſunt.* Excuſat verò ipſe non Cæſarem tantùm (quo quid librorum aut ingeniorum amantius?) ſed Romanos milites, & culpam hanc ad exteros auxiliares ablegat. Ceterùm de direptione, non ita Plutarchus aut Dio: quos eſt videre. Hic igitur finis nobilis Bibliothecæ, Olympiade CLXXXIII. cùm vix CCXXIV. annos fuiſſet. Etſi revixit tamen, non eadem (qui id potuit?) ſed conſimilis, & eodem loci, id eſt in Serapéo, collocanda. Auctor reparandi Cleopatra, illa amoribus Antonii famoſa: quæ ab eo in auſpicium & velut fundamentum operis impetravit Bibliothecam *Attalicam* ſive Pergamenam. Itaque totam cùm dono cepiſſet, & transferri curaſſet, iterùm adornata auctaque eſt, & Chriſtianorum etiam temporibus, in vitâ & famâ fuit. Tertullianus†: *Hodie apud Serapéum, Ptolomai Bibliotheca, cum ipſis Hebraicis, litteris, exhibentur.* Nota, apud Serapéum iterùm fuiſſe, id eſt in ejus porticibus: atque id vicinum portui & navalibus, ex

* *Lib.6*, † *Apolog cap. 18.*

Sta-

Srabone aliiſque diſcas. Nota, & *Ptolomæi Bibliothecas* dici: etſi reverà non illæ jam eſſent ſed conſimiles, & primogenii illi Hebraici libri, unaque LXX. interpretatio, flammâ periiſſent. Tamen ecce, tanta auctoritas & fides ab antiquo ejus Bibliothecæ, ut Tertullianus gentiles eò advocet aut amandet. Credo ſtetiſſe, quamdiu ipſum Serapeum, immenſæ molis & ſtupendi artificii templum. quod Chriſtiani denique, Theodoſii majoris imperio, ut arcem ſuperſtitionis, demoliti à fundo ſunt, * Eccleſiaſticis ſcriptoribus traditum & laudatum.

* *Ruffin. 2 cap. 23. itemque Socrates, & Sozomen. alii.*

CAPUT III.

Græcæ Bibliothecæ. Piſiſtrati & Ariſtotelis præcipuè, itemque Byzantina.

ATque iſta de Ægypti Bibliothecis repperi, pauca & parva fortaſſe de multis & magnis. Sed ævum ſcilicet abſorpſit: quod & in *Græciæ Bibliothecis* liceat accuſare. De quibus nobilioribus, ſtrictim Athenæus †: ubi *Laurentium* ſuum ita in hoc ſtudio parandorum librorum dilaudat, ut dicat eum, *Polycratem Samium, Piſiſtratum tyrannum, Euclydem Athenienſem, Nicocratem Cyprium, Euripidem*

† *Lib. 1.*

dem poëtam, Ariſtotelem philoſophum ſuperaſſe. Et de omnibus iſtis ſingillatim non habeo dicere: niſi de *Piſiſtrato*, cui & laudem primi auctoris in hoc ſtudio Agellius adſcripſit. Et ſanè *Polycrates* ævo ferè concurrit. Sed Agellii verba *: *Libros Athenis diſciplinarum liberalium, publicè ad legendum prabendos, primus poſuiſſe dicitur Piſiſtratus tyrannus.* Magnus vir (odioſum hoc modò cognomen tolle) & cui Homerum etiam digeſtum & correctum nunquam ſoluturi debemus. Adeò Critica hæc cura olim Principum, imò Regum, fuit. Ea Bibliotheca ab ipſis deinde Athenienſibus variè aucta, donec ſpoliavit & avexit Xerxes, Athenarum potitus. Sed eoſdem, † multis poſt annis, Seleucus Nicanor, Syriæ rex, liberaliter remittendos Athenas curavit, donavitque. Et manſiſſe deinde ad Sullæ tempora, qui & ipſe Athenas cepit, diripuit, afflixit, poſteà tamen inſtauratam, juſtè opinor. quomodo enim mater artium, ſine inſtrumento hoc librorum? Imo plures ibi Bibliothecæ poſteà: & *Hadrianus Imp. Iovis Panellenii ædem Athenis ſtruxit, & in eâ Bibliothecam*, Pauſaniæ ſcriptum. Sed de *Euclide*, quod ait Athenæus: hunc Archontem fuiſſe, inter primos ejus magiſtratus comperior: nec ul-

* *Lib.* 6. † *Olymp.* 17.

ultrà. De *Ariſtotele* autem, Strabo magnificè in verbis, quæ ſuprà dedi: & addidi ex Athenæo, Bibliothecam ejus tandem ad Ptolomæos Reges veniſse; etſi Strabo atque alii videantur negare. Nam ille ita*; *Libros Ariſtotelis, qui ad Neleum veniſſent, ad poſteros deinde tranſmiſſos, ineruditos homines; & qui ſub clavibus eos, ſine uſu ullo habuiſſent. Denique ſub terram conditos, à blattis & tineis vitiatos, tandem Apelliconi Teio magnâ pecuniâ addictos fuiſſe. Qui eroſos laceroſque, diſcribi, vulgari. etſi parum bonâ fide aut judicio curaſſet. Eo autem mortuo. Sullam Athenis potitum eoſdem libros ſuos feciſſe, Romam miſiſſe, ibique Tyrannionem Grammaticum iis uſum, atque (ut fama eſt) intercidiſſe, aut invertiſſe.* Quibus ſimilia aut eadem Plutarchus, in Sullâ. Quæ ſi vera, quomodo ad Philadelphum à Neleo venerint, Athenæo ſupra aſsertum? Niſi fortè (atque ego arbitror) ipſos quidem Ariſtotelis libros, ab illo, in quam, ſcriptos Neleus tenuerit, poſteriſque tranſmiſerit, ut peculiarem theſaurum; at reliquam vim alienorum ſcriptorum, vendiderit Philadelpho. Neque memoratu digna alia de Græciæ Bibliothecis legere memini: & Romani haud dubiè pleraque talia ad ſe tranſduxerunt, Græcia jam potiti: niſi pla-

* *Lib.* 42.

placet Byzantinam his accenſere, quæ Principum ævo fuit. Nam Zonaras & Cedrenus tradunt, Baſiliſci imperio, *Bibliothecam ibi conflagraſſe, in quâ centum viginti millia librorum eſſent recondita: inter ea Draconis inteſtinum*, cxx. *pedes longum, cui aureis litteris Homeri Ilias atque Odyſſea, fuerint inſcripta*. Etſi hæc Thraciæ propriè, non Græciæ attribuenda.

CAPUT IV.

Attalica Bibliotheca, cui Eumenes auctor. Plinii & Vitruvii aliqua hîc fortè inconſiderantia. Quanta, & quàm diu fuerit.

SIcut, & *Attalica* ſive *Pergamena*, Aſiæ; quæ proxima claritate ab illâ Alexandrinâ fuit. Nam Attalici Reges, è parvis progreſſi, cùm ſocietate opibuſque Romanis creviſſent: ſedem regni *Pergamum* variè, tum & Bibliothecis, exornarunt. Eumenem, Attali Regis filium, auctorem huic rei Strabo prodidit*: *Eumenes*, inquit, *urbem inſtruxit, & donariis ac Bibliothecis, uti nunc eſt, eleganter excoluit.* Et Plinius †, qui ſcribit, *æmulatione circa Bibliothecas Regum, Ptolomæi & Eumenis, ſupprimente chartas Ptolomæo, membranas Pergami, ut Varro*

* *Lib.* 13. † *Lib.* 13. *cap.* 11.

auctor eſt, repertas. Cui paria Hieronymus, in Epiſtolâ ad Chromatium, itemque Ælianus tradiderunt: ſed *Attalum*, pro *Eumene*, nominantes. Enimverò de neutro horum ſatis convenit, ſi tempora examinas: quoniam iſti poſteriores *Philadelpho*, toto ferè ſæculo, fuerunt. Quomodo igitur, quod Plinius ait, *æmulatio* inter eos? Niſi hoc ſubvenit, *Ptolomæum* ſimpliciter nominari: qui alius à Philadelpho eſſe potuit, & *Ptolomæus Quintus*, cognomento *Epiphanes*, cum Eumene vixit. Atque ille fortaſſe (quamquam de inſigni ejus ſtudio in Bibliothecas nihil proditum) chartam ſuppreſſit invidiâ, ne alter veterem illam novâ ſuâ æquaret. Sed error ſive inconſpectio clarior in Vitruvio *, qui his verbis inſcripſit: *Reges Attalici, magnis Philologiæ dulcedinibus inducti, cùm egregiam Pergami Bibliothecam, ad communem delectationem, inſtituiſſent: tunc item Ptolomæus, infinito zelo cupiditatiſque ſtudio incitatus, non minoribus induſtriis, ad eundem modum, contenderat Alexandriæ comparare.* Quid? ut Attalici reges ante Alexandrinos in hoc ſtudio? ut exemplum ardoremque iſti ab iis ſumpſerint? Imò verò contrà fuit, & peregerant jam, cùm nec illi cogitarent. Niſi & hîc placet de poſteriore aliquo *Ptolomæo* ad-

* *Lib. 7. initio.*

adducere & velare, ſed velare. Ceterùm Biblliotheca hæc nec copiâ, nec ævo Alexandrinam æquavit. Nam de utroque iſto Plutarchus † ſcribit, Antonium III. virum, faſcinatum amoribus Cleopatræ, χαρίσασθαι μὲν αὐτῇ τὰς ἐκ Περγάμου βιβλιοθήκας, ἐν αἷς εἴκοσι μυριάδες βιβλίων ἁπλῶν ἦσαν: *gratificatum ei Bibliothecam Pergami, in qua eſſent ducenta millia ſingularium librorum*, id eſt voluminum. Hoc enim opinor ἁπλᾶ βιβλία dici, cùm in uno volumine plures ſæpè libri, quos non vult in numerum hunc venire. Ergo ea ipſa ſtatim poſt Alexandrinam periit, ſed in eâ vixit: an & in loco ſuo revixit? Certè Strabonis ſuprà verba ſi attendis, ſignificant: cum ait, *Vti nunc eſt*, *excoluit*. Quando *nunc?* Strabonis ſcribentis, id eſt Tiberii ævo. Ut appareat aut revectam ab Auguſto victore eſſe, qui pleraque irrita Antonii fecit: aut certè exſcriptam iterùm, & inſtauratam. De quo, præter ſuſpicari, non equidem dicam.

† *In M. Antonio.*

CAPUT V.

Romanæ Bibliothecæ, privatæ: & prima publica Aſinii Pollionis.

ATque hæ Bibliothecæ, quas memoratu dignas apud exteros reperi: venia-

niamus ad Romanas, ſitu & ævo magis propinquas. Satis enim tarda ibi hæc cura aut ſtudium, apud Martis non Muſarum proles: etſi, cum bono Deo, hîc quoque cultus & elegantia denique invaluit, parvis primò initiis, ut ſolet. Iſidori notatio eſt: *Romam primus librorum copiam advexit Æmilius Paullus, Perſe Macedonum rege devicto, deinde Lucullus è Pontica præda.* Duos nominat, qui libros advexere, ſed publici uſus aut juris non prorſus fecere. Et de Æmilio, haud ultrà legi: de Lucullo Plutarchus ubertim. *Laudanda ejus impenſa*, inquit, *& ſtudium in libris. Nam & multos, & eleganter ſcriptos, conquiſivit: eoſque ut liberaliter paravit, ita etiam utendos dedit. Patebant enim omnibus Bibliotheca, & in porticus adjectas atque exedras Graci præſertim recipiebantur: qui velut ad Muſarum ædem eò ventitabant, tempuſque inter ſe jucundè traducebant, ab aliis curis liberi. Sæpè & ipſe cum iis verſabatur, & philologis ſe immiſcebat, ad has porticus & ambulationes veniens.* Ex quibus vides, ILLUSTRISSIME PRINCEPS, velut publicas fuiſſe has Bibliothecas, & quamquam jus mancipiumque ſibi retineret, uſum tamen eruditis conceſſiſſe: quod & benignè vos facere ſoleris. At verò tertium etiam his duobus licebat addere, Cornelium Sullam, poſteà Dictatorem: qui è Græciâ

Athe-

Atheniſque magnam librorum vim tradu-xit, & Romæ depoſuit ac diſpoſuit: quod præter Plutarchum, *Lucianus etiam ſcripſit. Tamen hîs omnibus verè Publica Bibliotheca nondum ſtructa: quam cogitationem primus magnanimus & magnificus ille Julius Cæſar concepit, ac, niſi fata interpellaſſent, effeciſſet. Suetonius de eo: *Deſtinabat Bibliothecas Græcas & Latinas, quàm maximas poſſet, publicare, data Varroni cura comparandarum ac dirigendarum.* O rem magni animi, atque item conſilii! Nam quis in orbe terrarum huic curæ aptior M. illo Varrone, doctiſſimo inter Græcos Latinoſq;? Sed deſtinavit Cæſar, non perfecit: Auguſtus, adoptione filius, inter alia ornamenta urbis & imperii, hoc quoque pluriſariam adjunxit. Nam eo invitante atq; incitante, Aſinius Pollio, orator & Senator nobilis (Suetonio narrante) *Atrium libertatis exſtruxit*, atque in eo Bibliothecam dublicavit. Iſidorus: *Primus Romæ Bibliothecas publicavit Pollio Græcas, Latinaſque, additis auctorum imaginibus in Atrio, quod de manubiis magnificentiſſimum inſtruxerat*, De manubiis, inquit: nempe Dalmatarum, quos vicit. Item Plinius†: *Aſinius Pollio, primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.*

 In

* *Adverſus indoctum*; † *Lib. 34. cap. 2.*

In Atrio Libertatis fuiſſe, id eſt in monte Aventino, ex iſtis conſtat: quod tamen inſtructum aut reparatum ab eo magis dixerim, quàm exſtructum. Nam jamdiu antè id fuiſſe. & quidem à Tib. Graccho, patre Gracchorum, Plutarchus atque alii ſcriptores dicunt. Itaque ipſe refecit, & ad hunc uſum ſplendidè concinnavit. De eo Ovidius capiendus*:

Nec me, quæ doctis patuerunt prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Non enim viros doctos audio, qui hæc ad λέσχην, ſive conventum poëtarum, ducunt. Palàm libellus conqueritur, non receptum ſe in Bibliothecam Aſinii quæ *prima patuit*, ſive publicata eſt, *doctis libris.*

* 3. *Triſt. eleg.* 1.

Caput VI.

Auguſti, Octavia; itemque Palatina. Præfecti & cuſtodes iis.

Atque hæc igitur ſub Auguſto prima Publica fuit: duæ mox aliæ, ab ipſo. Prior, *Octavia*, quàm ſororis ſuæ memoriæ & nomini dedicavit. De eâ Dio Caſſius, in actis anni DCCXXI †. *Auguſtus Porticus & Bibliothecas, à ſororis nomine Octavias dictas, exſtruxit.* Etſi Plutarchus* tamen in ipſam

† *Lib* 49. * *In Marcello.*

ipſam Octaviam tranſſcribere hoc opus videtur. Ε'ις δὲ τιμὴν αὐτοῦ (Μαρκέλλου) καὶ μνήμην Ο'κταβία μὲν ἡ μήτηρ τὴν βιβλιοθήκην ἀνέθηκεν, Καῖσαρ δὲ θέατρον, ἀναγράψας Μαρκέλλου: *In honorem ac memoriam defuncti Marcelli mater Octavia Bibliothecam dedicavit, Cæſar Auguſtus Theatrum, Marcelli nomine inſcriptum.* Falli Plutarchum opinor: quia Dionis quidem notatio totis decem annis citerior eſt Marcelli morte. Atque addit, ex *Dalmatarum manubiis* opera ea ſtructa: miro concurſu, ut prima atque altera Bibliotheca genti Barbaræ debeantur. De hac & Suetonius in *Meliſſo Grammatico*: *Citò manumiſſus, Auguſto etiam inſinuatus eſt, quod eleganter curam ordinandarum Bibliothecarum in Octaviæ porticu ſuſcepit.* Nota, in ipsâ *Porticu* fuiſſe: quomodo? ſuperiore ejus parte, uti arbitror, tutò & decorè: cùm inferior ambulationi modò eſſet. De hac Ovidius * item ſenſit:

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Nam & ab hac Bibliothecâ ſpretum ſe libellus queritur: & locum ubi fuerit, deſignat. Quem? vicinum Theatro Marcelli. *Templa* autem dicit, quia in hac Porticu *Iunonis ædes* fuit, & nobiles in eâ ſtatuæ: quod

* 3 *Triſt. eleg.* 1.

quod Plinius dicet. Altera porrò ab eodem Auguſto Bibliotheca eſt, *Palatina*, à loco dicta: quia in ipſo Palatio, Suetonius †: *Templum Apollinis in ea parte Palatina domus excitavit, quam fulmine ictam deſideraria à Deo haruſpices reſponderant. Addita Porticus, cum Bibliotheca Latina Græcaque.* Id factum anno Urbis DCCXXVI. ut ex Dionis LIII. initio diſcas. Itaque temporum ordinem in Bibliothecis recenſendis Ovidius ſecutus eſt, cùm primò *Aſiniam*, tum *Octaviam*, denique iſtam *Palatinam* ſic adnumerat:

Inde timore pari gradibus ſublimia celſis
Ducor ad intonſi candida templa Dei.
Signa peregrinis ubi ſunt alterna columnis,
Belides, & ſtricto barbarus enſe pater.
Quæque viri docto veteres fecêre noviquè
Pectore, lecturis inſpicienda patent.
Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,
Quos ſuus optaret non genuiſſe pater:
Quærentem fruſtrà, cuſtos, & ſedibus illis
Præpoſitus, ſancto juſſit abire loco.

Præter alia, oſtendit & *Præpoſitum* ſive *Cuſtodem* huic loco fuiſſe: quem Suetonius facit *C. Iulium Higinum*. Is in Grammaticis celebris, *præfuit*, ut inquit, *Palatinæ Bibliothecæ, nec eò ſeciùs plurimos docuit.* Imò ſeorſim *Græca* cuſtodem ſuum habuit, &

† *Cap. 29.*

& *Latina*. In marmore priſco: ANTIOCHUS. TI. CLAUDI. CÆSARIS. A. BIBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. In alio: : C. JULIUS. FALYX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALAT. Et ſimiles alibi inſcriptiones. Hujus Bibliothecæ meminit & Plinius *: *Videmus Apollinem in Bibliothecâ templi Auguſti Thuſcanicum, quinquaginta pedum à pollice.* Etſi poſſis referre etiam ad Veſpaſiani Auguſti Bibliothecam, quæ in Pacis templo fuit. Apertiùs de Palatinâ, idem Plinius alibi †: *Veteres Græcas litteras fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, judicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in Bibliothecâ.* Hanc diutiſſimè Romæ manſiſſe, inducor credere verbis Io. Sariſberienſis, qui ſcribit ‡: *Doctorem ſanctiſſimum illum Gregorium, non modò Matheſim pepuliſſe ab Aula, ſed ut traditur à majoribus, incendio dediſſe probatæ lectionis.*

Scripta, Palatinus quæcunque recepit Apollo. In quibus erant præcipua, quæ cæleſtium mentem, & ſuperiorum oracula hominibus videbantur revelare. Notandum.

L 5 CA-

* *Lib.* 34 *c.* 7. † *Lib.* 7. *c.* 58. ‡ *Lib.* 2. *De nug. Cur.*

CAPUT VII.

Tiberii, Trajani, Veſpaſiani, item Capitolina: alia ignota.

AB Auguſto igitur, artium ingenioſorumq; amantiſſimo Principe, duæ iſtæ fuerunt. quid ab aliis? aliæ. Videtur enim certamen in hac re Principum fuiſse, & velut contendiſse de palmâ. Ecce *Tiberius* ſtatim ab Auguſto, in ipſo Palatio etiam ſtruxit, eâ parte quâ Viam Sacram ſpectat. Nam illîc Tiberii domum fuiſse, curioſi talium hodie autumant: & in domo ejus hæc locatur. Ab Agellio: * *Cùm in domûs Tiberianæ Bibliothecâ ſederemus, ego & Apollinaris.* A Vopiſco * item: qui *uſum ſe* ſcribit *libris è Bibliothecâ Vlpiâ, item ex domo Tiberiana.* Videtur & *Veſpaſianus* deinde ſtruxiſſe, & adjunxiſſe templo Pacis. de quâ Agellius: † *Commentarium L. Ælii, qui Varronis magiſter fuit, ſtudiosè quæſivimus, eumque in Pacis Bibliothecâ repertum legimus.* Meminitque & Galenus * De Compoſit. medicamentorum. Fuit item à *Trajano* alia de quâ etiam Agellius: * *Sedentibus fortè nobis in Bibliothecâ templi Trajani.* Atque eſt eadem, quæ à gentili Principis ejus nomine *Vlpia* paſſim nominatur. Vopiſcus†: *Hæc*

* *Lib.* 13. *c.* 18. * *In Probo.* † *Lib.* 16. *cap.* 8.
* *Lib.* 1, * *Lib,* 2, *cap.* 27. † *In Aureliano.*

Hæc ego à gravibus viris comperi, & in Vlpia Bibliotheca libris relegi. Iterumque: *Et ſi his contentus non fueris, lectites Græcos, linteos etiam libros requiras; quos Vlpia tibi Bibliotheca, cùm volueris, miniſtrabit*. Hanc in foro Trajani initiò fuiſſe, ubi Principis ejus alia opera, facilè perſuadeor: ſed ævo mutaſſe, & tranſlatam in collem Viminalem, ad ornandas Diocletiani Thermas, (an ab ipſo Diocletiano?) Vopiſcus inducit. *Vſus ſum*, inquit, *præcipuè libris ex Bibliothecâ Vlpiâ, ætate meâ Thermis Diocletianis*. Cùm disertè de *ſua* dicit, oſtendit igitur, aliâ *ætate* aliter fuiſſe. Reperiò & *Capitolinam*, in urbe. de quâ Euſebius, in rebus Commodi Imperatoris: *In Capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta, Bibliothecam, & vicinas quaſque ædes, concremavit*. Uberiùs hoc ipſum ita Oroſius: * *Flagitia regis pœna urbis inſequitur. Nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam, majorum ſtudio curaque compoſitam, ædeſque alias juxta ſitas, rapaci turbine concremavit*. Quis tamen ejus auctor? adſerere haud liceat, divinare libeat, Domitianum fuiſſe. Nam ille, ſervatus olim in Capitolio, templum ibi Princeps ſtruxit, quid ſi & hanc Bibliothecam? Etſi nemo tradit, qui nunc exſtant: † Sue-

L 6 to-

* *Lib. 7. cap. 16.* † *Cap. 20.*

tonius hoc tantùm de eo universè: *Bibliothecas incendio abſumptas impenſiſſime reparari curavit, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandriam, qui diſcriberent emendarentque.* Ubi obſerves, etiamtum illam *Alexandrinam* velut originem & matricem aliarum habitam, & has corruptas ex eâ iterùm refectas & adornatas. Amplius, Principum ſtudio ab interitu vindicatas: quod niſi fuiſſet, quomodo tam multæ illæ ad P. Victoris, id eſt Conſtantini ævum, veniſſent? Nam ille ſic inter ſingularia urbis notat: *Bibliotheca publica, undetriginta. ex iis præcipua duæ, Palatina, & Vlpia.* Heu quàm etiam à memoriâ perierunt! nam ex illis XXIX. vix ſeptem induſtria noſtra indagare potuit, & nomina ſaltem ab oblivione vindicare.

CAPUT VIII.

Tiburtina, & quædam etiam Privatorum uberiores. Habebant in Balneis, atque item in agris.

PLures, inquam, Publicas non eruo: non quidem in urbe. juxta eam, Tiburi, etiam unam. De quâ Agellius:* *Meminimus in Tiburti Bibliotheca invenire nos in eodem Claudii libro ſcriptum.* Iterumque †: *Pro-*

* *Lib* 9, *cap.* 14. † *Lib.* 19. *cap.* 5.

Promit è Bibliotheca Tiburti, qua tunc in Herculis templo inſtructa ſatis commodè erat. Hîc & alibi de *Templis* adnotes, & ferè juxta ea aut in illis fuiſſe. Quidni, ſacra illa ingeniorum opera, in locis ſacratis? Forta ſſis autem Hadrianus Imp. illam Tiburę inſtruxit, quem eo loco & ſeceſſu impensè delectatum conſtat, variaque & ampla inædificaſſe. Etſi mihi certum, aliis municipiis coloniiſque Bibliothecas ſparſas fuiſſe, æquè atque artium iſtum cultum. Sed & privatim viri divites, uſus & famæ cauſsâ, ſibi pararunt: & nobiles ex iis quaſdam. Sicut Tyrannio Grammaticus, Suliæ temporibus: qui *tria millia librorum* poſſedit. Sicut *Epaphroditus Charonéus*, item Grammaticus profeſſione. quem Suidas tradit, *ſub Nerone ad Nervam Romæ vixiſſe: & adſidue libros ementem, uſque ad triginta millia collegiſſe, optimorum quidem & ſelectorum.* Laudo hoc ultimum: nec tam copiam quæri, quam bonitatem, cum dilectu. Optarim hunc fuiſſe, qui Epictetum, apicem veræ Philoſophiæ, in ſervis habuerit: & ævum conſentit: ſed titulus & munus vitæ diſſentit, cùm iſte *Grammaticus* fuerit, alter è *cuſtodibus corporum Neronis*, eodem Suidâ prodente. Sed quiſquis iſte, ſuperavit eum *Sammonicus Serenus*

in

in hoc ſtudio: qui Bibliothecam habuit, *in quâ ſexaginta duo millia librorum cenſebantur.* Is moriens eam reliquit *Gordiano minori*, qui guſtavit Imperium: Capitolino traditum, cum hoc elogio: *Quod Gordianum quidem* AD CÆLUM TULIT. *ſiquidem tanta Bibliotheca copiâ & ſplendore donatus, in famam * hominum litteratorum decorè pervenit.* Vide ILLUSTRISSIME PRINCEPS. quàm hæc cura gratiam famamque pariat, vobis magnis inſatiabiliter parandam. Atque hi, aut pauci alii, proditi ſunt inſigniores Bibliothecas habuiſſe. plures tamen fuere: & Seneca † commune hoc ſtudium jam tunc ſuo ævo oſtendit, & damnat. Damnat. quare? *Non enim in ſtudium*, inquit, *ſed in ſpectaculum comparabant. ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* Ex mox addit: *Apud deſidioſiſſimos ergo videbis, quidquid orationum, hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus exſtructa loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas, Bibliotheca quoque, ut neceſſarium domus inſtrumentum, expolitur.* Malè, fateor: & utinam tamen noſtri divites ſic laſciviant! ſemper cùm alieno aliquo, ſi non ſuo,

* *Legi malim*: hominum litteratorum ore pervenit. † *De Tranquill. cap.* 9.

ſuo, uſu & bono. Obſervare autem hîc eſt de *Balneis & Thermis* etiam: ſicut ſuprà notavimus, illam *Vlpiam* in Diocletiani Thermis dicatam: Cur autem ibi? credo, quia corpori curando otiosè tunc vacabant: & igitur occaſio erat legendi aliquid, hominibus aliàs occupatis vel audiendi. Enimverò etiam in Villis & Prætoriis paſſim habebant: ab eâdem hac, otii & vacationis ibi, cauſsâ. Ad quem morem Pauli JCti. reſponſum dirigitur: *Fundo legato libros quoque & Bibliothecas, quæ in eodem fundo ſunt, legato contineri.* Plinius de ſuâ villâ: * *Parieti, in Bibliothecæ ſpeciem, armarium inſeritur.* Martialis, alterius cujuſdam Julii Martialis, villaticam Bibliothecam commendat †:

Ruris Bibliotheca delicati,
Vicinam videt unde lector urbem;
Inter carmina ſanctiora ſiquis
Laſcivæ fuerit locus Thaliæ,
Hos nido licet inferas vel imo,
Septem quos tibi miſimus libellos.

* *Lib.* 2. *epiſt.* 17. † *Lib.* 7.

CAPUT IX.

Ornatus Bibliothecarum, ebore & vitro. Armaria, & Foruli, & Plutei, & Cunei.

PEregi de Bibliothecis; & produxi, quas ævum quidem non ſubduxit. Ut-rem

rem dicam, paucas è multis: & *ſtillicidium de ſitula*, veteri verbo: tamen vel hæc ſatis ad ſtimulum, & exemplum. An & addam aliquid de ornatu earum ſive inſtructo? fiat. In Iſidoro lego: *Peritiores architectos neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putaſſe; neque pavimenta alia, quàm è Caryſtii marmore: quod auri fulgor hebetet, & Caryſtii viriditas reficiat oculos.* Bono hoc judicio iſte, ſive à quo hauſit. Nam de fulgore, certum eſt & mihi compertum, intentioni & ſtilo officere: ſicut de virore, liquet oculis recreandis eſſe. Boëtius hoc amplius in Conſolatione ſuggerit: *comptos ebore & vitro parietes fuiſſe.* Quid, parietes laterales? non ergo Armaria aut Plutei ad parietes (neque enim conſpicuus ſic ille ornatus fuiſſet) ſed in medio diſpoſita, ut hodie quoque publicæ ferè Bibliothecæ uſurpant. Sanè Vitra olim in quadras orbes, ova, aut rhombos diſtincta parietes ornabant, non aliter quâm marmoreæ cruſtæ: ſæpiùs tamen cameras, & lacunar. Ita enim Plinius, libro XXXVI. *Pulſa ex humo pavimenta in cameras tranſiêre è vitro, novitium & hoc inventum.* Novitium ita, ut tamen eſſet Neronis & Senecæ ævo. Nam ut de re vulgatâ Seneca, epiſt. LXXXVI. de Balneis: *Niſi vitro abſconditur camera*: atque ibi me vide. Tamen in *pa-*

rie-

rietibus etiam fuiſſe, præter Boëtium, Vopiſcus oſtendit, in Firmo: *Nam & vitreis quadraturis, bitumine aliiſque medicamentis inſertis, domum induxiſſe perhibetur.* Bitumen autem hîc ad committendum nectendumque parieti accipio inſertum, non ad ipſas quadras jungendas: quas decorè magis ebur (ut in Boëtio) diſtinxit. Atque id etiam in Armariis ipſis fuit; unde *Eborea Bibliotheca* in Pandectis legum: & in Senecâ *, *Armaria cedro atque ebore aptantur.* Armaria autem fuiſſe in Bibliothecis, res & hodierna uſio demonſtrant: ſed addo, numeris ſuis diſtincta. Ita Vopiſcus: *Habet Bibliotheca Vlpia in Armario ſexto librum elephantinum.* Elephantinum an ex Ebore, an in corio elephanti perſcriptum? Vetus Scholiaſtes Iuvenalis, in illud: *Hic libros dabit & forulos. Armaria*, inquit, *Bibliothecam.* Etſi propriè, opinor, *Foruli*, ipſi *nidi*, ut cum Martiale dicam, librorum, ſive cum Senecâ, diſtincta *loculamenta.* Sidonius & hæc & alia in Bibliothecis collocat †: *Hic libri affatim in promptu: videre te credere aut Grammaticales Pluteos: aut Athenæi Cuneos, aut Armaria exſtructa Bibliopolarum. Pluteos*, id eſt tabulas inclinatas tranſverſim, quibus libri legendi imponerentur: *Cuneos* ſcamnorum ſeriem,

* *De Tranq. cap* 9. † *Lib.* 2. *epiſt* 9.

riem, ut in Athenæo, ſic digeſtam: *Armaria* autem plena & alta, quæ dixi. Ea *Pegmata* Cicero ad Atticum † videtur appellaſſe.

† *Lib.* 1.

CAPUT X.

Imagines in iis doctorum, laudabili more: cui origo, ab Aſinio.

SEd vel præcipuus ornatus, & imitandus, meo judicio, nondum hodie imitatus, ſunt *Imagines* ſive & *Statuæ* doctorum, quas unâ cum libris diſponebant. Nónne pulchrum, & ſuave oculis ac cogitationi fuit? Naturâ trahimur ad ſimulacra & effigies magnorum virorum noſcendas, & illa corpora, ſive hoſpitia, quibus cæleſtis ſe animus incluſit: ecce hîc erat, Homeri, Hippocratis, Ariſtotelis, Pindari, Virgilii, Ciceronis, & alia ſcripta videres aut libares oculis: unà etiam imaginem ſcriptoris adjunctam. Iterùm repeto, pulchrum: &, te ILLUSTRISSIME præeunte, cur non uſurpamus? Romanum hoc inventum videtur: ne omnia bella ad Græciam referantur: & Plinius inclinat *. *Nullum majus* (inquit pulcherrimâ gnomâ) *felicitatis ſpecimen arbitror, quàm ſemper omnes ſcire cupere, qualis fuerit ali-*

* *Lib.* 35. *cap.* 2.

aliquis. Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit. An priores cœperint Alexandriæ & Pergami Reges, qui Bibliothecas magno certamine inſtituere, non facilè dixerim. Itaque Aſinius videtur auctor. qui etiam (eodem Plinio prodente) * M. Varronis, *in Bibliothecâ, quæ prima in urbe* (abſurde in *orbe* alii) *publicata eſt, unius viventis poſuit imaginem.* Quod tamen & aliis poſteà, indulgentiâ aut judicio, datum video: & nominatim Martiali poëtæ. qui gloriatur †, quod *Stertinius imaginem ejus ponere in Bibliothecâ ſuâ voluerit.* Sed plerumqu[e] mortuorum, & quos famæ conſenſus jam ſacraſſet. Plinius ‡: *Non eſt prætereundum & novitium inventum. ſiquidem non ſolùm ex auro argentóve, aut certè ex ære, in Bibliothecis dicantur illi, quorum* IMMORTALES ANIMÆ *in iiſdem locis loquuntur; quinimò etiam quæ non ſunt, finguntur. pariuntque deſideria non traditi vultus.* Appellat *novitium*, id eſt Pollionis, *inventum*. oſtendit mortuorum & è metallo plurimùm fuiſſe: ſed addo etiam è gypſo, in privatis (pro cujuſque ſcilicet copiâ) Bibliothecis. Juvenalis:

——— *quamquam plena omnia gypſo*
Chryſippi invenias.

Imo

* *Lib. 7. cap. 30.* † *Præfat. l. 9.* ‡ *Lib. 31. cap. 2.*

Imò & in tabulis, opinor, imagines fuere: & fortaſſe in librorum fronte picturâ etiam expreſſæ. Seneca *: *Iſta exquiſita, & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum.* Suetonius in Tiberio: † *Scripta eorum & imagines, publicis Bibliothecis, inter veteres & receptos auctores, dedicavit.* Plinius in Epiſtolis: *Herennius Severus, vir doctiſſimus, magni æſtimat in Bibliotheca ſua ponere imagines Cornelii Nepotis, & Titi Attici.* Itaque utrumque, & Statuæ & Imagines fuêre. Plinius idem, de Silio Italico: *Plures iiſdem in locis villas poſſidebat. multum ubique librorum multum ſtatuarum, multum imaginum: quas non habebat modò, verumetiam venerabatur. Virgilii ante omnes.* Vopiſcus, de Numeriano: *Hujus oratio tantum habuiſſe fertur eloquentiæ, ut illi ſtatua, non quaſi Cæſari, ſed quaſi Rhetori decerneretur, ponenda in Bibliotheca Vlpia, cui ſubſcriptum eſt:* NUMERIANO. CÆSARI. ORATORI. TEMPORIBUS SUIS. POTENTISSIMO. Sed & Sidonius ſibi ibidem poſitam, jure gloriatur:

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerva Trajanus titulis videret,
Inter auctores utriuſque fixam
Bibliothecæ.

Si-

* *De Tranquill.* † *Cap.* 73.

Significat, & in Græcâ & Latinâ Bibliothecâ, ſtatuam ſe habuiſſe. Ceterùm minores illæ imagines ſive ſtatuæ Pluteis plerumque impoſitæ videntur, ante ſuos quæque libros. Iuvenalis:

Et jubet archetypos Pluteum ſervare Cleanthas.

Veteris diſtichi ea mens, quod *Imagini* tali *Virgilianæ ſubſcriptum* fuit:

Lucis damna nihil tanto nocuère poëtæ,
Quem præſentat honos carminis & Plutei.

Significat, videri vivere, qui in libris & imagine vivit Inde & *Sigilla Plutealia* apud Ciceronem, ad Atticum. Nam jam tunc Bibliothecas exornabant Deorum, ſi non auctorum ſigillis.

CAPUT XI.

In occaſione de Muséo Alexandrino. docti viri ibi habiti atque aliti, in publicum bonum. Reges aut Imperatores ei curabant.

ET plura equidem ſuper Bibliothecis, quæ * ἀξιόλογα ſint, non habeo: unum etiam, quod ad earum fructum. Nam ſi ſolæ eæ, aut rarus adventor, ſi homines, inquam, non ſunt qui frequentent & evolvant: quò iſta congeries? & quid niſi *ſtudioſa quadam luxuria* ſint, ut Seneca ap-

* *digna dici.*

appellat? Providerunt hoc quoque Alexandrini Reges: & unà cum illis *Muſeum* (ita dixerunt, quaſi *Muſarum ædem*) extruxerunt, in quo fas eſſet Muſis operari, à ceteris rebus ſeriatos. Imò & à vitæ victuſque curis vacuos: cùm alimenta iis hîc è publico darentur. Præclarum inſtitutum! quod unus Strabo optimè deſcribit *: τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ Μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινά, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νυνὶ δ' ὑπὸ Καίσαρος: *Pars etiam Regiæ eſt Muſéum, quod ambulationi & ſeſſui loca habet, & magnam unã domum, in quâ convivunt & comedunt unà, qui Muſéi conſortes ſunt litterati viri. Habet autẽ hoc collegium & pecuniam ſive vectigalia in commune, & Sacerdotem item. qui Muſéo præeſt, olim à Regibus, nunc à Cæſare conſtituendum.* Primùm ait, *Regiæ* ſive *Aulæ partem* fuiſſe. Scilicet adnecti ſibi & jungi voluerunt Reges, ut in propinquo & promptu eſſent eruditi iſti, cum quibus differerent, cùm libitum, animo docendo, & paſcendo Habuit *Porticus* & *Exedras*: illas exercitio corporis magis; has animi, & ubi conſidentes alter-

* *Lib. 17.*

terçarentur & conferrent. Fuit & *Domus, ubi communis iis victus & menſa*: quod ſic etiam Philoſtratus expreſſit, de Dionyſio †: quem in *Muſeum receptum* ſcribit, additque: Τὸ δὲ μουσεῖον τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ γῇ ἐλλογίμους: *Muſeum autem eſt Ægyptia menſa quæ convocat omnes in univerſa terra litteratos.* Verba penſitari cupio, *omnes ex omni terrâ*: & videmus numerum; nec rem tenuem & parvi impendii fuiſſe? Quod & Timon Sillographus indicat, etſi more & inſtituto ſuo carpens.

Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
Βιβλιακοὶ χαρακῖται, ἀπείριτα δηριόωντες,
Μουσέων ἐν ταλάρῳ.

Permulti paſcuntur in Ægypto populoſâ
Pugnantes libris, ac ſemper digladiantes
Muſarum in cavea.

Nam, explicante Athenæo, * τὸ μουσεῖον τάλαρόν που φησὶν, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτοῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες: *Muſeum dixit Caveum, irridens Philoſophos qui in eo alebantur, velut pretioſæ quædã aves.* Iſte Philoſophos nominat, ſed Strabo universè ἐλλογίμους ἄνδρας dixit, *litteratos*

* *Lib.* 1.

tos doctoſque viros: & omne genus haud dubiè receptum. Sed *viros* ait: non ergo pueros aut juvenes, & qui velut in ſpem ſtudiorum (hodie ſolitum) educarentur. Non quin iſtud velut præmium eruditis, & quies quædam honeſta fuit: haud aliter quàm Athenis benè de rep. meritis victus erat Prutaneo. Ubi eſtis PRINCIPES? & quos urit aut excitat honeſtus æmulandi ignis? Sed pergit Strabo, & *Sacerdotem* præficit, Regum aut *Cæſarum dilectu*. Magna igitur dignitas, & quæ ab ipſo Cæſare conferenda. Sed quid, quòd ipſa ibi loca idem Cæſar adſignaret? Ita enim Philoſtratus, de Dionyſio Sophiſtâ: Ἀδριανὸς σατράπην αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ὀλίγων ἐθνῶν, κατέλεξε δὲ τοῖς δημοσίᾳ ἱππεύουσι, καὶ τοῖς ἐν τῷ μουσείῳ σιτουμένοις: *Hadrianus Imp. Satrapam ſive præfectum eum conſtituit non exiguarum gentium: & adſcripſit inter eos, qui publicè equo veherentur: itemque qui in Muséo alerentur.* Iterùm, de Polemone: Κατέλεξε δὲ αὐτὸν καὶ τῷ τοῦ μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν: *Allegit eum* (Hadrianus) *& Muſéi conventui, ad Ægyptiam menſam.* Sed notem ibi vocem κύκλῳ, *circulo* (etſi ego *Conventui* reddidi) quâ ſignificari arbitror, in orbem rem iviſſe, & quoſdam allectos tempeſtivè, & in anteceſſum: id eſt, priuſquam locus vacuus etiam eſſet.

Sed

Sed ſpes ſuſtentabat, & ordine ſuccedebant, qui ſic adſcripti: ut hodie in beneficiorum collatione Principes quidam uſurpant. Athenæus denique hujus donationis à Principe etiam meminit: ubi ait * *Pancratem quemdam poëtam, ingenioſè Hadriano adulatum de Antinoo ſuo: atque ille*, inquit, ἡσθεὶς τῇ εὑρέσει, τὴν ἐν μουσείῳ σίτησιν αὐτῷ ἔχειν ἐχαρίσατο, *delectatus inventiunculâ, cibum in Muséo illi gratificatus eſt.* Atque hæc Strabo aliique ſuper loco & inſtituto: licet addere, non vacuam omnino aut otioſam ibi vitam vixiſſe (qui poſſent viri bono publico nati?) ſed aut ſcripſiſſe, aut diſſeruiſſe; & recitaſſe. Ita Spartianus tradit, *Hadrianum Alexandriæ in Muséo multas quæſtiones Profeſſoribus propoſuiſſe, aut propoſitas diſſoluiſſe.* Adde Suetonium, in Claudio †: qui & Muséum hoc, altero addito, adauxit: ut certi libri ibi quotannis recitarentur. Deſino. DUX ILLUSTRISSIME. & te è magnis, ad omnia magna natum, hortor viam hanc veræ laudis porrò inſiſtere, & libris litteriſque propagandis æternitati tuum nomen conſecrare.

* *Lib.* 15. † *cap.* 42.

HERMANNI VULTEJI DE STUDIO JURIS DISSERTATIO.

QUEMADMODUM omnium ſcientiarum & diſciplinarum, ita & juriſprudentiæ vis omnis atque ſtudium in duobus illis poſitum eſt, in cognitione nimirum, ejuſdemque uſu: de quibus illa ingenii potiſſimum eſt, hic judicii: tametſi utrumque illud ſimul & ingenium & judicium, ſuo tamen quodque modo deſideret. Cognitio autem cum ſit contemplationis, in generalibus, atque ut ita dicam, in abſtracto h. e. in rebus à gerendo remotis, artiumque, quæ tractantur, præceptis occupata eſt: Uſus vero cum efficientiæ alicujus ſit, in ſpecialibus atque, ut ita dicam, in concreto, hoc eſt, id rebus gerendis maxime ſpectatur. Atque illa cum ſola ſit, uſus is eſt, qui res in cognitione poſitas rebus in actione verſantibus accommodat, & conjungendo iſtas quomodo illæ ad has affectæ ſint, demonſtrat. Cui conſequens illud eſt, ut ſi cognitio & uſus conjuncta ſint, is qui utrum-

utrumque habet, ſcientiæ iſtius ſive diſciplinæ ſit & dicatur artifex. Cognitio enim ut ſine uſu aliqua eſſe poſſit, vix tamen eſt, ut cuiquam niſi illi, qui rei cognitionem habet, utilis ſit: at uſus ſine cognitione incertus, dixerim ferè etiam nullus. Sed cognitio quidem, ut habeatur, prior eſt; uſus verò cognitionem illam excipit, at in applicando cognitio eſt uſu poſterior. Quò reſpexerunt Juriſconſulti, cum dixerunt ex facto jus ſumi*, hoc eſt, tum demum, quid juris ſit, aut de jure Juriſconſultum reſpondere, ſi de eo, quod factum eſſe dicitur, & de cujus jure quæritur, legitime appareat. Tum enim id, quod in generali juris cognitione ſive idea eſt, ad ſpeciem accommodatur, & jus quod cognitione & natura ſua eſt generale, in uſu & ex accidenti fit ſpeciale. Quod cum in omnibus ſcientiis diſciplinis, ut ab initio dictum eſt, illas docentibus & diſcentibus ſit obvium, tum verò in ea arte quæ eſt de jure & æquitate, eſt maniſeſtiſſimum. Ut enim finem juriſprudentiæ propoſitum ſine cognitione quis aſſequatur fieri nequit; ut vero quis juriſprudentiæ cognitionem habeat, nec tamen iſtam ad finem

* *l. Si ex plagis. 52. §. in clivo. D. Ad leg. Aquil. l. §. divus. D. ad leg. Cornel. de Sicar. l. eum quem 97. §. 1. D. de jud.*

arti illi propoſitum acommodet, vix eſt ut is Iuriſconſulti nomen mereatur *. Natura ubi finem ſuum aſſecuta eſt, perfecta eſſe dicitur: ita juriſprudentia tum demum perfecta fuerit in eo, ſi quæ in illius cognitione ſunt poſita ad communem Reipubl. utilitatem, ſive publice id fiat ſive privatim, referat. Iuriſprudentiæ enim finis eſt æquitas, & juſtitiæ in communi vitæ ſocietate conſervatio, quem illi, qui ſolis ſibi ſapiunt, non attingunt. Atque hæc juriſprudentiam revera nobis conſtituunt unicam; tametſi ex eo, quod eſſent, atque etiamnum ſint, qui uſu neglecto cognitionem præferant, & viciſſim qui cognitione poſtpoſita uſum ſectentur (neutri ſane felices ſatis, aut juriſconſultorum nomine digni) factum ſit, ut juriſprudentia illorum theorica, cujus ſtudioſi Theorici dicuntur horum practica, ex qua practicorum & pragmaticorum appellatio, (quamvis illa magis ſit eorum, qui cognitionem & uſum ſimul conjunxerunt) appellata fuerit. Verum illi ſibi ſolis fortaſſe profuerint, quamvis ne hoc quidem

* *Cic. 1 de Orat juriſconſultum his verbis in perſona Antonii deſinit: Si quæreretur, inquit quiſnam juriſconſultus vere nominaretur, cum dicerem qui Legum & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, & ad* reſpondendum *& ad* agendum *& ad* cavendum *peritus eſſet.*

dem ſatis plenè; hi non ſibi ſed aliis, atque aliis etiam illis caſu magis, quam judicio. Quorum autem ſtudium in utraq; illa eſt, hi demum ſunt & dicuntur revera Iuriſconſulti. Theoricorum an pragmaticorum qualitatem illis addas, nihil intereſt. Tam enim æquitas & juſtitia, ex [illegible]rum rerum numero ſunt, quæ referuntur ad aliud, ut eleganter docuit Ariſtoteles [a], & poſt eum Ulpianus noſter [b], Ulpinumque ſecutus Juſtinianus imperator [c], juriſprudentiam non ſola juſti atq; injuſti ſcientia definiens, ſed præterea ei notitiam rerum divinarum atque humanarum tribuens; multoq; accuratius Ulpianus idem alibi [d] affirmans, Juriſconſultos non ſolum boni & æqui notitiam profiteri, verùm etiam licitum ab illicito diſcernere, æquum ab iniquo ſeparare, veramque philoſophiam, id eſt, quæ cum publicè tum privatim humanæ ſocietati commoda afferat, non ſimulatam, hoc eſt, quæ in nuda & ſola contemplatione conſiſtat, atque rerum inanium & ſubtilium magis, quam utilium diſputationes perſequatur, affectare. Hanc ob cauſam Ars juris ſive æqui, non tam juris ſcientiæ, quæ rerum eſt univerſalium

 & in

a *Lib. 5. Eth. ad Nicomach. c. 1.* b *in l juſtitia 10. D. de juſtit. & jur.* c *in princ. Inſtit. de juſtit. & jur.* d *in princ. [illegible] D. & juſtit. & jure.*

& in contemplatione poſita, quam juriſprudentiæ, quæ rerum eſt ſingularium, & in uſu agendoque conſiſtens, nomen ſortita eſt, utpote quod actiones magis ſingulares reſpiciat, quam rerum univerſalium cognitionem, quæ in ſe quidem hominis, in quo eſt animum perficiat, aliis vero ſit inutilis. Atque inde etiam illud eſt, ut qui artem illam profitentur, præterquam quod appellantur juris autores [a], juris conditores [b], juris interpretes, juris interpretatos [d], jurisperiti [e], in quibus tamen adpellationibus uſus etiam aliquis, quamvis non ille, quem nos deſideramus, id eſt) dicantur etiam juriſconſulti [f], juriſprudentes, [g] viri prudentes [h], & abſolute prudentes. [i] Unde tam à cognitione, quam ab uſu juris recte definimus juriſconſultum virum bonum legum atque morum ad reſpondendum atque interpretan-

[a] *(l 2. § poſt originem, D. de origine jur. l. 3. D. Si pars heredit. petat. l. 38. D. de act. emt. l. 17. D. de jure patron. item ſimpliciter. Autores l. 1. §. 2. D. de uſufr. acoci. l. 138. D. de V. O* [b] *) l. 2 C. de commun. ſervo manum.* [c] *l. fin. C. de curat. furioſ.* [d] *§. 3. conſt. de Iuſtinian. C. confirm.* [e] *d. § poſt origin.* [f] *l, 10, D de grad, & affin.* [g] *§. Reſp, inſt, de jur, nat, gen. & civili,* [h] *l, D, de legib,* [i] *§. 4. conſt, de concept. D, & in rub. D. de orig. jur. & in l, 2, §, His legib. D eo § 1. inſt. de Cod. l 31. D, de vulg, & pupil. ſubſtit. Cuja. 7. obſ. 2[illegible]*

tandum peritum *. Interpretari enim cognitionis magis eſt, reſpondere uſus: quibus duobus capitibus omne omnino juriſconſulti officium abſolvitur. ita duæ nobis ſtudii juris partes conſtituuntur, quarum prior ad juris cognitionem pertinet, poſterior ad ejuſdem uſum: ex qua utraque ſimul conjuncta ſtudium illud totum conflatur, ut ſi alterutra illa ſola ſit, ſtudium de quo agimus, imperfectum eſſe exinde liquido appareat. Porro juris cognitio ea juris hiſtoria repetenda eſt, hiſtoria autem illa bona ſui parte arte eſt comprehenſa: ars vero præcepta comices, de cujus difficultate conqueſtio vetus quidem eſt, ſed ſi artem ipſam intuearis, minus vera, ſi homines, qui artem illam tractarunt non artificioſe, veriſſima. Quod enim natura ſua erat facile, id vicio hominum factum eſt difficile, qua de re dicendi locus erit alius. Præcepta artis juris ſcripta partim ſunt, partim non ſcripta. Scripta illis libris continentur, quos vulgo Corpus juris vocamus; & quod in libros illos multa atque varia relata ſint, quæ ſi per ſe conſiderentur, ſint tanquam membra, ſi conjunctim, corpus conſtituant ex diverſis illis membris tanquam compoſitum. His additæ ſunt poſtea Conſtitutiones Imper. Ro-

 man.

* *Cuja, in para D. de orig. ne juris.*

man. in Comitiis pro occaſione, neceſſitate ita poſtulante promulgatæ. Atque hæc præcepta ita artis ſunt proprie. Non ſcripta in conſuetudinibus & æquitate conſiſtunt, quæ minus proprie, & non niſi ſignificatione latiori artis nomine comprehenduntur. *Libri* juris non fuerunt omni tempore uniuſmodi. Fuerunt enim alii ante Juſtiniani. Imper. tempora, alii à Juſtiniano compoſiti, alii denique poſt eos vel ab Imperatoribus Juſtiniano poſterioribus, vel à pontificibus Romanis confecti. In hoc tamen priores illi omnes ab Imperatoribus facti conveniunt, ut ſint de jure civili, poſteriores verò à Pontificibus facti de jure Canonico. Ex quo duplices juris libri profecti ſunt, juris nimirum Civilis, & juris Canonici, de quibus utriſque ſigillatim nunc dicendum eſt. Libris juris *Civilis* continetur jus Civile, id eſt, jus illud, quo civitas Romana vel aliquando uſa eſt, vel etiamnum utitur*. Cujus capita multa ſunt, partim ab ipſo populo Romano primum inventa & introducta, partim à natura dictata, à Romanis autem approbata, informata, & ad uſum Reipub. Romanæ accommodata. Intelligitur autem civitas Romana, non, quæ mœnibus, ſed quia ejus imperio conti-

* *§. Sed jus quidem. Inſt. de Jur. nat gen. & civil.*

tineatur, quæ ab initio fuit anguſtior *, mox & ſucceſſu temporis, DEO ita ordinante, amplior, ut univerſum fere terrarum orbem, atq; in hoc etiam Germaniam, complecteretur. Ejus juris originẽ & progreſſum Pomponius †, vel, ut nonnullis videtur, Tribonianus ſub nomine Pomponii attigit magis, quam expoſuit. Quod omne ex triplici illo Imperii Romani ſtatu, qui dum illud ſtetit, fuit, dijudicandum eſſe arbitror, quorum primus fuit regius, alter popularis, & tertius Cæſareus ſive Imperatorius. REGIUS ſtatus annis duravit CCXLIV. ‡ ſub regibus ſeptem, de cujus jure etſi nihil in libris noſtris extet, hoc tamen ex princip. leg. 2. ff. de orig. juris apparet, initio ad arbitrium Romuli regis primi, à quo urbs ortum ſuum habuit, omnia gubernata, & poſtmodum tam ab ipſo Romulo, quam ipſum inſequentibus regibus leges latas fuiſſe, quas Sext. Papirius in librum quendam retulerit, ex quo jus illud jus civile PAPIRIANUM, nimirum nō ab autore ejus, ſed à collectore dictum fuerit. Cum regibus exactis exactæ etiam ſunt leges ipſorum, annisque viginti Romani iterum incerto & nō ſcripto jure

 uſi

* *§. Halic. Livius & alii rerum Romanorum ſcriptores.* † *2. in ſapè dicta, 2. ff. de origine jur.* ‡ *alii ſcribunt annis* CCXLV.

uſi ſunt, quæ res cum ſimultates & diſcordias maximas, atteſtante id Dionyſio Halicarnaſſeo, ceteriſque antiquitatum Romanarum ſcriptoribus, excitaret, decretum factum eſt, de Decemviris in Græciam ablegandis, inde & maxime Athenis atque Lacedæmone *, quarum urbium Reſpublicæ omnium opinione virorum & prudentia & fortitudine, eo tempore erant florentiſſimæ, petitum jura atque leges, quæ ſtatui rei Romanæ viderentur eſſe convenientiſſimæ. Hæc jura atque has leges inde allatas Decemviri decem tabulis concluſerunt, quibus de iſto jure, quod Romani ipſi conſtituiſſent, additæ ſunt duæ aliæ, atque ita facta XII, quæ *ſecundum* quidem jus civile poſt Papirianum illud conſtituunt, verum ex numero illo, atque adeo ex accidenti peculiari voce dicebantur LEGES XII. TABULARUM, & diſtinctionis cauſa interpretationes & diſputationes juriſconſultorum ad tabulas illas factæ ſpeciali nomine jus CIVILE appellabantur †, quod ita videtur fuiſſe quaſi *Tertium*. ACCESSERUNT ad eas temporis ſucceſſu Senatuſconſulta, plebiſcita & Magiſtratuum edicta, quibus quod legi XII. tabul. deerat ſupplebatur, aut quid

* *§. Et non inelegamter Inſt. de jure natur, gent, & civili,* † *d, l. 2, §. Deinde,*

quid emendabatur, ad æquitatem flectebatur, quæ & ipſa omnia juris civilis appellatione generaliori continebantur. Ex his pleraque pro occaſione naſcebantur & rurſus interibant: Edicta autem Magiſtratuum, prout ipſi erant annui, ita annua erant *. Qua in re cùm multum libidini partim invidiæ hominum tribueretur, lege Cornelia facta illa ſunt perpetua, quæ Hadriani Imp. qui imperare cepit Anno Chriſti CXIX. juſſu & Senatus autoritate à Salvio Juliano Juriſconſult. in ordinem digeſta & compoſita ſunt †, unde Edicti perpetui nomen non ad annum, ut antè, ſed perpetuò valituri, quod poſtea interpretati ſunt, & Commentariis ſuis, quos elegantiſſimos fuiſſe reliquiæ illæ in Digeſta ſua à Juſtiniano relatæ ſatis arguunt, illuſtrarunt Papinianus, Ulpianus, Paulus, Gajus, Scævola, aliique qui poſt ea tempora vixerunt Juriſconſulti. *Fuerunt* autem ante tempora illa, & quidem mox circa initium ſtatus popularis in Imperatorium commutati, inter juris Interpretes ingentes de quibuſdam juris articulis contro-

* *In prin. inſt de perpet. & tempor. act. Bud. in l. 2. D. de ſtatu homin. Alciat. 3 diſpunct. 17. in Verri legem vocat annuam* † *l 2 § Sed quia divina C. de veter. jure enucl. l. pen. C. de condict. indeb. Eutrop. in vita Adriani, Nicol. Bellon. 1. Supp. nr. 9 in fine.*

verſiæ, quarum veſtigia etiamnum in libris juris extant. Controverſiis illis, ex quibus ſectæ poſtea enatæ ſunt *, occaſionem dedit, & à ceteris Iuriſconſultis quaſi divortium fecit Antiſtius Labeo, cùm eouſque præceptorum ſuorum veſtigiis diſcipuli inſtitiſſent. Labeo enim ille ingenio & doctrina fretus multa innovare cepit, Capito autem ipſius coætaneus in iis quæ à præceptoribus didicerat, perſtitit, uterque autem Offilii fuit diſcipulus. Capitoni ſucceſſit Maſurius Sabinius, huic C. Caſſius Longinus, à quo Caſſiani nomen habent, atque huic iterum Cœlius Sabinus, à quo Sabiniani: Labeoni verò à quo Labeoniani dicuntur, ſucceſſit Nerva pater, qui C. Iulio Cæſari familiaris fuit, huic Proculus, à quo Proculiani, & Proculo Pegaſus, à quo Pegaſiani appellantur. Hæ ſectæ, etſi ad Iuriſc. poſteriores, ex quorum Commentariis Digeſta noſtra compilata ſunt, propogatæ ſint, videntur tamen plerique ex illis, & præſertim quò fuerunt ab autorib. ſectarum remotiores, neutri ex profeſſo adhæſiſſe, ſed veritatem potius, quantum ejus fieri potuit, ſectati, ſive ea à partibus eſſet Sabinianorum, ſive à partib. Proculianorum, de controverſiis accuratiſſimè, ut ex reliquiis ipſorum

* *de quibus in fine d.l.2. Ant.Cent.1.Lection.12.*

rum apparet, diſputantes. Ex quo factum eſt, ut cùm antiquiores illi de jure libros complures ſcripſiſſent, recentiores etiam non paucos, ut numerus librorum tempore Juſtiniani ad duo millia, & verſuum trecenties decem millia excreverit*, ut cùm Juriſprudentia mole ſua ruinam minitari videretur, Juſtinianus inde occaſionem acceperit perficiendi iſtud quod Pompejus, M. & C. Julius Cæſar ſibi de jure in artem redigendo propoſuiſſe ſcribuntur †. & jus univerſum, cujus ſua ætate uſus eſſet, in corpus quoddam certum redegerit, quod Digeſta ſeu Pandectas appellari voluit, quarum Epitome ſunt illæ, quæ vocantur Juris Inſtitutiones, quibus acceſſit Codex, & demum Novellæ. Ita jus civile à Juſtiniano Imp. compoſitum, hodie cōſtat voluminib. quatuor. Justinianus in conſortium imperii ab avunculo ſuo Juſtino ſeniore adoptatus Cal. April. anno poſt natum Chriſtum D.XXVII. cum eo Imperat menſibus quatuor. Iuſtinus enim quarto menſe pòſt exacto, nimirum Calend. Aug. diem ſuum obiit, & imperium ſoli Iuſtiniano reliquit. *Sequenti* anno qui fuit annus Chriſti D.XXVIII.
Idib.

* *§ 1. conſtit. Omnem, & §. in piiſsimas. Conſtit. Dedit.* † *Cicero in Oratore. Balduin. in prologo. Inſt §. Corneliu*m.

Idib. Febr. Codicem fieri mandavit, non quidem illum, quo nunc utimur, ſed alium quem ipſus poſtea abolevit. Duplex enim à Iuſtiniano Codex factus eſt: Unus & ille prior confirmatus VI. Idus April. anno D. XXIX.* alter & ille poſterior XVII. Calend. Decembr. Anno D. XXXIV. occaſionem tam huic quam illi conficiendo dederunt tres illi Codices ante Iuſtinianum facti, in quibus Imperatorum anteriorum Conſtitutiones, quæ tum erant in uſu, deſcriptæ erant, nimirum Gregorianus; Hermogenianus & Theodoſianus. Et Gregorianus quidem ita a nomine ſtudioſi, qui eas collegerat, ut quibuſdam videtur, dictus: continebat Conſtitutiones Imperatorum ab Adriano ad Valerianum & Galienum: Hermogenianus vero itidem ab ejuſdem editionis autore complectebatur conſtitutiones Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Carini, & innumeras Diocletiani & Maximiani; & denique Theodoſianus à ſublimiori videlicet Theodoſio Imperat. ipſo, cujus autoritate conditus erat, appellatus, habebat Conſtitutiones inde à Conſtantino M. uſque ad Theodoſium latas,† De his tribus Codicibus Theodoſianus ex-

* *Quidam putant hoc factum eſſe an.* D. XXXI. *niſi error ſit in tranſpoſitione notæ numeri.* † *Cuj. in proleg. parat. Codic.*

extat integer * , Gregoriani & Hermogeniani fragmenta quædam , illius tamen quàm hujus plura, tametſi quantum ad uſum forenſem attinet jactura illorum Codicum, meo quidem judicio, tanti facienda non fuerat, cùm Iuſtinianus ex tribus illis unum Codicem componi curaverit, in quem non iſtæ tantum Conſtitutiones, quæ illis libris continebantur, atque tum adhuc uſurpabantur, verum etiam aliæ tam à Thedoſio ipſo poſt editionem ſui Codicis, quàm aliis ipſum ſequentibus imperatoribus uſque ad Iuſtinianum latæ referrentur, de quo Codice accipiendæ ſunt duæ illæ Conſtitutiones, quæ ſine judicio aliquo, ut arbitror, in Codice noſtro extant, quarum una eſt, *De novo Codice faciendo*, & altera, *de Iuſtinianeo Codice confirmando*, cujus Codicis uſus fuit non admodum longævus, nimirum ex XVI. die Calend. Maji, Anni D. XXIX. uſque ad IV. diem Calend. Januar. Anni D. XXXIIII. quo tempore Codex poſterior editus eſt, de quo mox dicam, ubi de inſtitutionibus & Digeſtis pauca prius attigero. Tam enim inſtitutionum, quam Digeſtorum editio præceſſit editionem Codicis illius poſterio-

* *Quem in lucem primus protulit*, *Ioan. Sichard. anno* 1528, *auxit Ioan. Tilius anno* 1549, *elegantiorem fecit Cujac. anno* 1566.

rioris, quod ad Antinomiarum quarundam conciliationem cum primis diligenter obſervandum eſt. Inter eos igitur juris libros Iuſtinianeos, quibus utimur, primo loco collocandæ ſunt *Inſtitutionis* juris. Inſtitutiones illas, an inſtituta appelles nihil intereſt, & eſt illa diſputatio hominum curiosè ocioſorum. Iuſtinianus ſane utraque appellatione uſus eſt. Inſtituta enim dixit in Conſtitutione ſua ad Senatum magnum, De Confirmat. D. §. Sed cum oportebat, atque eodem modo Theophilus. Inſtitutiones idem Iuſtinianus appellavit in Conſt. Omnem in pr. & §. 1. & in §. Sepius, & in conſt. tanta. §. omnem, quæ appellatio etiam in uſu quam illa eſt frequentior, Iuſtinian. illas recte deſcripſit, quod nihil ſint aliud, quam mediocris quædam introductio in jura [a], & juris initie [b], & prima legum cunabula [c], & prima legum fundamenta aut elementa [d], Mandatum quidem de componendis Digeſtis eo quod fuit de inſtitutionibus conſcribendis, prius fuit, & in inſtitutionibus aliquibus locis Digeſtorum fit mentio, ita ut illæ ſeſe ad latiores Digeſtorum libros referant; verùm cùm inſtitutiones in

a *d. §. Sed cum oportebat.* b *§. His igitur Inſtitut. de juſtit. & jure.* c *§. Sed non uſque Inſtitut. de legat.* d *Conſtitut. Tanta §. 11.*

in publicum ſint editæ XI. Calend. Decemb. anno à nato Chriſto [a] D.XXXIII.& Digeſta XVII. Calend. Ianuar. anni ejuſdem, atque ita illæ prius, hæc poſterius facta ſint publica, primo loco rectiſſimè illæ collocabuntur. præſertim quòd primo etiam loco tyronibus juris proponendæ & ediſcendæ ſint. Eſt tamen utrorumque dies, ex quo valeant, idem, nimirum dies III. Calend. Ianuar. anni prædicti D. XXXIII. Utra autem priori loco compoſita ſint, non videtur uſquequaque eſſe expeditum. Referunt ſe quidem inſtitutiones interdum ad Digeſta [a], ut exinde videantur inſtitutiones compoſitione eſſe poſteriores. Sed ex eo id neceſſariò non conſequitur, cum abſurdum non ſit, relationem etiam fieri ad id, quod nondum extat quidem, extiturum tamen eſt, & ſperatur: quod hic fortaſſe non ineptè quis dixerit, cùm relationes illæ fiant in genere, quæ in ſpecie fortè factæ fuiſſent, ſi Digeſta jam tum deſcripta exſtitiſſent. Juſtinianus ſanè uno loco † diſertè affirmaſſe videtur, Inſtitutiones poſt Digeſta eſſe compoſitas quod

* *Vt in §. Æque Inſtit. de actio §. Alioqui. Inſt. de except. §. ſi Inſt. de pub. judiciis.*
† *§. Cumque hoc DEO in conſtit. Inſtitutionibus, præfixa.*

quod cujuſmodi ſit, pluribus explicare operepreciumeſt, Cæterum Inſtitutiones quatuor libris abſolvuntur,quorum ſinguli ſuos habent titulos ſive capita,tituli verò ſuos paragraphos. Eſt autem titulus nihil aliud, niſi index rei ſubjectæ: idem & Rubrica dicitur [a], quod titulus plerumque cocco aut minio ſcriptus ruberet [b], quem ſcribendi morem antiquum eſſe ex aliis etiam autoribus [c] didicimus. Rubro opponitur nigrum. Nigrum autem dicimus id ipſum, quod titulo ſubjectum, plenius id quod titulus promittit, exponit. Paragraphum Græci intellexerunt notam quandam margini adſcriptam,qua ſententia præcedens diſtinguatur à ſubſequenti, cujus ſignum hujuſmodi §. Iuriſconſultis uſitatum eſt,à nonnullis paucioribus tamen, etiam θέμα vocatur, ex cujus vocabuli litera initiali θ Signum illud §. profectum eſſe valde eſt veroſimile, dixerim fermè certum: & quamvis trecenties decem millia verſuum apud Iuſtinianum quidam [d] interpretentur de lineis: rectius tamen verſus ibi accipiendos eſſe: quos pa-

[a] *l 2. §. fin. D. de interdict.* [b] *Cujac. in para. D. de Inſtit & jur.* [c] *Ovid. ſæpe in libris Triſtium. Iuvenal. Satyr. 10. Perſ. Satyr. 5. Quintil. lib. 12. c. 3. Servius in 10. Eclog. Virg.* [d] *Ant. Contius 1. Lection. S.*

paragraphos dicimus, exiſtimaverim [a]. *Poſt* Inſtitutiones ſequuntur *Digeſta* ſeu *Pandectæ*, uno menſe poſt inſtitutiones editæ, & poſt eaſdem proximè diſcendæ, quæ Digeſta quidem Latino & Iuriſconſultis uſitato vocabulo dicta ſunt, quod ad ea collectum & digeſtum ſit undique, quod in jus pertineat. Sunt enim leges in ea relatæ ex Iuriſconſultorum non antiquiſſimorum illorum, ſed eorum potiſſimum qui ad Edictum perpetuum ſcripſerunt, & alia ingenii ſui monumenta de jure literis prodiderunt, copioſiſſimis Commentariis variis decerpta, & ſuo quæque loco pro arbitrio & judicio compilatorum collocata: Pandectæ autem vocabulo græco, quod in ſe receperint omnes deciſiones ac diſputationes legitimas, nomine fortaſſis ampliori quàm vero: hæc vulgò duplici f. minuſculo. hoc modo ff. notari ſolent, vel ob eam cauſam, ut Alciatus [b] exiſtimavit, eumque ſecutus Corſius [c] quod Græci qui hoc corpus collegerunt Pandectas græca Π, quæ eſt initialis vocis Pandectarum, notarent, eique circumflexum ſeu virgulam ſupra ponerent, forma π͂, quæ apud Latinos poſtea ob ſimilitudinem in ff. tranſierit, vel, ut Catellia-

[a] *quod & Duaren. ſentire videtur* 2. *Diſputat. anniv.* 6. [b] 1. *Diſpunct.* 16. [c] 5. *Indegat.* 85. *num.* 6.

lianus Cotta ſcribit *, quod literæ iſtæ geminatæ denotent, illas factas, id eſt, perfectas eſſe, vel quod duplici pp. aut dd. ſcribi ſolitæ fuerint, quod per imperitos amanuenſes in duplex ff. depravatum fuerit †, vel ex aliis cauſis, quas refert Ferrand. Adduenſis **. Hodie pro cujuſque arbitrio vel græca litera π̃, vel latina majuſcula D. quarum ſcripturarum utravis mihi rectior videtur, vel duplici ff. notantur, & quocumque illud modo fiat, ad rem nihil intereſt. Sunt autem Digeſta diviſa à Juſtiniano in partes ſeptem, & libros quinquaginta, libri etiam plerique omnes diſtincti ſuis titulis, tituli legibus, leges denique paragraphis atque hi etiam interdum, ſi ſint prolixiores, ſuis verſiculis. Tempore Bulgari & Azonis, ut videtur, cœpta ſunt dividi in partes tres, in Digeſtum vetus, in Digeſtum inforciatum, & in Digeſtum novum. Et vetus quidem inde ab initio derivatur uſque ad titulor. Digeſtorum 3. libr. 34. qui eſt *Soluto matrimonio*: inde Infortiatum dicitur, uſque ad titulor. 1. libr. 39. qui eſt *de Operis novi nunciatione*: atque hinc Novum uſque ad finem, diſtinctione ut vocabulis ita re ipſa etiam nova atque barbara.

Qui-

* *In memorabil. ſuis in verb. Tandectas.* † *VValther, 8. Miſcella. 4.* ** *lib. 1. Explicat. cap. 1.*

Quidam * uſus cauſa diſtinctionem hanc factam arbitrantur ſed rationem uſus non exprimunt, & cur ita potius, quam aliter, & cur hæc illo, illa hoc nomine potius appelletur. Ex ratione docendi Digeſta iſtis temporibus in Italiæ Gymnaſiis eam diſtinctionem originem ſumſiſſe facilè crediderim: at verò cujuſmodi illa fuerit, non eſt tam expeditum, præſertim cum ab antiqua illa docendi ratione hodie in ipſa etiam Italia receſſerint. Vetus autem prius dici, quod cæteras præcedat, novum quod ſequatur, infortiatum, quod inter vetus & novum ſit intermedium, & utrique quaſi infercitum probabile eſt. Pandect. tertio loco ſequitur CODEX Juſtianeus novus editus 16. Cal. Dec. an. Chriſti D.XXXIV. † qui ex die IV. Cal. Janu. ejuſdē anni autoritatem accepit priori illo Codice Juſtinianeo ſublato, qui in ſcribendo litera majuſcula C. notari ſolet. Is libros habet XII. ad exemplum, Harmenopulo videtur, legis XII. tabul. ſinguli ſuos habent titulos, tituli leges, leges paragraphos. Leges autem illæ non ſunt ut in Digeſtis ex interpretum Commentariis collectæ, ſed ex Imperatorum conſtitutionibus, qui cum multo ſint interpretibus digniores, volumen etiam hoc ſpecialiter & κατ' ἐξοχὴν Codex appella-

* *VValther. à Miſcell.* 5. † *alii* D. XXXVI.

latur. Poſtremo dum novæ indies controverſiæ, ut fit, ex negociorum varietate emergerent, neque earum diciſio ex voluminibus ſuperioribus ſatis commode fieri poſſet, poſt Inſtitutionum, Digeſtorum & Codicis volumina compoſita Iuſtinianus conſtitutiones quaſdam novas emiſit, non tamen omnes uno eodemque tempore, ſed ſucceſſive, neceſſitate ita poſtulante omni iſto tempore, quo imperavit, annis nimirum XXXVIII, quæ & ipſæ poſtea in volumen unum collectæ ſunt, illas ſolas, non ut Codex diverſorum Imperatorum, complectens, quod appellationem τῶν νεαρῶν, ſive NOVELLARUM nimirum conſtitutionum ſortitum eſt, eo quod conſtitutiones in illud relatæ noviſſime poſt Cod. Iuſtiniani repetitæ prælectionis eſſent promulgatæ, & notam habet volumen illud literæ majuſculæ N. vel Nov. Latini id in partes novem diverſerunt, parteſque Collationes appellarunt. Quod autem ſint Novellæ iſtæ numero, non eſt omnino certum atque de eo neque Græcis neque Latinis ſatis liquidò conſtitiſſe exiſtimo. Antiquiores XCVIII. duntaxat agnoviſſe videntur, poſteriorum quidam 165. alii 168. Diſcrepantiam illam capitulorum diverſitas feciſſe videtur. Ejuſdem enim conſtitutionis capitula ſæpe plura ſunt,

ſunt, quæ à recentioribus poſtea in peculiares conſtitutiones divulſæ eſſe videntur. Novellis conjungũtur XIII. *Edicta* Iuſtiniani, quæ non ad certum aliquem populum aut gentem ſcripta ſunt, ſed in genere promulgata. Sed & alias duas conſtitutiones Iulianus Anteceſſor retulit ab eodem Inſtiniano compoſitas, qnarum prior ſanctio eſt pragmatica, varia continens capitula, poſteriot eſt de *adſcriptitiis & colonis*. Atque Iuſtinianus ejuſque de jure libri hactenus. Sane Imperatores Iuſtinianum ſequentes etiam ipſe Conſtitutiones fecerunt, quarum ut illis temporibus quibus fiebant, aliqua fuerit autoritas, hodie tamen in foro eſt nulla, in ſcholis perquam exigua, ut earum cognitio non videatur tantopere eſſe neceſſaria. Has ex parte collegit doctiſſ. Enimundus Bonæfidius in lib. I. qui eſt de jure. Orient. elegantia, prudentia & gravitate cum conſtitutionibus Iuſtinianei & Imperatorum anteriorum nequaquam conferendas. Scholæ. n. in Græcia à Iuſtiniano conſtitutæ Corpus illud juris Iuſtinianei colere cœperant, magnaque voce profiteri, unde elegantiſſima Græcorum interpretum ſcripta prodibant, de quibus hodie fere nihil, niſi quod poſteriores quaſi ex naufragio conſervarunt, extare reperitur. Verum
mox

mox & annis vix quadraginta à Iuſtiani morte elapſis cum dignitate imperii Rom. deficientib. videlicet Germanis, Hiſpanis, Gallis, aliiſque Occidentis poculis legum etiam ſtudium atque diſciplina labi cœpit, ut in Occidente quidem nulla earum amplius haberetur ratio, in Oriente etiam non admodum magna. Hinc cum tempore *Leonis* Imper. cognomento Philoſophi, libri juris Iuſtinianei vix dum eſſent noti, exemplo Iuſtiniani ipſe Pandectas collegit novas voluminibus ſex, & libris ſexaginta diſtinctas, quas mox inſecutæ ſunt ejuſdem Conſtitiones Novellæ c. XIII. quæ etſi de jure Iuſtinianeo nonnulla corrigant, eo uſque tamen earum autoritas non proceſſit, ut jus Iuſtinianeum aboleverint; adeo ut ne ipſius quidem Leonis tempore cuſtoditæ fuerint, niſi fortaſſe in rebus illis, de quibus antea jure nihil erat conſtitutum *. POST hunc vero Leonem & alii Imperatores leges promulgarunt, de quibus plenius eruditiſſimus Gothofredus in ſuo Corpore juris adinitium Novellarum Leonis, & quas Harmenopulus Theſſalonicæ judex primarius ſimul complexus, in Epitomen conjecit, quæ extat etiamnum. INTEREA in Italia longe lateque graſſebantur Hun-

* *quod exemplum confirmat. Cujac.* 17. *obſerv.* 38.

Hunni, Vandali, Longobardi & Gothi, qui in eam invexerunt jura ſua & peculiaria, quorum pars ea, quæ de feudis eſt non non fuit poſtrema, quæ etſi in Corpus juris Juſtinianei relata ſit, & vim legis obtineat, Juſtiniano tamen fuit incognita, nec unquam legis nomen accepit, ſed in nuda conſuetudinem appellatione conſtitit. Et ſi vero CAROLUS Magnus regnum Longobardorum, poſteaquam ſtetiſſet annis CC. III. evertit, juris tamen antiqui, id eſt Juſtinianei, quod in part. Occidentalibus jam omnino exoleverat in uſum revocandi rationem inire non potuit, vel quod rerum aliarum curæ ipſum avocarent, vel quòd & ipſi ipſiuſque conſiliariis de jure illo nihil conſtaret: ex quo factum eſt, ut jus illud Juſtinianeum, quod nunc profitemur, in Occidente ad tempora uſque LOTHARII. Imp. qui è domo fuit Saxonica, & imperavit circa annum Chriſti M.C.XXV. latuerit, atq; omnino incognitũ fuerit. Hujus Lotharii tempore an. Chriſti M.C.XXXVII. claruit Irnerius Juriſconſultus, qui Authenticas Codici Juſtinianeo ex Novellis inferſit, qui ſingulari DEI providentia atq; beneficio libros legũ Romanarũ, everſa Melfitana civitate Apuliæ, in bibliotheca à Piſanis repertos evulgavit, atq; ita jura Iuſtinianea Occidenti quaſi

N poſt-

poſtliminio reſtituit, ad nos uſque continuata, quæ homines ingenioſi & iſtis & hiſce temporibus commentariis ſuis certatim, quam bene nunc non diſputo, illuſtrare & interpretari conati ſunt, qui mole ſua nunc iterum eo uſque excreverunt, ut novo Juſtiniano in iis recidendis opus eſſe videatur, & quidem tanto magis, quanto veterum illorum Juriſconſultorum commentarii hiſce qui poſt ſucceſſerunt verborum elegantia & rerum pondere atque gravitate præſtantiores fuerunt. Interim vero etiam Conſtitutiones in Comitiis promulgatæ, hiſce ut Novellæ quædam acceſſerunt, quæ omnino cum illis ſunt conjungendæ. ATQUE ita ſe habent libri juris civilis, ſuperſunt qui ſunt de jure Canonico Quemadmodum autem illud à populo Romano, atque imperatoribus eſt conſtitutum, eorundemque autoritate confirmatum, & verò illi ipſi juris civilis libri, qui nomine Corporis juris civilis appellantur, à Juſtiniano Imp. aut certe juſſu ipſius collecti ſunt; ita jus Canonicum multo poſt tempore in ſuum etiam quoddam Corpus collectum eſt. Sanè fuit ab initio Pontificum Romanorum authoritas in Romano imperio prorſus nulla: poſteaquam Conſtantinus Imperator Chriſtianam fidem amplexus eſt, cœ-

cœpit eſſe aliqua, ſed in iis potiſſimum rebus atque negotiis, quæ ad Eccleſiam ejuſque adminiſtrationem pertinerent, in ſecularibus autem, ut ego quidem opinor, nulla, niſi fortaſſe per Imperatorum conniventiam, uſque ad tempora Phocæ Imperatoris, qui ſedi Romanæ magnam conceſſit poteſtatem, ut jam non amplius ſpiritualibus duntaxat, ut vocant, ſive Eccleſiaſticis, ſed ſecularibus etiam dominari inciperet. Unde ſicut ab Imperatoribus factæ antea erant & promulgatæ Conſtitutiones multæ, ita ipſi ſuas etiam Conſtitutiones illorum exemplo emiſerunt, quæ non minus atque illæ, imo interdum etiam plus in locis iſtis, quibus aliqua ipſorum erat autoritas, valuerunt. Quæ decreta & conſtitutiones poſtea in Corpus collectæ, ex eo quod à Pontificibus robur ſuum haberent, jus PONTIFICIUM dictæ ſunt, quemadmodum illud Cæſareum: Canonicum autem Synecdochicè, à parte nimirum illius Corporis altera, in quam Canones ſunt relati. Ejus vero juris volumina ſunt duo, Unum eſt Decreti, alterum Decretalium, quorum illud hoc eſt antiquius. Cum enim diſperſi circumferrentur ſanctorum olim patrum, aliorumque pontificum, vel publice in ſynodis, vel privatim factæ deci-

ſiones, quæ Canones dicebantur ex eo quod eſſent ceu regulæ certæ ſequendæ; atque ex illis pro rerum, temporum, perſonarum & locorum diverſitate quædam eſſent variæ, neq; inter ſeſe admodum conſentirent, atq; inde incertum eſſet, utra ex regulis ſibi contrariis potius eſſet ſequenda. GRATIANUS quidam S. Proculi Monachus apud Bononiam, illas, (motus fortaſſe libris de jure civili à Juſtiniano compoſitis, ante annos non ita multo plus minus quatuordecim ab Irnerio J. C. Occidenti, ut dixi, reſtitutis,) in unum volumen circa annum Chriſti M. C. L I. tempore Eugenii III. Pontificis, qui illud ſibi poſtea oblatum confirmavit, imperante in Occidente Conrado III congeſſit, quod volumen una voce DECRETUM dicitur, quoniam in eo decreta, id eſt, definitiones atque deciſiones Synodorum vel patrum vel pontificum continerentur. Decreti hujus partes ſunt tres: PRIMA continet pugnantium decretorum diſtinctiones, hoc eſt, conciliationes diſtinctionibus adhibitis factas, centum & unam, quarum ſingulæ ſuos habent Canones, & Canones plerique paragraphos, & hi rurſus ſuos verſiculos: ALTERA pars obtinuit CAUSARUM nomen, quæ numero ſunt triginta ſex, atque ita dictæ, quod argu-

gumenta ſint, ex quibus eliciuntur quæſtiones, unde de rebus diſputantur * : habent cauſæ quæſtiones ſuas, & quæſtiones rurſus ſuos Canones, qui paragraphos & verſiculos: TERTIA pars decreti eſt de conſecratione, quæ obſolvitur diſtinctionibus quinque, & hæ ſuis Canonibus. Decretorum volumen ſecutum eſt volumen DECRETALIUM. Decretales autem dicuntur ſubaudiendo Epiſtolas. Decretalis vero Epiſtola eſt conſtitutio Pontificis ad conſultationẽ alicujus facta. Cæterum integrum Decretalium volumen non eſt uno tempore editum, atque ex eo in tres partes dividi poteſt, quarum PRIMA ea eſt, quæ in ſpecie Decretalium appellationem retinuit, & compoſita eſt à quodam Raimundo Capellano Gregorii IX. Pontificis, qui eandem confirmavit circa annum Chriſti M. CC. XXXI. tempore Friderici II. Imperatoris, complectiturque hæc pars libros quinque, ex quibus allegantur capitula & rubricæ, ſub quibus capitula, quæ allegantur, collocata ſunt, quin & interdum capitulorum paragraphi, atque horum verſiculi, notata ea parte vulgò præpoſitione EXTRA, ſed, meâ quidem ſententia vitioſè, tametſi nunc quidem uſus ita receperit: ALTERA pars dicitur liber SEXTUS

 vel

* *colligitur ex diſtinct.* 101. *&* *pr. cauſa* 1. *quæſt* 1.

vel ſimpliciter Sextus, eo quod proximè ſequatur libros Decretalium Gregorii quinque atque iſtis ſit additus, ut liber in numero iſtarum Decretalium ſextus. Hic liber ſextus itidem libros quinq; continet, atque eoſdem fermè titulos ſive rubricas, niſi quod in ſexti hujus libri libris quinque ſuppleti ſunt à Bonofacio VIII. defectus caſuum emergentium, in libris Gregorianis non comprehenſorum, ita liber ſextus ſe ad Gregorianos illos quinque habeat, ſicut Novellæ Juſtiniani ad Codicem. Ex his libris libri ſexti, cum capitulum citatur, additur non rubrica tantum, cui capitulum illud ſubeſt, verum etiam nomen Sexti ad differentiam librorum quinq; Decretalium præcedentium. TERTIA pars eſt Conſtitutionum à Johanne XXII. Pontifice editarum, quæ iterum partibus duabus diſtingui poteſt, quarum prior diciturCLEMENTINÆ,eo,quod in eas relatæ ſunt conſtitutiones Clementis V. Pontif. ab ipſo quidem conceptæ anno M. CCC. VI. ſed promulgatæ demum à prædicto Joan. XXII. die XXV. Oct. anno M. CCC. XVIII. Ludovico V. in Occidente imperante. Hæ nomine non canonum aut capitulorum ut ſuperiora decreta & conſtitutiones ſuperiores, ſed Clementinarum allegari ſolent, notatæ in ſcribendo

hoc

hoc modo Cl. vel, Clemen. addita rubrica ſive titulo, cui Clementina, quæ allegatur ſubjecta eſt; poſterior vero dicitur EXTRAVAGANTES, eo quod decretales in illam relatæ, & à Johanne XXII. editæ, extra librorum juris Canonici textum ſint frequentatæ, haud aliter atque nonnullæ, Imperatorum Conſtitutiones conſuetudinibus feudalibus additæ. Has ut Clementinas Extravagantium nomine appellamus: crediderim olim his allegatis nomine capitulorum ad differentiam cæterarum decretalium additam fuiſſe in notando volumine præpoſitionem EXTRA, quæ poſtea primæ decretalium parti adſcripta ſit. Atque his voluminibus libri Corporis juris Canonici adſolvuntur, de quibus Decretium ſe habet, ut in Corpore juris civilis Digeſta: Decretales ut Codex, quoad partem primam: quod cæteras duas ut Novellæ. Sed & poſt Juſtinianum Imperatores, qui fuerunt ſuas etiam conſtitutiones ediderunt, ita & Pontifices qui fuerunt poſt Iohannem XXII. ſuas decretales epiſtolas, quarum ſumma, atque earum etiam quæ poſt Gregorium IX. promulgatæ ſunt uſque ad Sixtum V. nunc Pontificem, Lugduni ante biennium prodiit: quin & Gregorius XIII. nonnullis decretis & decretalibus juris manus ad-

movit. Deerant Inſtitutiones juri Canonico, ut non volumina ſingula juris Canonici reſponderent ſingulis voluminibus juris civilis. Ne tamen quid deeſſet, Paul. IV. Pont. qui pontificatum iniit die x. Cal. Junii, anno à nato Chriſto M. D. LV. ad earum compoſitionem animum adjeciſſe ſcribitur. Mandavit enim Joann. Paulo Lancelloto JC. Peruſino, ut inſtitutiones juris Canonici componeret; tametſi vero eſſent illæ compoſitæ, atque Pontificii etiam exhibitæ, ab eodem tamen confirmatæ non ſunt, editæ nihilominus, ſed autoritate privata, ante paucos annos Corpori juris Canonici, juſſu Gregor. XIII. editi, tandem additæ. Idem poſt Lancellotum, ut ego quidem puto, tentavit M. Antonius Cucchus. Verum ut jus civile, ita & hoc Canonicum ſuos invenit interpretes, & fortaſſe etiam nec numero pauciores nec autoritate inferiores, inter quos cum de quæſtionibus incidentibus controverſiæ moverentur, & alii in illam inclinarent, ſententiæ numerari cœptæ ſunt, atque ex illis *Communes Opiniones*, quas vocant, conſtitutæ. Quorum autem præ reliquis opera egregiè ſit præſtita, judicare perquam eſt difficile, & fortaſſe etiam nimis ambitioſum, nec hominis eſt candidi judicare de ſcriptis aliorum, quæ non

non legerit nec cognoverit. Vetus eſt illud & valde ſcitum, veriſſimum tamen.

——— *non omnia poſſumus omnes.*

& ejuſdem Poëtæ illud:

Hic labor, hoc opus eſt, pauci quos æquus amavit.

Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus Dis geniti potuere.

Quin alii aliis ingenio vel judicio, aut certe, utroque præſtantiores fuerint, dubium non eſt, ſed ut in omnibus rebus aliis, ita in hiſce etiam interpretationibus.

——— *nihil eſt ex omni parte beatum.*

Sunt in illis bona, ſunt mala, ſunt mediocria, *πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.* Sed interpretibus juris ſermo fortaſſe nobis erit ſuo loco tempore plenior. Sane ſunt his libris juris Civilis & Canonici omnia juris præcepta, quæ quidem ſcripta ſint, concluſa in artem quidem redacta, ſed ut libere loquar, non artificioſe. Cum enim, quod ad jus civile attinet, in Digeſtis componendis Compilatores XVIII. quibus id negotii à Juſtiniano demandatum erat, Edicti perpetui ordinem ſequuti fuerint, in Codice quinque illi conſtitutionum collectores conſtitutiones ex ſerie annorum Chriſti & ſucceſſionis Imperatorum collocarint,

 (quod

(quod idem fere etiam in conſtitutionibus Pontificum obſervatum eſt) in Inſtitutionibus autem aliquanto propius tres illi Inſtitutionum compoſitores, Tribonianus nimirum, Theophilus & Dorotheus ad methodum legitimam acceſſerint, neque tamen illam etiam undequaque cuſtodiverint, inde factum eſt, ut methodus artis juris proximis temporibus cœpta ſit deſiderari aliquanto accuratior, ut Weſembecius de inſtitutionibus quodam loco, * ſcribere veritus non fuerit in hæc verba: *Laudent, qui volunt*, inquiens, *quantum volent hos elementarios libellos: mihi ut verum dicam, nec materies nec methodus, ſi qua tamen adhibita, neque in aliis Collectorum operis placet, nec puto difficile fore, aliquid melius ex his, quæ ſuperſunt, reliquiis adornare: tantum abeſt, ut de abſolutis & pulcerrimis & copioſiſſimis juriſconſultorum commentariis non potuerint elegantiora componi.* Hæc ille: vero an falſo res ipſa docet. Non tamen deſunt, qui methodum Iuſtinianeam mordicus tenendam exiſtiment. Pie quidem illi, ſed neſcio an ſatis recte. Docent quidem illi, qua methodo Iuſtinianus uſus ſit, & quomodo titulos collocaverit, quod illorum ſtudium tantum abeſt, ut improbem, ut etiam valde probem

* *ad* §. 2. *Inſt. de teſtam. ord.*

bem & laudem: verum inquirere ſimul in id debuerint, & an eo modo tituli collocari ex arte debuerint, & non an methodo aliqua rectiori Compilatores uti potuerint; atque ea omni ſtudio in veſtiganda eſt à nobis etiamnum. Qua de re cogitavi ſæpius, atque cum ad docendum jura primum acceſſi, quod factum eſt ſub initium anni M. D. LXXXII. Ideam quandam diſpoſitionis publice propoſui, quæ cum typis poſtea eſſet divulgata, cogitare cœpi ea de re aliquanto accuratius, nullius profecto invitatione aut admonitione, cum aliorum cogitationes fortaſſe ipſo etiam facto anteverterim, & quod exiſtimarem, ea quæ in Idea erant propoſita, examinanda & proponenda eſſe aliquanto plenius, id eſt, quod in libris hiſce duobus Iuriſprudentiæ Romanæ hoc tempore facere conſtitui. Feciſſe autem me, nunquam affirmavero: id tamen feci, ut cogitandi & meditandi homines ingenioſi occaſionem ex illi habituri ſunt amplio-rum, quamvis in illis jus duntaxat Iuſtinianeum perſequi mihi animus fuerit, de jure Canonico, item de interpretationibus, niſi in his, quæ ad proceſſum ſpectant judiciarium, nihil omnino attigerim.

Quod ad præcepta non ſcripta attinet, quæ erat pars præceptorum altera, ex qui-

bus juris cognitionem petendam eſſe diximus, ſunt illa poſita in Conſuetudinibus & in Æquitate. CONSUETUDINES ſunt jura moribus longo uſu confirmatis recepta, de quibus meminiſtis pro ratione Scholæ noſtræ à me dictum eſſe ſatis cum interpretaret §. Sine ſcripto. Inſt. de jure natur. gent. & civil. Ad has, quamvis ſignificatione valde larga, refero ſtatuta & jura municipalia, pacta item ſive jura gentilitia, quæ etſi vere conſuetudines non ſint, tamen cum ad leges & conſtitutiones principum, vel pontificum collata ob cauſam ſui efficientem & illorum generalem obſervantiam videantur minus anguſta eſſe, ad conſuetudines rectius referuntur. Sanè ſunt conſuetudines ſingularum provinciarum non raro generales, ſed ut ſint, quæ uniformiter per omnes imperii Romani provincias, atq; adeo imperium univerſum cuſtodiantur, ſunt profecto iſtæ pauciſſimæ, imo dixerim fere nullæ. Atq; hinc cum jus civile & Canonicum ſcriptum regulariter teneat omnes ac ſingulos Imperio Romano ſubjectos, conſuetudines, ſtatuta, & jura municipalia tenent aliquos, & tamen etiam omnes atq; ſingulos provinciæ illi, in qua conſuetudines, ſtatuta & jura iſta municipalia recepta ſunt ſubjectos, vel corpori alicui additos. Unde

&

&illud eſt, ut cum jus civile & Canonicum Juriſconſulto cuivis cognoſcendum ſit, conſuetudines tamen, ſtatuta & jura municipalia non cuivis (quippe quod eſſet, infinitum) omni tamen ille ejus loci conſuetudines, ſtatuta & jura municipalia, in quo ipſe verſatur & jus exercet. ÆQUITAS omnino ex natura petitur, quæ quam primum ubi ſcribitur æquitas eſſe deſinit, & lex ſive jus eſſe incipit, ex quo jure ſcripto æquitas iterum deducitur, & ad factũ incidens accommodatur, ut quod eſt inter univerſale & particulare, idem eſſe videatur inter jus ſcriptum & æquitatem. De hac JCti. admonent, in omni, maxime autẽ in jure æquitatis rationem habendam eſſe, qua de re plenius me dixiſſe ad §. Juriſprudsntia *. Inſtitutione de Jure naturali gentium & civili, memoria tenetis Cum n. omnia jure definiri non potuerint, & vero quæ definita ſunt, ſint ejuſmodi, ut circumſtantiæ variæ & diverſæ illa etiam varia & diverſa faciant: æquitas illa demũ eſt, quæ jus ſummum non patitur fieri injuriã, ſed jus & factum inter ſeſe quaſi contemperat quod niſi à JCto. attẽdatur, ſub autoritate juris ſcientiæ ſæpe pernitioſe errabitur, ut

* *l. In omnib 90 ff de reg. jur. l. placuit, C. de jud. e l. 4. ff. de eo quod certo loco quod multeties, à juriſc. factũ eſſe exemplis confirmat. Pier. Fab. in d. l. in omnibus*

ut apud Paulum voluit Celſus filius. *
Sed ex natura illa, ut dixi, perenda eſt, & hominis prudentia, quam tamen oportet eſſe non abſolute, ſed ita arbitrariam, ut arbitrium ſit viri boni, id eſt, quod vir bonus arbitraturus eſſet æquum eſſe, juri & legibus, quantum ejus fieri poteſt, quam proxime accedens atque ab illis minimum deflectens. UNDE juris cognitio petenda & accipienda ſit, expoſitum eſt: ſequitur, ut videamus, quomodo quaque ratione cognitio illa inde peti debeat. Etſi vero ſint, qui arbitrentur ad Juriſprudentiæ cognitionem aſſequendam omnium artium ſingularumque Philoſophiæ partium cognitione opus eſſe perfectiori, quam ut in JCto. perfecto, cujus Ideam potius quis deſcripſerit, quam ipſum fecerit, ego etiam deſiderem: tamen cum in formandis nobis ſit Juriſconſultus, non qui fingatur, ſed verè fieri etiam poſſit, diverſum ego ab illis ſentio. Sanè optandum eſſet, & ætatem illam eſſe omnium, & ea ſingulorum ingenia, quin & res ſingulorum atque commoda ita ferre, ut exacta omnium Philoſophiæ partium doctrina ad Juriſprudentiam diſcendam afferri poſſet; verum cum DEUS uni homini omnia largitus non ſit in hac vitæ imbe-

* *l. Si ſervus. 91. §. ſequitur. ff. de verb. obl.*

becillitate, qua *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*, optandum illud potius quam ſperandum fuerit. Quid autem de modo cognitionis illius, de qua quærimus, aſſequendæ ſentiam, hujuſmodi eſt. Sunt quædam in homine ipſo, quædam extra ipſum, quæ ad aſſequendam juris cognitionem faciant. In homine ipſo primum omnium requiro preces ad DEUM ardentes & aſſiduas, à quo ceu fonte omnis cognitionis uberrimo, omnes alii cognitionis rivuli in creaturis promanant. Per me enim, ait filiùs DEI apud Salomonem,* eſt, quod reges regnant & conſiliarii decernunt juſta. Deinde requiro hominem ingenioſum, id eſt ejuſmodi, cui naturalis quædam inſit ad jura diſcenda inclinatio atque propenſio. Nam ſi uſpiam, hic certe veriſſime dicitur:

Tu nihil invita dices facieſve Minerva.

Hæc vero propenſio & inclinatio cum non ſit omnium eadem, & vero interdum etiam deficiat, interdum augeatur, prout DEO viſum fuerit, mirum non eſt, ſi ut in aliis, ita in hac etiam ſcientia alii aliis cognitione præſtent, & eruditiores, majoreſque Iuriſconſulti, adde etiam feliciores, evadant. Tertio requiro diligentem librorum, qui de jure conſcripti ſunt, *lectionem*, lectio-

* *Proverb.* 8.

lectionis *repetitionem*: reperitæ *meditationem*: quin & præceptorum non ſcriptorum *inquiſitionem*. Unde vulgatum illud, quod in juris ſtudioſo nonnulli deſiderant, videlicet caput ferreum, quod ſit laborum patiens, culum plumbeum, hominem nimirum aſſiduum, & crumenam auream. Verum ſine hac multi egregiam in jure operam præſtiterunt, & multo feliciorem, quam illi, quibus iſta ſuppetiit; at vero ſine illis, nemo unquam EXTRA hominem poſita eſt ratio docendi diſcendique jura, quæ ex natura relatorum mihi videtur eſſe eadem. In hac quædam ſunt juris ipſius, quædam ſine quibus jus ſatis commode doceri diſcive nequit. Quod ad jus ipſum attinet de vera ejus docendi diſcendique ratione plurimi ſcripſerunt, adeo tamen varie & ſententiis inter ſeſe diſſidentibus, ut quem aut quid ex illis potiſſimum ſequatur, etiam in jure exercitato, nedum tyroni videre ſit perquam difficile. Prout enim quiſque à natura inſtitutus, melius etiam à diſciplina informatus, ita juris ſtudium hoc vel illo modo inſtituendum eſſe exiſtimavit. Mirum autem videri poſſet, tam longe receſſiſſe fere omnes ab ea ratione, quam præſcripſit Juſtinianus ipſe Conſtitut. incip. Omnem, ſcripta ad Antecesſores, quæ eſt hujuſmodi: Tempus diſcen-

cendo juri Juſtinianus tribui vult annorum quinque. *Primo anno* juri operam daturus, ex ſententia Juſtiniani, audiat magiſtri voce libros Inſtitutionum, idque primis ſex illius anni menſibus: ſex vero poſtremis, audiat quatuor priores Digeſtorum libros, quæ τὰ πρῶτα, vocantur, & prima Digeſtorum parte continentur cujus anni auditores dicuntur Juſtinianei novi. *Secundo anno* libros ſeptem eos proximè inſequentes, qui ſecunda Digeſtorum parte concluduntur, aut ſi temporis viciſſitudo id patiatur, libros octo, qui ſunt in parte tertia; ſeptem illis proximè dictis libris in annum tertium rejectis, hiſque addat libros Digeſtorum XXIII. XXVI. XXVIII. & XXX. cujus anni auditores edictales appellantur ab Edicto, quod eo anno ad id diſcendum accedant. *Tertio anno* vel libros 8. vel libros 7. antedictos, quibus addantur libri Digeſtorum XX & XXI. cujus anni auditores Papinianiſtæ vocantur, quod illo ad ſublimiora & ſubtiliora juris præcepta diſcenda veniant. *Quarto anno* diſcantur libri Digeſtorum XXIV. XXV. XXVII. XXIX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. cujus anni auditores nominantur Λύται, fortaſſe quod ſolvendis juris quæſtionibus

bus nunc facti ſint idonei. *Quinto* & poſtremo anno Iuſtinianus à ſtudioſis privato ſtudio vult legi reliquos libro quatuordecim, quæ ſexta & ſeptima Digeſtorum parte continentur, quibus addant lectionem Codicis, etſi quidem eo tempore, quo Iuſtinianus hæc ſcribebat, antiqui, hodie tamen ejus, qui in locum iſtius ſucceſſit novi, cui Novellæ poſtmodum additæ ſuperaddi debent. Atque hujus anni auditores Prolytæ dicuntur, vel quod Lytis doctiores ſint, vel à præfinita ſtudiorum lege ſoluti, quinquennio nimirum à Iuſtiniano præfinito nunc elapſo. Hanc jura diſcendi methodum elegantiſſimam, adeoque ſervandam eſſe exiſtimavit ingenioſiſſimus ille Antonius Contius. * Sed vix eſt, ut quiſquam eam ſequatur hodie, atque in ſtudiis hodie non obſervari eſt ibid. gloſ. in verb. legere. Eſt ſane quinquenni etiamnum uſus aliquis, in eo nimirum, ut ad gradum, quem vocant, Doctoratus aut Licentiæ in jure non admittatur, niſi qui quinquennium illud ſuum integrum compleverit: at in ceteris nullus. Rectene factum, quod ab ea methodo receſſum ſit, accuratius examinare mihi nunc non eſt integrum; † illud quæſiverit ali-

* *1. Lect. 11.* † *Iac de Ravensb. quem refert. Albiric. de Roſat in d. Conſtit. §. quib. ſi ſe imbuerint, tradit, quod modernus modus ſtudēdi jura ſit melior.*

aliquis non immerito, utrùm methodus illa Iuſtinianea juſta ſit atque legitima. Mihi ſanè non videtur, ut tanti non ſit, ab ea receſſum eſſe. Rationem enim docendæ diſcendæque Iuriſprudentiæ ex temporis ſpacio æſtimat, quod in omni arte vitioſum eſt, quæ id totum ex ſeipſa ſuiſque præceptis repetit. Et vero ut hoc vel illo anno hæc vel illa juris pars doceatur & diſcatur, nondum tamen expedita eſt ratio partis vel illius, hoc vel illo anno docendæ diſcendæque. Ut mihi quidem conſtitutio illa Iuſtiniani aliud nihil velle videatur, quam oſtendere, quot annis curſus ſtudii juris abſolvi poſſit & debeat, non qua ratione quave methodo docendum illud ſit aut diſcendum; quod ipſum etiam etſi proponere fortaſſe Iuſtinianus voluerit, aliud tamen voluiſſe, aliud feciſſe ipſum reſpondebimus. Sed ut fuerit illa docendi & diſcendi juris ratio, non tamen illa eſt omni ſui parte abſoluta & perfecta, ut aliis meliorem & veriorem inquirere non liceat, his temporibus inprimis, quibus non eſt imperii Romani omnino eadem, quæ fuit tempore Iuſtiniani, facies, alia etiam Scholarum ratio, quin & non prorſus eadem juris diſciplina, ob jus Canonicum, quod civili ſupervenit, & tam hujus quam illius infinitos interpretum

Com-

Commentarios. Ut non male illi, qui poſtea rationem inquiſiverunt, atque etiamnum inquirunt, ipſius juris docendi diſcendique ab illa aliam, tametſi non omnes uniuſmodi. Fuerunt enim qui commentarentur in leges & Conſtitutiones, quorum ratio à methodo abeſt longius. Horum opera etſi Iuſtiniano adverſari videatur, quod ipſe in Corpus juris à ſe compoſitum Commentarios fieri nollet, paratitla duntaxat, id eſt, ſummas rerum fieri concederet *, mihi tamen hæc tempora intuenti non videtur reprehendenda, ſed quodammodo etiam ex cauſis ſupradictis neceſſaria, modo rei illi modus aliquis adhibeatur, & commentandi ſcribendique illud cacoëthes cohibeatur. Fuerunt vero etiam qui methodum inquirerent diligentius, quorum ipſorum etiam opera valde eſt commendanda: ſed pleriſque illis defuit unicum, ut de legitima & artificioſa præceptorum juris diſpoſitione, quæ omnium prima eſſe debuerat, non cogitarent, quæ ſi præceſſiſſet, in tot illi partes non abiiſſent, neque tot Orationibus, tractatibus, cynoſuris, & neſcio quibus aliis epiſtolis de ſtudio juris recte inſti-

* *in Conſt. de concept. D. §. Noſtram autem. & in conſt de confirmat. ff. §. Hoc autem, & in Conſt. incip.* Deus *dedit, §. illud autem.*

[..]endo illis opus fuiſſet. Ars enim ſui & docendi & diſcendi ipſa & methodus, & qui aliam præter legitimam præceptorum diſpoſitionem artis methodum inquirunt, ne illi egregie falluntur, omneque ſtudium ſuum in re non neceſſaria fruſtra collocant. Quod illis, ſi non intellexerunt, condonandum eſt: ſi viderunt, reprehendi, quod ſtudii juris rationem profiterentur, & tamen eam vixdum attingerent. Sed cùm res illa omnis difficultatis eſſet pleniſſima, ſtudiosè illi hos ſcopulos evitare voluiſſe videntur. Quare juris præceptis artificiosè diſpoſitis, nihil video, quod ad rationem docendi diſcendique juris deſiderari poſſit amplius: quibus lectio librorum juris civilis & Canonici ſi accedat uberem illi præbebunt ad præcepta ita diſpoſita commentarium, ut aliis non tam videatur fortaſſe opus eſſe, tametſi & illi, ut libri juris rectius intelligantur, non ſint uſquequaque abjicendi. Verum cum ejuſmodi præceptorum juris diſpoſitio hactenus non prodierit quæ vel ipſis ſuis autoribus, vel mihi aut aliis etiam omni ex parte ſatisfaciat, nec id à me nunc præſtitum eſſe affirmem; (ſunt enim in hiſce duobus juriſprudentiæ libris nõ pauca, quæ lima indigent accuratiori) nolim quidem libellos illos Lagi, Pacii, Althuſii, alio-

aliorumque Iuriſcon. ea de re conſcrip[illegible] abjici, ſuaſerim tamen juris tyroni, ut cum ad diſcendum jus accedit, ipſe quidē præceptores viva voce docentes, non ſolum audiat, verum ipſe etiā textum inſtitutionum juris ſine ullo commentario curſim per legat, eum perlectum ab initio, commentario tum aliquo, nimirum Mynſingeri vel Weſembecii, vel Hotomanni adhibito, repetat, quod utrumque ſemi anno ab homine mediocriter ſaltem diligenti facile fieri poteſt. Inſtitutionibus ita dedicitis accedat ad lectionem textus. Digeſtorum eo ordine, quo tituli & leges illis ſubjectæ collocatæ ſunt, ita tamen ut ante cujuſque tituli lectionem præmittat Paratitla Cujacii & Weſembecii. Idem poſtea faciat in Codice, eodem modo adhibitis Cujacii in eundem Paratitlis, quo opere à Cujacii in nullum, ut puto, factum eſt elegantius & abſolutius: ſequantur Novellæ, quibus conjungatur Cujacii in eaſdem expoſitio. Ad hanc vero lectionem librorum juris Civilis plurimum profuerit addidiſſe eruditiſſimam illam Dom. Julii Pacii Juriſconſulti præſtantiſſimi Synopſin juris civilis ante biennium editam jus Canonicum ſtudioſus percurrat duntaxat, initio facto ab Inſtitutionibus Lanceloti, quas excipiat decretum, tum de-

cre-

cretales: & poſtremo loco feudorum conſuetudines cognoſcat. Neque eſt ut ſtudioſum in curſu lectionis remoretur lex aliqua vel capitulum difficilius. Ut enim omnia protinus intelligantur, fieri nequit: & vero Juriſconſultis exercitatiſſimis etiam ſæpe numero multa non ſunt ſatis obvia. Legantur nihilominus: ſemper enim hærebit aliquid, ut tanto facilius poſt curſoriam illam librorum juris lectionem ad difficiliores & uſitatiores juris titulos rediri, eorumque doctrinæ cognoſci poſſint accuratius. Interim vero ſingulis diebus, una atque altera lex ex titulo *de verbor. ſignif.* & titul. *De regul. jur.* memoriæ mandari, quin & Lexicon aliquod, ut eſt Briſſonii, vel Hotomanni vel Prateii vel Schardii addi, & in hoc ſingulis diebus binæ aut plures paginæ perlegi poſſent. Cogitabit autem ſtudioſus juris interim privato pleraque ſtudio addiſcenda eſſe; quo pertinent collationes, & cum dormitum itur, eorum quæ de die lecta ſunt, & audita, meditationes & repititiones. Hæc ita ad jus ipſum pertinent. SINE quibus autem jus ſatis commode diſci nequit, omnes ſunt philoſophiæ partes, cum primis autem Ethica, quæ juris quædam principia proponit, tum vero potiſſimum Logica, & in hac ea, quæ ad diſſerendi ratio-

nem

nem ſpectat, & deinde rerum Rom. hiſtoria. Et cum cæterarum qualem cognitionem deſiderem, Dialecticæ & hiſtoriæ cognitionem deſidero accuratam. Atque Dialectica quidem huc afferenda eſt, aut certe adhuc addiſcenda. Hiſtoriæ autem generalis ſtudium itidem huc afferendum, cujuſmodi hodie eſſe poteſt Chronici Carionis à Philippo Melanchthone & Caſparo Peucero expoſiti: ſpecialis vero hiſtoria rerum & antiquitatum Romanorum ex Dionyſio Hallicarnaſſeo, Dione, T. Livio, quin & ex Syntagmate hiſtoriæ Auguſtalis, quod opera & ſtudio doctiſſimi viri Friderici Sylburgii amici & civis mei apud Wechelos typographos prodiit, petenda eſt. His & Caroli Sigonii, aliorumque hiſtoricorum recentiorum accedant hiſtoriæ. Interim cum his allatum etiam gentium hiſtoriæ conjungi poſſunt, Græcorum vero potiſſimum, atque in his Plutarchi Parallela.

Atque de cognitione juris hactenus. Sed cum jus cognoſcamus, ut eo utamur, & Reipubl. cum publicè tum privatim proſimus, de USU nunc paucis aliquid attingendum eſt. Ut vero in cognitione juris ingenio, ita in ejus uſu judicio potiſſimum hominis proxime poſt invocationē numinis divini opus eſt, quod à Logica infor-

formatum rectè juris præcepta in genere cognita accommodabat ad ſpeciem. Tempore Iuſtiniani Imp. de quibus cauſis ſcriptis legibus non utebantur, id cuſtodiebant, quod moribus & conſuetudine introductum erat, & ſi quà in re hoc deficeret, tunc quod proximum & conſequens ei erat, ſi ne id quidem apparebat, tunc jus quo urbs Romana utebatur, ſervari oportebat. * Neque id mirum, ſiquidem conſuetudinis utentium moribus recipiuntur, quæ tanti momenti non erant, ut legem authoritate publica latam tollerent. † Poſteaquam vero jus Pontificium imperium Romanum invaſit, quin & forma Reipub. Romanæ nonnihil à priori illa immutata, ab uſu illius temporis receſſum eſt ut Conſuetudines, ſtatuta & jura municipalia legibus ſcriptis hodie præferantur, niſi legibus illa expreſſe ſint antiquata, ſi nulla ſint, tum demum ad jus civile & Pontificium redditur; ſed utrumque in ſuo foro authoritatem habet parem; illud in ſeculari, hoc in Eccleſiaſtico, tametſi tam ex hoc quam ex illo utrumque forum non raro aliquid mutuetur. Definita enim legibus, non Canonibus in foro Pontificio non rejiciuntur, ſicut & in foro civili Canones ſequi judices non dedignantur, ſi quid legi-

* *l. dequibus* 11. *D. de leg.* † *l.* 2. *Quæ ſit pug. conſuet.*

bus deciſum non ſit, aut decidi nequeat. Cauſarum tamen ſpiritualium, earumque quæ æternam ſalutem concernant, ratio hæc eſt, ut ſi diſpoſitioni juris Civilis, in foro etiam politico legibus neglectis amplectamur Canones juri naturali & divinis literis conſentaneos.

Quin & proceſſum forenſem juri Canonico maxima & potiſſima ſui parte acceptum ferimus. Cæterum uſus juris aliquis eſt in docendo, ſed is minus proprius: Proprius potiſſimum eſt in *judicando* & *advocando*, quæ duo à ſe invicem quidem diſtinguuntur, ita tamen ſunt affecta, ut qui novit unum, noverit etiam alterum. Utrumque autem illud *Experientiam* requirit quæ partim ex cognitione juris accipitur, partim quotidianus actionib. comparatur. Ex cognitione, inquam, juris, quod pertinet ad cauſarum deciſionem, quod judex maxime reſpicit, vel ad earum diſceptationem, quo maxime advocatus. Utrumque quidem illud ex libris juris, ſed illud ex ſcriptis potiſſimum, hoc ex ſcriptis etiam, ſed magna ſui parte ex obſervation. Hinc libri iſti de uſu forenſi conſcripti, hinc practicæ forenſes, hinc reſponſa, hinc obſervationes ſive deciſiones curiarum diverſarum. In Practicis Speculator primas obtinet, & poſt eum Maranta ſed hic illo

eſt

eſt compendioſior, in multis etiam nervoſior, ut uſum cognitioni adjuncturus, meo quidem judicio, rectius fecerit, ſi ab hoc auſpicatus fuerit. In reſponſis,quæ & Conſilia vocant, recentiores ſolidiores ſunt & perſpicaciores: Comparationem vero inter illos inſtituere aliquanto odioſius. In obſervationibus apud nos primas obtinent Mynſingeri, Gallii, Wurmſeri, & Hart. Hartmanni ab Eppingen, cum illæ deciſiones habeant Cameræ Imperialis: cæteræ vero ſint Parlamentorum, Rotarum & Curiarum. Sed ſunt hæc diſquiſitionis aliquanto altioris, quam ut pluribus iis immutari debeam, & memor principiorum juris interpretationem, quæ cognitionem maxime reſpicit, in his libris tractari, ſtudioſe ea prætermitto, eorumque tractationem pleniorem in alium locum, rejicio.

ÆGIDII MOMMERII,

DE

RATIONE LEGENDI,

diſcendique jura,

AD

CALLIMACHUM HESSUM,

EPISTOLA.

EST ita perfectò, ut ſcribis, Callimache frater, me ex animo tuis ſtudiis quàm rectiſſimè velle. Utinam eum vivam diem quo eum quem in Iuris Civilis diſciplina inſtituiſti curſum, aliquando ſumma cum tua laude conficias. Qua ſane in re tibi omnem operam atque diligentiam, libenter præſtarem, niſi ea in me eſſet conſili atque doctrinæ imbecillitas, ut ipſe in re tam difficili præceptore atque adjutore indigerem. Sed tu nimio amore hallucinaris, dum mea potiùs, quàm eorum, qui ſuam de hac re ſententiam literis mandarunt, veſtigia tibi ſequenda eſſe proponas. Faciam igitur quod jubes, & quàm potero breviſſimè eam rationem, quæ mihi commodiſſima videtur, & quam mihi his propoſui tibi libentiſſime impertiar. Neq; animum inducas

cas

cas velim, me temere hæc ad te exarare; re ipſa edoctus ſum, quantum fructus atque utilitatis hinc perceperim, & quanto cum diſpendio & temporum & ſtudiorum aliena ſecutus inſtituta, id quod tamen abſque arrogantia dictum velim. Sed jam expectas, ut montes tandem pariant, & mus ridiculus egrediatur. principio omnes & pandectarum & Codicis titulos tabella depingas eamq; ita collocato, ut ſemper aut quàm ſæpiſſimè ob oculos verſetur. Qua in re ordinem Alphabeti minimè obſervato, verùm eâdem ſerie, qua in Pandectis exarata ſunt, ſingula depingito, non ſecus atq; poſt inſtitutiones tituli omnes ſunt collocati, ita fiet, ut abſq; multo labore addiſcas, quid unoquoq; libro contineatur. Id quod ubi feceris, operam dato, ut ſummatim cognoſcas quid in unoquoque titulo tractetur, id quod aliquando vel ipſæ inſcriptiones indicant, & inprimis titulorum capitibus (quas Leges vocant) ferè explicatur. Quod ſi illa in re operâ Sebaſtiani Brant, qui ſummatim uno libello omnes Pandectarum titulos perſtrinxit, uti voles, equidem non improbarim, dummodo memineris, ut ab hujuſcemodi rivulis ad fontes accurras Quod ad titulos Codicis attinet, utere explicatione Hegendorphini, quæ cum Spigelio typis exarati ſolet.

Hæc ubi feceris, id in Jure Civili poteris, quod hîc triceſimus quiſque Doctor (ne gravius quid dicam) vix præſtiterit. Oblatam, quæſtione quapiam aut ſpecie facti, ſtatim & liber & titulus occurret, ubi ea materia tractatur. Ubi ad hunc modum titulos omnes cognoveris, Leges ipſas paulò accuratius evolvito, atque quod maximè ad illum, quem perlegeris, titulum pertinuerit; ad marginem collocato. Qua in re te velim uti Codice aliquo, qui ſcholiis illis, neſcio quibus, careret. Ad marginem, inquam, ſingula collocato. Nimirum, Qualis ſit actio, Civilis an prætoria; Quamdiu competat; Quibus competat. Nunquid ad heredes transſeat. Quid in actionem illam veniat. Bonæ fidei ſit, an verò ſtricti judicii. In ſumma, hîc Claſſes Clariſſ. Juris conſulti Johannis Oldendorpii tutò imitari licebit. Neque opus erit omnia prolixè ad marginem adpingere, ſed brevibus omnia licebit. Exempli cauſa: In titulo de rei vendicatione, ſcire cupio, contra quos detur illa actio & cui detur? titulum evolvo, quemcunque reperio, cui hæc actio tanquam actori detur, illius nomen ad dextrum ſpacium colloco, unico verbo. Domino: Emptor: Qui uſuceperit &c. Eorum verò nomina contra quos datur, ad ſiniſtrum ſpatium

col-

colloco, ita: Contra Poſſeſſorem, Furem, Latronem, Raptorem &c. Quod ſi hujuſcemodi ſit liber, ut ab utraque parte marginis commodè nomina ſignare non poſſis. Actorum nomina rubro depingas colore, Reorum verò nigro, idque ab uno tantùm latere. Idem facito & in heredibus. Quibus actio datur, rubro colore triumphent, unicâ tantùm dictione: Heredes. Sin contra heredes nigro colore eandem dictionem, Heredes, pinge: Sin heredibus non datur, ad marginem ſcribe. Heredibus non datur. Quod ſi lex paulo intricatior tibi occurrat, eam aſteriſco notato, neque ad eam tanquam ad ſcopulum quendam adhæreſcas, tempus judicium confirmabit, Quando itaque titulum quempiam perlegeris, & ſingula quæ illius tituli propria ſunt, adnotaveris, tum iterum eundem titulum perlege, cùm ut memoriam confirmes, tum etiam ut aliud agas, quod hîc perſcribam. Librum ex papyro conficito, in quo omnes Pandectarum & Codicis titulos (ſi quando in Pandectis titulus ille non habeatur) ordine ſcribas. Singulis titulis folium unum atque alterum relinquito, & hic tibi liber locos tuos ſuppeditabit, hoc pacto. Si quando ſecundo (ut dixi) titulum aliquem perlegeris, non jam reſpicias quid propriè ad eum titulum

pertineat; nam illud antea jam per te annotatum erit. Verùm ſi quid à Iuriſconſultis obiter in iis titulis ſit permiſſum, quod ad alium referri debeat, id conſiderato diligenter, & facile erit, cognitis & perſpectis omnibus titulis, ut jam antea explicavi, videre, quò potiſſimum illud referri debeat Sed exemplum tibi dabo, ex eo titulo quem ego hoc ipſo die ad eundem ipſum, quem tibi præſcribo, modum perlegi. Is eſt primus libri decimi Pandectarum, Finium regundorum. Ad Legem primam notavi ad marginem: Actio perſonalis eſt. Ad Legem ſecundam. Ad prædia ruſtica pertinet. Item judicis officium. Id quod & ad titul. Inſtitut. De officio judicis notavi lib. 4. Ad legem quartam in principio notavi ad marginem: Quod in hoc judicium veniat. Idem ad finem uſque. Perlecto ad eum modum titulo, iterum eundem evolvi & perſcrutatus ſum, nunquid aliquid ſit, quòd alio referendum eſſet. Et ſtatim in l. 4. §. poſt. litem &c. adſerit Paulus, dolum, culpam, poſt litem conteſtatam in judicium venire, item & fructus. Id quòd non hîc tantum, ſed in omnibus actionibus locum habet. Quid igitur hîc faciam? Locoſne communes varios & infinitos faciam? abſit. Plures locos nolo quàm in Corpore ſint tituli. Oſtendit igi-

igitur mea illa tabula, titulum eſſe libro Codicis tertio, De Litis conteſtatione. Idem ille titulus in papyraceo meo libro habetur; in eum igitur noto: Culpa, dolus, fructus poſt litis conteſtationem in judicium veniunt. *l.4.in princip. ff. fin. reg.* Sed quia de fructibus ſæpe numero habetur quæſtio, non mihi locum ſingularem hic deſigno, ſed tabulam inſpicio, offert ſe titulus Codicis, De fructibus & litium expenſis; at jam antè ſummatim didici, quòd ille titulus de fructibus perceptis tradat. Quero igitur eundem titulũ in libro meo papyraceo, & hoc quod Paulus de fructibus elegantiſſimè diſſerit, breviter deſcribo. Idem facturus per omnes Pandectarum & Codicis libros. Quando igitur de fructibus incidet quæſtio, Codicem evolvam, & quod in eo titulo proprium erit ad marginem ſignatum, dicto cujus inveniam. Deinde librum illum ex chartis confectum explicabo. Is mihi oſtendet, quid per univerſum Corpus Iuris ſcriptũ ſit de ea materia. Nec hîc (ut jã ſæpè dixi) locos cõmmunes conficiam, ſed tantum titulos ipſos inſpiciam, & quid in unumquemque titulum ex aliis adjecero. Item eâdem lege ait: Si dejecti aut exarati ſint termini, id crimen eſſe. Quid? illud ad fines regundos tantùm pertinet? nequaquam. Quid igi-

tur, locum conficiam, ut magna librorum moles exurgat? nequaquam. ipſi tituli optimè ſunt loci. Quòd illud igitur referam? Conſule tabulam, & ſi poteris in memoriam revoca. Offert ſe titul. Pandectarum de termino moto. Idem titulus & chartis meis habetur; ad eum igitur ſcribe: Si termini exarentur, aut amoveantur, crimen committitur. *l.* 4. *ff. fin.* regundorum &c. Ex *l.* 7. noto ad titulum qui & in Pandectis, & in libro papyraceo habetur. De receptis arbitris, etiam in modo (id eſt, menſura) agrorum conſtituendo arbitros rectè dari. *l.* 7. *ff. de titul. fin. regendorum.*

Lex 10. mixtum quiddam oſtendit, ubi quis ſimul & actor & reus cenſetur; id ad titulum de actionibus notavi. Nam is tit. diviſionem & actionem, & conditionem, eorum qui agunt, tractat, ut meritò ibi ſignari id debeat, in una eademque cauſa quem & actorem & reum eſſe. Idem & in *l.* 2. *ſeq. titul. familiæ erciſcundæ* dicitur &c.

Caput illud Solonis ultimum, quod de ædificiis tractat propriè quò referendum ſit, *oſtendit. tit. Codicis de ædificiis privatis,* ubi modi ædificandi recenſentur, eò igitur hæc & ſimilia referenda erunt.

Sed ego jam te arbitror ſatis, quid velim, intelligere, tu ipſe de hac re judicium fa-

ficito. Mihi planè decretum eſt id, quod inſtituti nequaquam immutare.

Poſtremum illud erit, Callimache frater: Si quando locum aliquem inveneris, qui ad alium titulum propriè pertineat, illum non tantum (ut dixi) in libro ad id præparato, verùm eundem ipſum textum in Pandectis ſingulari aliquo colore integrum ſubducito: Ut ſi quando iterum contingat Pandectas perlegere, & iidem ſe loci offerant, ſtatim ſcias, quòd abs te in ſuam claſſem atque ordinem digeſti ſint, ne te quærendi labor quotidie tum divexet. Præterea & illud commoditatis hinc ad te manabit, ut ſi pòſt aliquid inveris quod ſubſignatum non ſit, & tamen alio pertineat, ut ſtatim certior fias, & quod deſit, impleas. Porrò ſi locus aliquis tibi occurrèt, quem non ſtatim ad uſitatum aliquem titulum accommodare poteris, te diu torquere ac divexare noli, verùm enim ſingulatim in libellum ad id confectum conjicito, donec, ſe titulus offerat, quem poſtea iterum ex libello in ſuum ordinem atque titulum adponito.

Quod ad vocabulorum explicationes attinet, veluti quid ſignificet Glans, Tignum, Grex partjarius &c. ea nomina, ſi libet, ſeparatim ordine alphabetico collocato, vel in tuo Spiegelio ad marginem collocato. O 6 Ha-

Habes rationem, quam ego & expeditiſſimam & optimam eſſe cenſeo. Te majorem in modum rogo, & per noſtram amicitiam obteſtor, ut quoniam ego hæc in magnis temporum anguſtiis ad te exarare non ſum gravatus, tu viciſſim in meam gratiam, in unico ſaltem Pandectarum libro, harum rerum periculum facias, & ad me ſcribas velim, quomodo res tibi ſucceſſerit. Vale, & hæc candidis tantùm impertias rogo. 12. Auguſti, Anno 1554.

JACO-

IACOBI ACONTII TRIDENTINI

DE

METHODO,

Sive Recta inveſtigandarum, tradendarumque artium ac ſcientiarum ratione.

CUm apud omnes qui tantum judicio prorſus non carent, in confeſſo ſit nullam artem, nullamque ſcientiam, niſi diligenti ac certa quadam methodo adhibita, vel tradi recte poſſe, vel percipi: cumque & antiquis temporibus, & noſtra hac ætate quàm plurima ingenia, præclara illa quidem & penè divina ſummis laboribus, ſummaque alioqui diligentia in id incubuerint, ut poſterorum ſtudiis quam optimè conſultum relinquerent: nunquam equidem ſatis mirari potui, qui factum ſit, ut cum nulla eſſet ars, vel facultas de qua æq;referret abſoluta, ac perſpicua extare præcepta, atque Methodo (quod nimirum cæteris omnibus lumen afferre una poſſit) nemo tamē ferè extiterit qui dignam illam putaſſe vi-

videatur in qua non dicam illuſtranda, ſed ne rectè quidem cognoſcenda ingenii ſui vires intenderet. Quo quidem factum eſt, ut cum nulla ſit ars, quæ non infinitos propemodum ſcriptores habuerit, quod tamen (penè dixerim) omnes rectam methodum neglexerint, nunquam intelligi eas ſatis poſſe ipſa doceat experientia. Dicam exempli gratia de una atque altera; quamplurimos quidem invenias qui Rhetoricæ præcepta, quæ prodita ſunt literis, & ſæpe diligenterque perlegerint, & inſuper diu ſe exercuerint, optimos quoſque oratores ſibi imitandos propoſuerint, multarumque rerum cognitionem adepti ſint, & natura alioqui ad dicendum minimè ſint inepti: quorum etſi oratio ſit propria, ornata, elegens, copioſa, in iis tamen ad perſuadendum vim roburque deſideres. Cujus rei nulla alia poteſt eſſe cauſa, niſi quia artem, quod ſine recta methodo tradita ſit, non ſatis aſſequi potuerunt quamquam non negaverim, quæ ſcripſit ea de re Ariſtoteles ad Theodectem, ea bona ex parte habere methodum. Sed quod obſcuro illo, ac ſpinoſo dicendi genere, more ſuo uſus ſit perpauci ſunt, intelligere qui illa poſſint. Dialecticorum item frequens ubique eſt numerus, at ſi ſcripta ſi diſputationes obſerves, nihil minus

nus invenias, quam Dialecticos, quia ſcilicet illa ſimiliter facultas adhuc methodum deſideret: id quod de aliis quoque artibus, facultatibus, ac ſcientiis ferè omnibus dici jure poſſet. Multa ſanè de Methodo pluribus in locis ſcripta reliquit Ariſtot. & præcipuè in 1. lib. de partibus animalium, ſed tamen integram artem complexus non eſt. Id enim agebat tantummodo ſuorum ut ſcriptorum rationem redderet. Scripſerat Galen. librum (qui non extat) de conſtituendis artibus cujus jacturam aliquatenus conati ſunt reſarcire Martinus Acachias & plerique alii medici qui tametſi plurimùm lucis huic facultati attulerunt, ita ſcripſerunt tamen, ut vel ubi de Methodo tractant, ibi nihilominus jure Methodum requiras, præterquam quod Galenum ſequuti ſunt, cujus ſententia, quòd cenſuerit non eadem Methodo contemplari commodè & docere aliquem poſſe, ſed contrariis, probari mihi nullo modo poteſt, apertiſſimè reclamante non tantum Ariſtotele, ſed & certiſſima ratione, & ipſa quoque experientia, id quod ſuo loco oſtendemus.

Equidem quibus conſtet vera methodus diu ac pertinaci quodam labore conatus ſum intelligere, nec tantum libros volui conſulere, ſed multò etiam diligentius ex-

experientiam. ſim ne autem tandem perfectè aſſequutus dicere equidem non auſim. hoc ſcio, me verè poſſe dicere, quum eſſem natura ad rerum inveſtigationem minimè aptus, rationem tamen me aliquam ejuſmodi ſtudio, ac diligentia comparâſſe, quam & ad emendandum illum naturæ defectum, & ad res commodè explicandas, maximo experiar mihi eſſe adjumento. Quicquid autem illud ſit, cùm optimo cuique ingenio magnoperè profuturum ſperarem, ſtatui hunc qualemcunque meorum laborum fructum cum ſtudioſis omnibus communem facere. Itaque ſiquidem in theſauro (quod magnopere velim) aurum inventum fuerit, erit id mihi tam jucundum, quàm quod jucundiſſimum: ſin inventi fuerint (ut eſt in proverbio) carbones, conatum certè meum, qui prodeſſe etſi non potuero, ſaltem voluerim, nemo niſi nequiſſimus improbabit. Fortè enim excitabuntur hinc feliciora aliqua ingenia, quæ quod ego non potuero, ipſa præſtent. Sed tales ego maximè optarim lectores, ut aut nullam omnino haberent, ſeu habere ſe crederent methodicæ rationis cognitionem, aut ſi perlegiſſent, quæ ab aliis ea de re tradita ſunt, conarentur ſaltem quamcunque illius intelligentiam ſe aſſequutos exiſtimarent, eam tantiſ-

tiſper ſeponere,dum quid & nos ſentiamus integro poſſent judicio perpendere. Optarim inſuper ut noſtræ rationis periculum etiam facerent in facili aliquo argumento, indagando: primum ex præceptis quæ tradituri ſumus, rei notitiam : ac deinde rem eandem explicando. Neque enim perſuadere ſibi debet quiſquam artem ſe ullam rectè poſſe intelligere, niſi uſus acceſſerit, & niſi experimenta perſpicuam reddant perceptorum vim,atque efficaciam. Quod ſi hæc percurrat aliquis tantum,ceu hiſtoriam quampiam,dignoſcere profectò nunquam poterit quid boni inſit, aut mali: quin imò quamprimum viderit me à reliquorum orbita paululum recedere, lectoremque fallere,ſingulis locis eadem quæ apud alios legerit, aut parum admodum diverſa expectantem,facile opinabitur,& me aliorum ſcripta minime vidiſſe, & ſe ſatis cauſæ habere noſtra contemnendi. Nec verò pigere ſtudioſos debebit laboris,quem impendere cognoſcendo methodico huic uſui oportuerit (qui ſane pro rei dignitate haud erit magnus) ſed quantuſcunque tandem erit, tantus tamen nunquam eſſe poterit, quin illum cumulatiſſime ejus ſit utilitas compenſatura. Equidem ſi filius mihi eſſet aut adoleſcens quiſpiam alius æque carus, qui ſperaret habiturum ſe tri-

ginta

ginta annorum otium, quod in literarum ſtudiis ſumeret, hortaret illum, ut potius integros viginti in aſſequendo vero methodi uſu inſumeret, quàm ut eo contempto, reliquis ſtudiis totos illos triginta annos daret, minimeque dubitarem optime illi conſultum fore: pro certo enim haberem reliquorum decem annorum labore ad majorem eum ſolidioremque eruditionem perventurum, quam ſi ea re deſtitutus, aliis tantum in ſtudiis ætatem omnem contereret: quod minime mirabitur quiſquis putat Platonem alicujus ſaltem fuiſſe judicii, cum is in Phædro Socratem dicere faciat, ſi quem inveniebat qui unum cognoſcere poſſet & plura (quæ tamen methodicæ rationis non niſi pars eſt quædam) ejus ſe veſtigia ſequi ſolitum tanquam numinis alicujus. Sed longe minus mirabitur quicunque ſe in ea aliquamdiu exercuerit. Tanta eſt enim ſtudioſe lector (mihi crede ejus utilitas, ut æſtimare nemo niſi expertus poſſit, utcunque paucis quibuſdam, ac tenuibus conſtare præceptis videatur.

Cæterum id præcipue conati ſumus, ut maximam brevitatem cum pari perſpicuitate conjungeremus. Nam cum artium utilitas non ex earum cognitione ſed uſu conſtet, neceſſeque ſit, ſiquidem arte ali-

qua

qua uti velis, ejus tibi præcepta eſſe in promptu, non ſecus atque literarum ele-menta ſcribere aut legere volenti, diligen-ter videtur in tradendis artibus verboſitas omnis fugienda. Quam quidem ob cauſ-ſam diſputationes quoque, opinioneſque iis coacervandas reliquimus, quibus curæ eſt oſtentare potius, quàm multum ipſi ſapiant, quàm aliorum ſtudia promovere, vel quibus res eſt cum pertinacibus.

Dubitandum ſanè mihi eſſe non videtur, quin Methodus ad logicam referri debeat, quando & definiendi & dividendi, & colligendi leges complectitur, quæ omnia ſatis conſtat ad Logici officium pertinere: ut igitur intelligi commode quid ſit Methodus poſſit, definiri ac dividi Logicam oportet.

1. Eſt verò Logica, meo quidem judicio (utcunque eam definiant multi) recta contemplandi docendique ratio, ac duorum ſane alterum, & contemplemur, & doceamus neceſſe eſt: nempe, aut recte ne aliquid de aliquo affirmari poſſit, vel negari, ſeu hoc ne potius quàm illud: ut An ſervanda ſit inimicis fides, nec ne? itemque militiane, an toga dignior ſit? aut ut relicto veritatis examine, quæratur rei alicujus explicatio: ut quid ſit bellum, quibuſve conſtet ars dicendi, aut Chriſtia-

na

na religio: vocabimuſque ea quæ ad primam rationem pertinent Quæſtiones: quæ verò ad alteram referuntur, Themata, ſive Propoſita. quo fiet ut Logicæ duæ ſint partes: quarum altera pertineat ad quæſtiones, altera verò ad propoſita, quam nunc explicandam ſuſcipimus. Quanquam enim veri quoque ac falſi examen recte fieri non ſine Methodo aliqua poteſt, magis tamen nomen Methodi ad eam videtur pertinere rationem, qua recta ordinataque propoſitorum fit diſcuſſio.

Sit igitur Methodus recta quædam ratio, qua citra veritatis examen & rei alicujus notitiam indagare, & quod aſſequutus fueris, docere commode poſſis. Quanquam autem in Thematis alicujus explicatione multa incurrere poſſunt, quæ confirmatione indigeant, non tamen ea ſumenda erit ex Methodi, de qua hic agitur, præceptis: quin ad eam tum Logicæ partem erit recurrendum quæ pertinet ad quæſtiones. Siquidem harum Dialecticæ partium officia confundenda non ſunt.

II. Quis autem ſit Methodi finis propter quem eſt expetenda ipſa definitione indicatur. Eſt enim rei alicujus cognitio, quam qui contemplatur, aſſequi cupit: qui vero docet, aliis impertire nititur.

III. Dicendum eſt ergo qualisnam intel-

telligatur eſſe integra rei alicujus cognitio: hoc eſt, in quibus conſiſtat, aut quando eam habere dicamur: mox quarum haberi rerum poſſit, & quiſnam ſit ejuſmodi cognitionis capax. Poſtremo ex quibus gignatur cauſſis, ac de illa quidem cognitione hic agi ſciendum eſt, quæ ratiocinationis ope acquiritur, non autem de illa, quam innaſci nobis arbitramur: cujuſmodi eſt communiorum animi conceptionum notitia, ut de illa quæ à ſenſibus proficiſcitur, de quibus infra dicemus.

IV. Integram rei alicujus cognitionem tum nos habere arbitrabimur, ſi noverimus quid ſit, quæ ſunt ejus cauſæ, quive effectus: & qui hæc omnia perſpicere poſſit circa rem aliquam, ſine dubio, is & ſingula poterit perſpicere.

V. Ac ne quis verba forte magis intueatur, quàm res ipſas, animadvertendum eſt in artibus, tum cognoſcendis, tum tradendis rei cauſas eas ferme intelligi, quæ ad ipſarum artium fines ſpectant. Si enim ponatur Rhetoricæ finis eſſe perſuaſio, tum demum Rhetoricæ te cauſas putato aſſequutum, ſi perſuaſionum cauſas aſſequutus fueris. Noſſe enim, exempli gratia, quis Rhetoricæ inventor, conſtitutorque fuerit, & cætera ejuſmodi parum refert. Intelligimus autem quid res ſit, ſi primum no-

nominis ſignificatio, ambiguitate, atque obſcuritate omni ſublata, deindeque rei natura perſpecta nobis fuerit.

Porrò cauſarum quatuor faciunt genera, Materiam, Formam, Efficiens, Finem.

Materiam dicimus, quæ formas recipit, tam quæ naturæ ope proveniunt, quàm quæ artificio fiunt. Quæ naturales formas recipit, aut ſimplex eſt, atque impermiſta, aut compoſita. Simplicem Ariſtoteles primam vocat, quòd (ut plerique arbitrantur) primorum corporum, quæ elementa dicuntur, formas recipiat. Compoſita ex quatuor elementis conſtat, quorum contemperamento reliqua omnia generantur. Dicitur & materia, ex qua aliquid efficitur, aut naſcitur, ut pannus, ex quo veſtis fit: quemadmodum ex lateribus, lapidibus, lignis, calce domus: ex ære, cera, plumbo ſtatuæ.

Formarum verò quædam naturales ſunt, cujuſmodi eſt hominis, equi, leonis: quædam artificioſæ, ut ſtatuæ: quædam partim ab arte, partim à natura proveniunt, quod genus ſunt fructus, qui in arbore naſcuntur quæ in alieno, eoque non ſuæ ſpeciei, trunco inſita fuerit. neq; enim fructuum illorum forma à ſola provenire natura dici poteſt, cùm nemini dubium ſit, niſi agricolæ ars, operaque accederet,

nun-

nunquam fore,ut ea ſola tales fructus produceret. Verumtamen ad artificiales,ejuſmodi quoque formas rejiciemus. Naturalis forma motus ſive actionis eſt principium: proinde & effectricis cauſæ rationem obtinet. atque ea quidem aut ſimplex eſt, aut compoſita. Simplex eſt, quæ ſimplicem, imperfectamque habet naturam, cujuſmodi ſunt elementorum formæ, quas prima induit materia. Caret autem materia prima omni prorſus forma, non quod aliquando ſine ulla forma exiſtere poſſit, ſed à compoſitis mente tantum abſtrahitur, intelligiturque. Compoſita forma eſt, non quæ ex pluribus formis conſtet (ea enim una eſt, non plures) ſed quæ plurium & perfectiorum motuum, quàm ſimplex principium ſit, ut ſtirpium forma, quæ vegetandi vi donata eſt, cujus motus perfectior diſtinctiorque exiſtit. In vegetatione enim continentur attractio, retentio, & alii id genus vegetatricis facultatis motus, quos naturales actiones appellamus. Eadem ratione rerum multiformium, quæ non ex elementis ſolùm genitæ ſunt, ſed miſtis naturis ex elementis, forma diſtinctior, perfectiorque eſt. atque hæ ipſæ res quo melius contemperatæ fuerint, elaboratiuſque à natura permiſtæ, eo compoſitiorem, diſtinctiorem, ac perfectiorem

rem habent formam, proindeque motus plures, ac perfectiores. Elementa enim perfectione & numero actionum plantæ antecedunt; plantas autem animalia: homo vero hæc omnia, quoniam interea, quæ in hoc orbe genita ſunt, temperatiſſimus eſt, elaboratiſſimus, & velut naturæ opus abſolutiſſimum, perfectiſſimumque. Artificioſam autem formam nihil aliud eſſe dixerim, quam illud ipſum, per quod res ad uſum aliquem apta eſt. Statuæ namque forma reddit marmor idoneum ad referendam alicujus effigiem. cultri vero forma cultrum ad incidendum.

VI. Sed materiam quidem & formam proprie ſolæ habent corporeæ ſubſtantiæ. Verumtamen in accidentibus accipitur pro materia vel ſubjectum, in quo accidens ſit, veluti auditoris animus, in quo vi orationis fit perſuaſio: vel id, circa quod fit: vel de quo: vel ſi quid eſt præterea, quod alio quovis modo efferri poſſit. dicemus enim medicamenta, morbos, & reliqua, circa quæ verſatur medicus, medici eſſe materiam, & bellum ejus orationis materiam, quæ de bello tractet, ſic & emptionis & venditionis materia erit, id quod emitur & venditur. Primum (Quintilianus inquit) conſiderandum eſt, & quis, in qua cauſa, & apud quem, & in quem &

quid

quid dicat. Hæc omnia, in qua cauſa, & apud quem, & quid dicat non alio pertinere arbitramur, quam ad orationis materiam & ſubjectum.

Similiter eſt & aliquid in accidentibus in quo conſiſtat, ut res ſit id, ſi quod eſt, ſicuti in emptionis & venditionis contractu eſt pretii conventio, unde habet ut ſit emptio & venditio, idque erit pro forma accipiendum.

Efficientium cauſarum duplex eſt conditio. Nam aliæ effectum perpetuo comitantur, quales ſunt internæ: aliæ abeſſe poſſunt, quales ſunt, quas evidentes, ac externas dicimus, ut ſolis ardor diariæ febris eſt cauſſa, etiamſi à de ūre ſ. lo ceſſaverit. Quædam inſuper neceſſitate naturæ, quædam opificis arbitrio agunt. neceſſitatem ſequuntur quæcunque conſilii judiciique ſunt expertia, ut ignis, propoſito ſibi quod uri poſſit, nequit non urere: delectu autem agunt, quibus liberum eſt agere, vel non agere, ut homines illis in rebus, quas conſilio, rationeque adminiſtrant.

Earum quæ neceſſitate agunt, quædam naturæ conatu: aliæ externa vi agunt. Conatu naturæ agunt ea, quorum agendi principium eſt intra ipſa, nullo extero adjuvante, ut ignis, cui innata eſt urendi vis, nec ceſſat urere, donec ſupereſt ali-

 quid,

quid, in quod explicet vim ſuam. Externa vi agere dicuntur, quibus aliunde agendi vis acceſſit, ut aqua fervens calefacit, non ſua, ſed ignis vi, à quo calorem accepit. Sed iſtorum vis non eſt diuturna, verùm remittitur ita, ut ſtatim ad naturam ſuam redeant. In his quæ neceſſitate agunt ſatis eſt ut poſſint agere: in illis verò quæ delectu, opus eſt ut etiam velint.

Eſt & alia efficientium diſcretio: quædam enim præcipua ſunt & imperantia: quædam obſequuntur & miniſtrant, & horum alia agunt, & alia ſunt inſtrumenta: ut ſunt in bello gerendo imperator, miles, arma.

Aliæ inſuper cauſſæ ejuſmodi ſunt ut ſolæ ad effectum producendum ſufficiant: aliæ verò concurrant oportet, ut ad procreationem maſculus & fœmina.

Quædam demum agunt aliquid: quædam verò ejuſmodi ſunt, ut ad producendum effectum nihil quidem ipſæ conferre videantur, ſed non producatur tamen effectus ſine illis, vocanturque adjuvantes cauſſæ: exempli gratia, in fure celandi delicti, aut pœnæ quovis modo effugiendæ ſpes eum quidem ad rem ſurripiendam non movet, ſed tamen minime eam ſurriperet, niſi haberet ejuſmodi ſpem aliquam. atque huc quidem locum & tempus referen-

rendum arbitramur. Conſiderantur autem in efficientibus rei quantitas, qualitas, & modus, ordoque agendi.

Finis potiſſimus eſt cauſſarum omnium. Is enim eſt cujus gratia omnia agunt, aguntque omnia boni alicujus gratia: & finis quoddam bonum eſt. quo pacto ergo ratio boni in rebus diſcreta erit, eodem & finium ſumemus diverſitatem. Quædam enim ſunt per ſe bona: quædam quia aliis conferunt. quæ per ſe ſunt bona, ea certum eſt ſumma eſſe, ut ſupra ea nihil ſit expetendum. ea ſunt, ut breviſſime dicamus, ſtatus uniuſcujuſque rei in ſuo genere perfectiſſimus. Summum itaque ignis bonum eſt eſſe maxime calidum, & ſiccum. Sic uniuſcujuſque rei perfectiſſima illa, conſummatiſſimaque habere, quæ ipſis tribuit in ſuo rerum genere natura. Conferentia dicuntur, quæ ad ſumma conſequendum adjumento ſunt.

Sed bonorum, atque proinde finium ratio bifariam initur. Quandoque initur, pro ſingularum rerum conditione, quam habent in ſuo genere quæque, ut domus perfecta ultimus eſt fabricantis finis in ſuo genere quandoq; vero fines accipimus ex toto ordine rerum, quo cuncta, alterum alterius uſibus videntur accommodata. Poſſunt & aliter unius plures eſſe fines, ut

alius ſit operis, alius, operantis, alius jubentis. Ubi plures ſunt ejuſdem rei fines, ii quidem erunt aut medii, & quaſi ſpectantes unus ad alium, quorum unus proximus ſit, alii remotiores: ut ſi dicas parari frænum regendi equi gratia, equum autem gratia belli, bellum fieri propter victoriam, expeti victoriam tranquillitate frui ut poſſis. nam intelligemus ei qui frænum ſibi parat, equum regere proximum eſſe finem, reliquos autem remotiores, nempe hos, bellum, victoriam, tranquillitatem: ſed tranquillitatem ultimum & extremum eſſe finem. Aut erunt omnes æque propinqui, ut ſi quid in amici alicujus gratiam facias, & ut te illi beneficii forte accepti memorem gratumque oſtendas, & ut illum tibi magis benevolum reddas. Horum ſiquidem utrumq; ad id, quod facis, æque propinquus erit finis. Et aut erit alius alio principalior, ut ſi pluris facias gratum te amico exhibere, quàm eum tibi magis benevolum reddere, æque principales erunt omnes, ut ſi non pluris hoc quàm illud facias.

Et finis aut eſt adeptio rei alicujus: ut in domo fabricanda habitationis commoditas, aut evitatio incommodorum: ut ſi quid facias morbi declinandi gratia.

Eſtque tandem finis, aut corporea res ali-

aliqua, aut rei corporeæ Uſus, aut actio tantummodo nullum poſt ſe opus relinquens: ut ſi probabiliter & ornate dicere ponatur Rhetoricæ finis eſſe: aut eſt aliquod aliud accidens. ut ſi Rhetoricæ finis ſtatuatur eſſe perſuaſio. Joannes Argenterius plura facit cauſarum genera. nam Inſtrumenta,& quas adjuvantes cauſſas appellamus, ab efficientibus ſejungit, & adjuvantium etiam duo genera enumerat: alterum eorum, ſine quibus effici res non poteſt: alterum eorum, cum quibus fieri non poteſt: ſegregatque inſuper id, in quo res ſit, & id circa quod fit, ita ut ſint novem: id à quo res ſit, hoc eſt efficiens: per quod res fit, hoc eſt inſtrumentum: ſine quo, & cum quo non fit: ex quo res ſit, quæ propriè eſt materia: in quo ſit, quod eſt ſubjectum: & circa quod, & cujus gratia res eſt, quod eſt finis, & quod facit rem eſſe, quod eſt forma. Sed ſi res non verba ſpectes, utram ſequaris partitionem non admodum referre arbitramur, dummodo in illis quatuor hæc omnia intelligantur.

Effectum autem cujuſque rei nihil aliud eſſe dicimus, quàm illud ipſum, cujus res eſt cauſa, quod & finis eſt. Sed quatenus à cauſſis producitur, effectus appellatur: quatenus verò ſui deſiderio efficiẽtes cau-

ſas movet ad agendum, finis dicitur, & inter cauſſas numeratur. Intellectis igitur quæ ad finium pertinent differentias, effectuum ſimul differentiæ cognoſcentur. Sed ad effectum refertur etiam qualiſcunque rei exitus, qui vel præter intentionem ſequatur, ut ſi quis ex militia non lucrum, cujus gratia profectus fuerat, ſed damnum reporter.

Sed tum demum rei alicujus cognitionem nos habituros cenſendum erit, ſi & ipſius rei communiter, & cujuſlibet ejus partis, vel ſpeciei definitiones, & cauſſas effectuſve perſpectos habuerimus, & cauſſas quidem, effectuſve cognoſcere intelligemur, ſi ipſarum quoque cauſſarum cauſſas & effectuum effectus, uſque ad extremos, tum communiter, tum per partes quaſlibet, & ſpecies noverimus uſque, ad ſimpliciſſimas partes, infimaſque ſpecies.

VII. Et eorum quidem haberi ejuſmodi poterit cognitio, quæ finita ſunt, & perpetua & immutabilia: quod genus ſunt univerſalia omnia. infinitorum autem & corruptibilium, qualia ſunt ſingularia, nulla eſt ſcientia. Omnia vero aut pendent à noſtra voluntate: ut quæcunque agimus, facimuſque: aut non pendent à noſtra voluntate. Eorumque alia conſtant ex materia ut res naturales omnes; alia tametſi

metſi ſunt in materia, intellectu tamen à materia ſeparantur: ut quantitates, circa quas verſantur Mathematici: alia ſunt omnino à materia ſejuncta: ut Deus & Genii.

VIII. Hujuſmodi autem cognitionis ille erit capax, in quo naturalis ratio vigeat, cujus ope rerum poſſit ſimilitudines, differentias conſequentiaſque perſpicere.

IX. Oſtendimus jam quibus conſtet abſoluta cujuſque rei cognitio, quarum haberi rerum poſſit, quis ejus ſit capax. videndum igitur nunc ex quibus gignatur cauſſis, ſive ſponte diſcendum alicui ſit, ſive à doctore.

Illud ſane dubium eſſe non debet, quia cognitionem omnem, quæ ratiocinando acquiritur, ab aliqua gigni cauſſa oporteat: & cauſſa quidem illa neceſſe eſt ut ſit aliquid ante jam cognitum, quod adhibitum ad id, quod ignorabamus prius, efficiat ut in ejus veniamus notionem. Sic & Ariſtoteles aſſerit, omnem doctrinam & diſciplinam, quæ ratione conſtet, ex præcognitis fieri, unde conſequens eſt nihil quemquam poſſe addiſcere, niſi ea præcognita habeat, quæ apta ſint ad illud patefaciendum, quod aſſequi cupiat. Et cum infinita propemodum ſint ea, quæ addiſcere homines poſſunt, maxime inſuper credibile videtur

 nul-

nullum eſſe hominem, in quo naturalis tantum ratio vigeat,cui non omnes fere illæ in ſint notiones, quæ ſint ad percipiendam unamquanque diſciplinam, ſeu rem quamlibet, neceſſariæ: quanquàm lateant perſæpe, nec facile ſit animadvertere quid ad quam rem cognoſcendam, & quomodo adhiberi oporteat; ſicut uſu venire poſſet ut aliquis haberet quidem domi omniũm generum medicamenta, neſciret autem quo quiſque morbus potiſſimum curandus eſſet.

Logicæ ergo munus eſt, tum hujus ſcilicet partis, quam hic perſequimur, tum alterius, quæ ad quæſtiones pertinet, notiones illas ceu ſcientillas ſubcinere latentes detegere, apteque ad res obſcuras illuſtrandas applicare.

Quamobrem ſciendum in primis erit, quænam ſint omnium notiſſima, ut ſive contemplemur,ſive doceamus, eo ſumpto quod ſit perſe notum ad ea pergamus quæ nos latent. Pro eodem autem intelligendum hic eſt, aliquid notius eſſe, & prius, contingere ut ſit notum.

Neceſſe eſt ut ergo quicquid præcognoſcimus,ad id quod ignoramus quodque intelligendum eſt aliquo ſe habere modo,aut ſcilicet ut magis univerſum ad minus univerſum: aut ut totum ad partes: ſeu ut

com-

compoſitum ad ſimplicia: aut ut cauſam ad effectum: aut è converſo. Contraria vero & adjuncta, & conjungata, & reliqua ejuſmodi ad quæſtionum tantum diſcuſſionem pertinere, non etiam ad id, de quo hic agitur, cenſendum eſt.

Inſuper quicquid præcognoſcimus id erit aut conjunctum aut disjunctum. Conjunctum intelligo quicquid oratione aliquid affirmante vel negante exprimitur, quale hoc erit: mundus aliquando periturus eſt: disjunctum vero, quod ſimplici aliqua voce vel etiam pluribus nihil affirmantibus vel negantibus exprimitur: qualia ſunt: mundus, homo, ſubſtantia.

In disjunctis prius quidem aliqua ſingularia cognoſci neceſſe eſt, quàm ad rei univerſæ notitiam pervenias. quod inde facile apparet, quod infans, antequam rem ullam viderit, neque quid hic homo ſit, neque quid in ſpecie homo, neque quid animal, neque ſubſtantia intelligit. tum autem primum quandam hominis ſpeciem animo concipiet, ubi duos vel tres homines viderit: atque inde pedetentim procedet ejus notitia, ſemper ab iis, quæ latius patent, ad ea quæ minus late: itaque evenit, ut perpaucorum ſingularium cognitio, intellectum ad ea quæ maxime univerſa ſint, perducat. ex duobus enim ho-

minibus (exempli gratiâ) concipitur hominis ſpecies: ex homine & equo animal: ex animali & lapide, vel ligno corpus: ex corpore atque animali ſubſtantia, quo quidem fit, ut è converſo prius perſpicua fiant magis univerſa, quam eorum quæ ſub ipſis continentur, multitudo. imo ne haberi quidem poteſt ſingularium omnium cognitio, diſtincta ſcilicet, quomodo hunc vel illum hominem vel equum cognoſcere poteris. Verum qui genus aliquod intelligit, is aliquatenus (confuſe videlicet) omnia etiam novit, de quibus ipſum genus dicitur. Siquidem in omnibus communem quandam naturam intelligit: utpote in omnibus animalibus vegetandi ſentiendique vim. quare ſiquid cognoſcendum tibi ſit eorum quæ ſub cognito jam genere continentur: notitia quam acquires, ab iis quæ latius patent, originem ſumet. nam ſiquid procul conſpexeris, primum quidem agnoſces id quod valde univerſum eſt, corpus videlicet eſſe: propius vero accedens, ſi ſe movere illud videris, intelliges animal eſſe, quod minus patet; quam corpus, mox perſpicies eſſe hominem, poſtremo Platonem vel Socratem.

Quatenus igitur aliquot ſingularia vel minus communia prius cognoſcere oportet quam communiora cognoſci contingat:

gat: minus communia communioribus notiora eſſe dici poſſunt. Quatenus autem prius cognoſcuntur communiora, quam eorum quæ ſub ipſis continentur multitudo, notiora erunt, quæ magis communia fuerint: & maxime communia, maxime item nota ac perſpicua. Ariſtoteliſque hoc modo conciliari poſſe videntur contrariæ hac de re aſſertiones. Quid vero naturæ notius ſit quidve ignotius, admodum equidem curandum non puto, quum id ad rem noſtram non videatur facere. neque enim naturæ, ſed homini cogitandi, docendique ratio traditur.

Conjunctorum diverſa ratio eſt. nam eſſe videntur in natura hominis ingenitæ univerſæ quædam notiones, quæ quidem ejuſmodi ſunt ut ſi quis proferat earum aliquam intellecta duntaxat verborum vi, & ſignificatione, non poſſit aliquis non eam veram eſſe agnoſcere, illique aſſentiri. quod genus hæ ſunt: Totum quolibet ſua parte majus eſſe; ſi ab æqualibus æqualia demas, cætera æqualia remanere. Nemini ſine cauſſa nocendum eſſe: & ſimiles aliæ, vocanturque communes animi conceptiones, dignitates, primæ & immediatæ ſententiæ, per ſe notæ, ac prima principia: & iis quidem nihil poteſt eſſe notius.

Quorundam autem notitia neceſſe eſt ut ab aliquo ſenſu originem ſumat. Et quanquam ſenſus non percipit niſi ſingularia, nihilominus ex iis, quæ ſæpenumero fieri ſentit, experientia fit & cognitio ſtabilis, immutabilisque: nam cum ſæpe viderimus ignem calefacere, neque ſecus unquam contingere, univerſa in nobis hujuſmodi fit notio, Ignis videlicet calefacit.

Totum partibus notius eſſe, & compoſitum ſimplicibus nemini dubium videtur. quod intelligendum eſt, ſi totum accipias ut totum & partes, ut partes.

At cauſſarum ad effectum ratio aliqua diſtinctione indiget. nam in iis, quæ pendent à noſtra voluntate, ut eſt domus fabricanda: finem extremum ſeu effectum, omnium notiſſimum eſſe oportet. Siquidem hic, qui domum vult fabricare, nihil recte faciet, niſi ab initio conſideret, quot quaſve commoditates in domo exoptet: inde totum animo deformabit ædificium, tale ſcilicet quale præſtare poſſit commoditates illas. mox autem materiæ habebit rationem, conſiderabitque inſuper quot & quibus opificibus, quibuſque inſtrumentis opus ſit: ut ex materia, quam paraverit conſtruere tale opus poſſit. atque ita quidem fiet ut quo quidque fini propius fuerit, eo quoque prius in conſideratione habea-

beatur, tanquam notius: quo autem remotius, poſterius, utpote minus notum. In iis vero quæ à voluntate noſtra pendent, & conſtant ex materia, ut ſunt res naturæ & opera omnia, quæ ipſi non fecimus: primum quidem ſeſe offert nobis totum ipſum compoſitum, deinde partes ſpectamus, exinde quonam pacto junctæ & in unum congeſtæ ſint, conſideramus; poſtremo quem ad finem omnia ſpectent perpendimus.

In mathematicis alius non videtur eſſe cognitionis noſtræ ordo quam à magis communibus ad minus communia. id quod apud Euclidem videre licet.

De Deo autem, de geniis, deque ſubſtantiis ejuſmodi, ſiqua ratiocinationis ope acquiſita eſt cognitio, ea omnis ab affectuum inſpectione profecta eſſe videtur.

Inſpiciamus igitur, qua ratione applicari notiora oporteat ad ea, quæ ſcienda circa unamquamque rem eſſe diximus.

x. Quidnam res ſit definitio explicat; cujus duo ſunt genera. Si quidem alia eſt nominis definitio, alia rei, Nominis definitio ea eſt, qua nominis, aut loquutionis vis & ſignificatio exponitur, quæ improprie definitionis eſt nomen adepta. quanquam adhiberi eam neceſſe eſt, ubicunque aliqua ſit verborum obſcuritas.

Rei

Rei quoque definitio duplex eſt: nam alia rem tantummodo per accidentia deſcribit, quæ & ipſa improprie definitio dicitur; alia vero quid res ſit, hoc eſt, quæ ſit rei natura explicat, quam breviſſime. atque hæc quidem proprie appellatur definitio quæ ut recte ſuo defungatur munere, neceſſe eſt, ut neque anguſtior ſit, neque latius pateat, quam res definita: quod fit ubi de quacunque re dicitur res definita, dicitur etiam definitio, & de quacunque re dicitur definitio dicitur etiam res definita: ut quicquid eſt homo, eſt animal rationis particeps mortale, & quicquid eſt animal rationis particeps mortale, eſt homo, id eſt enim definitionem cum re definita converti. alioqui enim vel, ſi latius pateret, non propriam ejus naturam ſed cum aliis item rebus communem indicaret; vel, ſi anguſtior eſſet, non totius rei naturam explicaret, ſed partis tantummodo. Abſoluta autem omni ex parte erit, ſi ex genere compoſita fuerit, propriiſque rei differentiis: & ſi fuerit inſuper plana & perſpicua, hoc eſt, ſi conſtet verbis propriis & uſitatis. non autem obſcuris, ambiguis, aut ex longinquo tranſlatis.

Genus eſt id, quod plures ſubſe complectitur ſpecies, & de ſingulis in eo, quod quid

quid eſt, dicitur. ut animal comprehendit ſub ſe hominem, equum: leonem, aliaſque ſpecies multas: & ſiquis interroget quid homo ſit, reſponderi apte poteſt animal, & ſi quid equus? animal, ſi quid leo? animal, & ſic de ſingulis. Et generum quidem aliud eſt ſummum, aliud medium, aliud infimum. Summum illud eſt, quod ſub nullo comprehenditur genere; medium eſt quod & comprehenditur ſub alio communiori, & ipſum alia ſub ſe complectitur, genera, infimum autem illud eſt quod non alia genera, ſed tantum ſpecius complectitur.

Summa genera decem faciunt, quæ vulgo decem prædicamenta nuncupantur: nempe, Subſtantiam, Quantitatem, Qualitatem, Ad aliquid, Agere, Pati, Ubi, Quando, Situm eſſe. Habere: è quibus quidem ſola Subſtantia eas omnes complectitur res, quæ ſuſtinent accidentia, veluti nix candorem: reliquà verò omnia Accidentia ſunt, nec ſubſiſtere ſine aliquo ſubjecto poſſunt. Quantitas enim vel Qualitas ulla eſſe nunquam poterit, niſi aliquid ſit, cui quidem inſit, quod & de reliquis omnibus dici poteſt.

Differentia nihil aliud eſt, quàm illud ipſum, quo, cum alia ex iis quæ ſub eodem ſunt genere participent, alia non participent,

pont, efficit ut ſecerni hæc ab illis poſſint. Sed differentiarum aliæ quidem ſunt ejuſmodi, ut rerum, quibus inſunt, naturam, formamque exprimant qua res id ſunt quod ſunt, ut hominis eſt, rationis particeps. Homo enim ea re homo eſt quod rationis ſit particeps. Suntque differentiæ hujuſmodi de cauſſa, propter quam res eſt, id quod eſt, & formales, ſpecificæque appellantur, eò quod aptiſſimæ ſiat ad conſtituendas ſpecies, ſegregandamque unam ab alia. & ab iis perſæpe denominantur ipſæ ſpecies, quibus in ſunt, ſi alio careant nomine, quod ſit in ſubſtantiæ formis: quarum hæc quidem animata nuncupatur à differentia. illa vero inanimata à ſua item differentia.

Aliæ autem rerum tantummodo ſunt accidentia, quarum rurſus quædam reipſa ſunt ſeparabiles, ut in aqua calor, qui ceſſare poteſt: quædam vero ſunt inſeparabiles, ut in Cygno candor. Et hæ rurſus aut ſunt unius tantum generis, vel ſpeciei propriæ, ut in homine ridere vel cum pluribus communes, ut in ceſſus, Quandoquidem igitur notum jam eſt quid ſit genus, & quid differentia, quotuplexque ſit utrumque, nunc explicandum erit qua debeant ratione inveſtigari ad definitionem conſtituendam. Primum omnium reperiendum

erit

erit rei genus, quod quidem ſi notum non ſit, ex aliquo erit notiore cognoſcendum. Cumque ſumma illa omnium ſint notiſſima, à ſummo erit genere incipiendum & ut invenias, cui ſubjici ex decem illis generibus debeat, percurrenda erunt omnia ſi enim id de quo agitur, ſubſtantia non ſit, perpende an ſit Quantitas, & ſi non quantitas, an qualitas. & ſic deinceps reliqua percurres omnia, donec inveneris ad quodnam genus referri debeat.

Repertum autem ſummum genus proximas in ſpecies divides, quæ univerſum ipſum exhauriant: deindeque perpendes quam ad ſpeciem res propoſita pertineat mox ipſam quoque (ſi res ita tulerit) ſpeciem divides alias in ſpecies, animadvertesque ſimiliter, cui res ipſa ſubjicienda ſit, & pedetentim eo uſque dividendo procedes donec ad rem ipſam perveneris. Sumendumque pro genere illud erit, cui proxime illam ſubjici compertum fuerit, ſi modo ſuam habeat appellationem, ſicut habent animal, piſcis, avis: non autem à ſua differentia denominetur, ſicut corporea & incorporea, quæ ſubſtantiæ ſunt ſpecies: tunc enim neceſſe eſſet remotius ſumere. Neque enim rectè definiretur animal eſſe corpoream, animatam, ſentientem. eſt enim corporea non genere, ſed differentia.

Ha-

Habito genere proximum eſt ut differentias inveſtiges, per quas res ipſa ab omnibus aliis ſecernatur rebus, quæ ſub eodem ſunt genere, & unà cum genere propria ipſius demonſtretur natura.

Ideo ſumenda ſemper eſſet differentia, ut omnes volunt, ex rei, quæ definitur forma, eo quod (ut diximus) aptiſſima illa ſit ad rei vim, naturamque exprimendam. Verum tamen cum rariſſimè in promptu haberi ejuſmodi poſſint differentiæ, recurrendum neceſſario erit ad propria ipſius rei accidentia. Qualeſcunque autem ſumantur differentiæ. oportebit ſaltem palam eſſe, quod rei conveniant ſimul junctæ ſoli, itemque omni & ſemper. Sed ubi proximum ſumitur genus, adjectis differentiis, quæ à reliquis ejuſdem generis formis rem ſegregent, definita rectè res erit. Quod ſi remotum adhibueris, neceſſe erit omnes adjicere differentias, quæ non tantum à reliquis formis ſub proximo communi, cum re definienda, genere contentis, rem diſtinguant: ſed ab omnibus omnino, quo remotum illud genus complectitur, ut ſi hominis ſtatuatur genus ſubſtantia adjiciendæ erunt omnes hæ differentiæ, nempe corporea, animata, ſentiens, terrena, ratione prædita.

Poſtremo neceſſe eſt ut hæc omnia ex-

pri-

primantur verbis claris ac perſpicuis, & quo ad ejus fieri poterit pauciſſimis, ita ut nihil redundet. Definiri autem poſſunt, quæ neque ſingularia ſunt, quorum diximus ſcientiam non eſſe, neque ita univerſa, ut nihil extet, ſub quo ipſa contineantur communius, qualia ſunt, quæ vocant tranſcendentia (ſic enim nihil extaret, quod poſſet in definitione tanquam notius adhiberi) ſed inter utraque collocantur.

Et hæc quidem ſunt præcepta, quæ de ſtruenda definitione dari fere poſſunt: quæ tamen adeo abſoluta minimè ſunt, quin eorum in rebus definiendis obſervatio longè difficilis exiſtat. quo ſanè fit ut plærunque ea in re, vel à magni nominis viris non leviter peccari ſoleat. Idcircò operæ pretium facturi videmur, ſi vitiorum, quæ cadere in definitiones poſſunt, quendam veluti catalogum ſubjecerimus: ut cùm non ita in promptu ſit perſpicere quid ſequamur, ſaltem quid fugiendum ſit, non lateat.

Primum igitur vitium erit, ſi fortè ſumptum rectè genus non ſit: quod quidem ex generis natura, & proprietatibus perſpicuum fiet. Nam genus de omnibus dici debet, quæ ſub ſingulis ejus formis continentur uſque ad individua. quamobrem ſi rei, quæ definitur ſpecies aliqua, vel quippiam

piam ex iis, de quibus ipſæ ſpecies dicuntur, uſque ad individua, non contineatur ſub eo quod pro genere ſumptum eſt, ne ipſius quidem rei genus fuerit: ut bonum voluptatis eſſe genus non poterit, quod aliqua voluptas in bonis non ſit.

Genus ejuſdem Categoriæ ſeu prædicamenti neceſſe eſſe, cujus ſunt & ipſius ſpecies, quarè cum nix & cygnus ad ſubſtantiam pertineant, candor autem ad qualitatem, non poterit candor nivis aut cygni genus eſſe. Si res definita non numeretur inter ſpecies in quas immediate ſumptum genus dividitur, neceſſe erit: ut ſaltem ad aliquam ex ejus formis referatur: quod ſi non contingat, quod ſumptum fuerit non erit genus: ut dicemus motum voluptatis genus non eſſe, quia voluptas neque numeretur inter primas motus formas, neque cuiquam ex illis ſubjiciatur. cum nulla motus ſpecies ſit voluptas. Genus latius patere oportet, quam ſpeciem. quare cum opinabile latius pateat, quàm id quod eſt (nam & quod non eſt, comprehendit) non poterit id quod eſt genus eſſe opinabilis. Sic & cum quod initium eſt, idem ſit principium, & quod principium initium, non poterit alterum alterius eſſe genus: neque enim alterum altero latius eſt, ſed æquale.

Unius ſpeciei plura eſſe genera non poſſunt,

ſunt, quam unum, niſi alterum altero contineatur. quamobrem ſi ejuſdem rei aliud, quam quod ſumptum eſt, genus ſit, neque alterum alteri ſubjiciatur, id ejus genus non erit: ut ſcientia juſtitiæ non erit genus, quia juſtitiæ genus ſit etiam virtus & neque virtus ſub ſcientia, nec ſcientia ſub virtute continetur.

Genus plures ſub ſe complectitur Species, quam unam. quare ſi quod propoſitum eſt, rem tantummodò contineat, quæ definitur, non genus erit, ſed idem cum re ipſa, ut ſi dictum ſit jucunditatem eſſe genus voluptatis.

Genus ſeparari à ſpecie nunquam poteſt, neque ab iis, quæ ſub ſpecie uſque ad individua continentur, Quod ſi res quæ definitur, conſiſtere aliquando poſſit, ut illi non conveniat, quod ſumptum eſt, pro genere, illud quidem genus non erit. quamobrem, ſi ſeparari aliquando ab anima omnis motus poteſt, non recte dicetur motus animæ genus eſſe.

Genus debet quid res ſit demonſtrare. quare ſi non aperte reſpondeatur in quæſtione, qua, quid res ſit, quæritur, non erit Genus, ut quod album eſt, non erit nivis Genus, ſed accidens: non enim idem eſt nix, quod album aliquid, ſed accidit nivi, ut ſit alba, Non demonſtrabit autem, quod

ſum-

ſumptum eſt Genus, quid res ſit quin quælibet etiam ejus Species in quæſtione quid res ſit, dicatur.

Genus debet cum re, cujus eſt genus omnino convenire, non autem ex aliqua tantum parte. quare aſpectabile non erit animalis genus. Eſt enim animal ex parte aſpectabile. corpus enim ſenſum movet, at non anima. Sic & corpus non rectè dicetur animalis eſſe genus ſiquidem animal pro parte tantum corpus eſt.

Genus verè de formis dici debet quare non rectè definitur nix aqua concreta, cum verè aqua nō ſit: neque cœnum, terra humore temperata, cum verè terra non ſit.

Si rei quæ definitur aliquid contrarium ſit, neceſſe erit aut ſumptum genus de contraria quoque re dici, aut contrariæ rei contrarium eſſe genus. Quamobrem cum morbo contraria ſit valetudo, non erit morbi genus quod malum eſt niſi etiam valetudinis genus ſit quod bonum eſt: aut niſi idem ſumptum genus de utroque contrario diceretur, ſicut color de candore & nigore.

Si in id, quod ſumptum eſt pro genere, non cadat id, quod cadit in rem, quæ definitur, id ejus eſſe genus non poterit. Itaque cum ſcientia quandoque abuti quis poſſit, virtute non poſſit, eo quod virtu-

tis

tis nomen amitteret, non poterit ſcientia virtutis genus eſſe: ſicut etiam, ſi res quæ definitur acceſſionem recipiat, ut color ſumptum autem genus non recipiat, id ejus eſſe genus non poterit.

Affectio rei alicujus, quæ ei quod definitur, non ineſt, ipſius eſſe genus dicendum non erit. quare cum ſomnus ſenſui non inſit, non erit ſomni genus imbecillitas ſenſus: Cum enim ſomnus ſenſus non ſit, ne ſenſus quidam imbecillitas erit.

Rei quæ definitur accidens ſumi pro genere non debet, utpote quod vim habet ad efficiendam rem. quare cum æqualitas contrarium rationum vim habeat ad efficiendam dubitationem, dici non poterit æqualitas illa dubitationis eſſe genus.

Ubi genus exactè perpenderis eadem diligentia diſcutiendæ erunt differentiæ, animadvertendumque aliquidne in iis ſit quod damnari jure poſſit.

Primum autem reprehendetur differentia, ſi non rectè indicet, quale quid res ſit. Et Ejuſmodi quidem erit, ſi, cum res acceſſionem recipiat. id quod pro differentia ponitur, non recipiet, aut non ſimul. quare non rectè definietur amor, concumbendi cupiditas: cum fieri poſſit, ut qui vehementius amat, aliquando non magis concubitum appetat, quam is, qui minus amat.

Item

finita dividatur ſuas in ſpecies, ſingulæque ſpecies uſque ad individua, ſingulatimque inſpiciantur omnia.

Idem erit, ſi cum duo ſimul rei poſſint convenire, alternatim proferantur, ut ſi, cum pulchrum poſſit aures ſimul atque oculos oblectare, pulchrum id eſſe definiatur, quod aures & oculos oblectat.

Aut ſi cum pari ratione contraria eidem rei natura poſſint convenire, alterum tantum explicatum fuerit, ut ſi quis definiat animam ſcientiæ capacem eſſe, eſt enim & ignorantiæ.

Aut, ſi cum res ad plura quoquomodo pertineat, aliquid ex iis prætermittatur, quod fieret, ſiquis Grammaticam definiret eſſe artem ſcribendi, id quod dictatur, & profertur. Nam cum ſit etiam legendi, id quoque exprimendum erat. Hoc tamen obſervandum non eſt, ubi ad aliqua res pertinet propriè & per ſe, ad aliqua verò caſu & temere. id quod videre eſt in medicina. Siquidem ejus vis per ſe cernitur in valetudine, in morbo autem caſu & temerè, cum & alienum ſit à medicina morbum efficere. In ejuſmodi ergo rebus ad ea duntaxát, quæ præſtantiora ſunt, accommodabuntur differentiæ.

Aliud vitium erit in differentia, ſi non

ſemper rei quæ definitur conveniat, hoc eſt, ſi auferri aliquando, aut commutari poſſit ſine ſubjecti interitu, cum nulla res, ſublata ſua differentiâ, permanere in ſtatu poſſit, Homo enim ſi deſinat terrenus eſſe, homo ſimul eſſe deſinet, quamobrem non erit bipes commoda hominis differentia, cum poſſit quiſpiam unum aliquando, aut nullum habere pedem. addendum eſt igitur naturâ bipes.

Oppugnatur inſuper differentia, alias quidem quia non ſumptum ſit, quod in re eſt excellentius. quapropter ſi res, quæ definitur, perſe ſit expetenda, non rectè explicabitur tanquam expetenda propter aliud, ut ſi quis juſtitiam definiat eſſe legem cuſtodem. Quamquam enim quædam cum per ſe bona ſint, experi etiam propter aliud poſsint, definitione tamen illud explicari debet, quod excellentius eſt. Etſi res natura ad aliquid apta ſit, non rectè explicabitur per ea, ad quæ fortuito uti liceat, ſed per ea explicari debebit ad quæ natura apta & deſtinata eſt.

Alias reprehenditur, ſi ſumptum ſit quod ipſa re non ſit notius, & ejuſmodi quidem erit ſi non ſit magis univerſum. quamobrem non rectè fieret, ſi res per contrarium explicaretur, ut ſi definiatur bonum, quod malo contrarium eſt. Sunt

enim

enim contraria naturæ ordine ſimul, & conſequenter, aut æque nota, aut æque incognita, Quæ tamen cum alio conferuntur, neceſſe eſt explicare per eorum oppoſita, quorum ipſa ſunt, ut dicemus patrem eſſe qui filium habet, & filium qui habet patrem. Neque enim rectè intelligi aliter eorum natura poteſt, Sic & quæ privatione oppoſita ſunt, neceſſario definienda ſunt per oppoſita, ut, inæqualitas æqualitatis privatio dicitur.

Idem etiam contingeret, ſi id pro differentia ſumeretur, quod tantundem ſignificaret, atque ipſa quæ definitur, res, ut ſi quis ſcientiam definiret opinionem veram cum differentiæ intelligentia, cum idem ſit differentiæ intelligentiæ & ſcientia: vel id ſumeretur, quod eſſet rei proprium, ut ſi defineretur lupus animal quadrupes, natura ad ululandum aptum, Cum enim nullum aliud animal, neque omnino ulla alia res ululet præter lupum niſi fortè lupum aliquis imitetur, nemo certè intelligere poterit quid ſit ululare, niſi, prius lupum cognoverit, ululantemque audierit, Quare differentia illa ad ululandum aptum, nihil afferet momenti ad cognoſcendum quid ſit lupus.

Longè autem deterius eſſet, ſi res explicaretur per ea, quæ à noſtra notitia magis

gis eſſent re mota, quam ipſæ res, ut ſi defineretur ignis eſſe ſubſtantia animæ maximè omnium ſimillima, magis enim nos latet, quale quid anima ſit, quam quid ignis, Quod ſimiliter contingeret, ſi quis rem defineret per id, quod in ipſa re intelligeretur, vel tanquam ejus ſpecies, vel tanquam pars, ut ſi definiretur animal ſubſtantia, cujus ſpecies ſit homo: aut navis, cujus pars ſit puppis.

Haud levius erit vitium, ſi pro differentia id ſumatur, quod certum non ſit an rei, quæ definitur, conveniat, ut ſi definiatur ignis, eſſe quo primum animi ſedes conſiſtit, cum dubium ſit, an primum conſiſtat in igne animus.

Poſtremo minime idoneæ dicuntur differentiæ, ſi rem quæ definitur ab aliis, ejuſdem generis, non diſtinguant. & diſtinguere quidem non poterunt, niſi ſint ipſius rei propriæ. Sed id quidem de ſingulis intelligendum non eſt. Nam ſingulæ magis univerſæ ipſa re debent eſſe, ſicut dictum eſt ſuprà: verum de pluribus ſimul junctis, ut in ea hominis definitione, qua dicitur eſſe animal terrenum, ratione præditum, utraque enim differentia latius patet quam homo Nam terrenum eſſe, commune eſt homini cum multis animalibus: ratione præditum eſſe, commune illi eſt

cum

cum geniis: at ſimul junctæ illæ duæ differentiæ in nullo alio reperiuntur animali, præter quàm in homine, efficiuntque definitionem propriam. Propriæ autem non erunt, ſi alicui rei ſimul junctæ conveniant ejuſdem generis, præterquam rei quæ definitur, & ſub ea contentis. quod perſpici ut poſſit, percurrendæ erunt ſpecies omnes, in quas genus ipſum, quod in definitione adhibitum eſt, dividitur, deincepſque unius cujuſque ſpeciei ſpecies, uſque ad ſingularia.

Reliquum deinde eſt ut videatur num in definitione aliquid ſit obſcurum aut redundans: quæ vitia cum in omni oratione vitanda ſunt, tum vero in definitione damnantur maximè, ſed præcipue obſcuritas. Nam cum adhibeatur definitio rei cognoſcendæ cauſſa, obſcuris id verbis uſi non aſſequemur.

Contingit autem obſcuritas tum in ipſius rei, quæ definitur nuncupatione, tum in ipſa oratione, eſtque in verbis aut ambiguis, aut alias valde impropriis, aut inuſitatis.

Ambiguum verbum eſt, quod plura ſignificat: ut ſiquis cognationem definiat eſſe conſanguinitatis conjunctionem Cum enim cognatio de naturali intelligatur & de civili hoc eſt, de ea, quæ eſt per ado-

ptionem. obſcurum erit, volueritne naturalem tantum modo definire, an etiam civilem. Et cum oratio illa civili non conveniat, negabitur rei definitæ omni convenire.

Tranſlatum verbum eſt, quod rem ſignificat non proprie, ſed perquamdam ſimilitudinem, ſicut dicimus, prata ridere, cum id proprium hominis ſit, non cujuſque alterius rei. Ideo autem tranſlatum verbum in definitione obſcuritatem parit, quia contingere poterit ut lateat, num ſecundum propriam ſignificationem accipiendum ſit, an ſecundum tranſlatam, ut ſiquis temperantiam concentum eſſe dixerit. Propriè enim concentus in ſonis eſt: quo quidem fieret, ut temperantia eſſet in duobus generibus, quorum neutrum alterum contineret. Neque enim vel concentus virtutem, vel virtus concentum continet. Quin & illud perſæpe accidet, ut cum poſſit eadem vox per ſimilitudinem ad plura transferri, inter ſe differentia non tantum ſpecie, ſed aliquando etiam genere, non facile appareat quid velis.

Valde impropria verba ea intelligimus in quibus ne tranſlatio quidem in eſt, ut ſi quis definiat, legem eſſe modum, vel imaginem eorum, quæ natura juſta ſunt: appareтque hujuſmodi verba tranſlatis etiam mul-

multo eſſe deteriora. quippe cum tranſlata (ut dictum eſt) ſaltem quadam ſimilitudine conveniant: illa vero ne ſimilitudinem quidem ullam habent.

Inuſitata autem verba, quæ ſint, ſatis indicat vox ipſa, conſtatque ea, quæ in uſu non ſunt, non poſſe fere eſſe non obſcura.

Reliqui ſunt duo loci, quibus etiam indicatur obſcuritas. Alter eſt, ſi contrarii definitio ex ea, quæ data eſt, ut per eſſet, non intelligatur, ut ſiquis definierit, candorem eſſe colorem, quo viſus diſpergitur: non dicetur eſſe clara definitio, niſi etiam intelligatur nigroris definitionem colorem eſſe, quo viſus, congregatur.

Alter eſt, cum prolata definitione, non intelligitur cujus rei ſit definitio, niſi explicetur. Idem enim prorſus contingeret, atque ſi rudis aliquis pictor, equum fortè imperitè adeò pingeret, ut ſine inſcriptione dignoſci non poſſet.

Supervacaneum autem in definitione eſt id omne, ſine quo definitio nihilominus clara remaneat, & perſpicua, cujuſmodi eſſet hæc hominis definitio, animal terrenum, ratione præditum, natura natum ad ridendum: quandoquidem ſine differentia illa poſtrema natum ad ridendum, definitio abſoluta erat & clara, Longe tamen

pejus eſſet, ſi quid adderetur, quod non univerſæ rei definitæ conveniret, ut ſi quis hominem ita definiat, eſſe animal gradiens, bipes, quatuor cubitorum. neque enim magnitudo hæc omnibus congruit hominibus quo fiet ut definitio hæc de omni homine dici minimè poſſit.

XI. Si definitio nullum vitium patiatur ex iis quæ recenſuimus, tum rectè eam, quid res ſit, demonſtrare cenſendum erit. Id autem ubi cognitum fuerit, tum ad cauſas effectesque erit veniendum.

XII. Quamobrem ſi quidem id de quo agitur aliquid ſit quod à noſtra pendeat voluntate, hoc eſt ſi ratio quæratur aut ars, qua aliquid efficere poſſis, perpendendum imprimis erit, quidnam illud ſit, quod efficere cupias, corporeumne opus, an accidens aliquod. Si corporeum opus, perſcrutandum erit: quis ejus ſit ultimus finis cujus gratia deſideratur. & unuſne ſit, an plures, & qui ſint. Deinde ut res ad hujuſmodi finem apta ſit, qualem hoc eſt cujus formæ eam eſſe oporteat, quæ materia talem formam recipere poſſit: tum quæ neceſſaria ſint, quæque fieri oporteat, à quibus, per quæ, & cætera. Ut talis materia talem formam recipiat.

SI vero tam id quod arte efficitur, quàm id cujus gratia fit accidentia fuerint, & ex iis

iis, quæ aſſequi optamus, eiſdem omnino rationibus conſiderandæ erunt cauſæ. Atſi ex iis fuerint quæ cupimus evitare, & illud ipſum efficiendum erit, & præterea inſpiciendum quibus rationibus tolli aut impediri, inefficax reddi una quæque cauſſa poſſit ejus quod evitare cupimus: & quæ ſint contrariæ cauſæ ex quibus ſperari contrarius effectus poſſit.

XIII. Quoniam autem multa perſæpe ſunt ea quæ unum aliquem ad finem requiruntur, rationem ſanè quam finem ipſum aſſequaris tenere minimè poteris niſi eorum omnium & definitionès & cauſas eodem ordine perſcrutatus fueris quare ſi (exempli gratia) domus fabricandæ rationem quæras, Ubi ad materiæ conſiderationem perveneris, ſuccurret fortè calce opus eſſe: oportebit igitur ſcire, quid ſit calx, quem ad uſum requiratur, qua ex materia, quomodo, & quando paranda ſit; idemque dici poteſt de inſtrumentis, quibus in ipſa domo fabricanda uti oportet, quo fiet ut aliquando in unius artis conſideratione, ordo qui eſt à fine, ad ea quæ ad finem pertinent ſæpenumero iterandus ſit: quo tamen labore levamur quotieſcunque aliquam in rem incidimus, ex iis quæ ad ipſum finem ſpectant, quæ ad aliam quampiam ſeparatam artem perti-

neat. quod genus eſſent in propoſitio exemplo calx, multaque inſtrumentorum genera quorum quælibet ſuos ſeparatim habent artifices, qui ea fabricant.

Sed illud diligenter obſervandum eſt, ut à fine ſeu effectu ſemper ad proximas quaſque cauſas procedatur, & ad illas quidem, quæ per ſe cauſæ ſunt, non autem quæ fortuitò, ſive ut dicunt, per Accidens. Appellantque hanc Methodum reſolutivam à finis notione, ſicut contrariam vocant compoſitivam. Ille ordo cogitandi eſt commodiſſimus, hunc verò (compoſitivum inquam) ſequi in operando oportet. finis enim omnium ultimum eſt, quæ operantes efficimus, in excogitando autem primum.

Sed cave hic ne multorum maximos ſequaris errores, quorum alii cùm tam illum ordinem, quo proceditur à communioribus ad minus univerſa, & eum quo proceditur à compoſitis ad ſimplicia, ſeu à toto ad partes, quam eum quo progredimur à fine ad cauſſas, communi nomine reſolutivam methodum appellari intellexerint: quaſi ejuſdem omnes ſint rationis, quæcunque de poſtremo hoc dicuntur, ad alios etiam transferunt, alii vero ſomniant reſolutionem à finis notione ſeparatum quendam ordinem eſſe, qui poſſit in alicujus

jus artis tractatione ſine diviſivo ordine adhiberi. Res enim longe ſe aliter habet. Nam primum intelligendum eſt alium eſſe ordinem magis communium ad ea, quæ minus patent: alium compoſitorum ad ſimplicia: aliumq; finis ad ea quæ ad finem pertinent. nec ſunt propter commune nomen confundendi, id quod de contrariis quoque ordinibus dicendum eſt. Alius ſiquidem eſt ordo minus univerſorum ad magis univerſa: alius ſimplicium ad compoſita, alius cauſarum ad finem, licet omnes compoſitivi appellentur. Deinde ſciendum & hoc eſt, quod ſi ad conſtituendam artem aliquam adhibere methodum volueris, non ſufficiet unius ex hiſce ordinibus obſervatio, ſed talis eſſe ars poterit, quæ ferè omnes requirat, è quibus tamen unus dominabitur, ille ſc. qui eſt à fine ad cauſſas: alii vero, modo unus modo alius, præcipuo illi deſervient. Nunc enim inveſtigandum erit ex ſingularibus univerſum, aut ex partibes totum: nunc dividendum erit, aut univerſale, aut totum aliquod, interim tamen ordo ille à fine ad cauſſas nunquam deſeritur, ſed ejus ad extremum uſque perpetuo habenda ratio eſt, ſicut mox perſpicuè, quantum in nobis erit docere conabimur. Hoc autem tanti eſſe cenſemus, ut ſiquis in eo hallu-

cinetur illum proficere in methodica ratione omnino nihil poſſe compertiſſimum habeamus.

Si de rebus naturalibus agatur, aut aliis, quæ cum à voluntate noſtra non pendeant ex materia tamen conſtent, eadem fere conſideranda erunt, quæ in rebus artificialibus, ſed ordine, quem indicavimus ſupra, ubi diximus etiam quis ſit in rebus, quæ non conſtant ex materia, cognitionis noſtræ ordo.

Hoc autem latere non debet, aliquando thema ejuſmodi poſſe occurrere, in quo ſimul admodum connexæ ſint cauſſæ, ita ut non facilè ſit intelligere, vel certè exprimere finem ſeorſim à forma, aut materia vel ſubjecto. Sanitas enim quæ medicinæ finis eſt, ac ſcopus deſcribi nequaquam poterit, aut dividi, ſine humani corporis diviſione: quo ſit ut de ſanitate, de ipſius ſanitatis forma, qualiſcunque illa ſit, deque ejus ſubjecto ſimul agere neceſſe ſit ei qui medicinæ methodum velit conſtituere, id quod Galeno in de conſtitutione artis medicæ libello contigit, & aliis pleriſque in rebus contingere poterit. Sed non ideò committendum eſt, ut non aliquam tum quoque ſupra dicti ordinis rationem habeamus, ne ſcilicet prætermittatur forte aliquid, alioqui minime contemnendum.

Se-

Sequitur nunc ut oſtendamus quomodo quæ dicta ſunt, omnia perſpicere per partes quaſlibet, ac ſpecies poſſimus. Quam quidem ad rem neceſſaria eſt, ceu inſtrumentum quoddam, diviſio, Dicendum eſt igitur quid ſit diviſio, quotuplex ſit, quod ejus ſit munus: qualem eſſe oporteat, ſuo ut optimè defungatur ut munere, quæ dividi conveniat, & per quæ diviſio fiat.

XIV. Diviſio nihil eſt aliud, quam totius ad partes ordinatio. Sex autem repe-riuntur diviſionum eſſe genera. Nam alia eſt vocis ſeu loquutionis in ſua ſignificata: quæ tametſi neceſſaria eſt perſæpe, impropriè tamen diviſio nuncupatur, meliuſque diſtinctio diceretur: alia eſt generis alia totius in partes: alia ſubjecti in accidentia: alia accidentium in ſubjecta: alia accidentium in accidentia.

Primi generis exemplùm eſt, ut ſi quis taurum dicat ſignificare aliâs animal illud notum, aliâs cœleſte ſignum: aut meum librum intelligi, vel qui à me ſit compoſitus, vel qui emptus.

Genius in ſpecies dividitur, ut Subſtantia in corpoream & incorpoream.

Totum in partes, ut hominis corpus in caput, manus, pedes, & reliquas partes. Partium vero aliæ ſubſtantiā conſtituunt. ut materia & forma: aliæ ad rei pertinent inte-

integritatem: quarum rurſum aliæ ſunt ſimiles inter ſe, ut ligni vel aquæ partes: aliæ vero diſſimiles, ut caput, manus, pedes & reliqua. Et ſimiles item aut ſimplices ſunt ut cujuſque elementi partes: aut compoſitæ, ut quorumcunque eorum partes, quæ ex elementis conſtant.

Subjectum in accidentia dividitur, ut ſi dicas animalium alia volare: alia ingredi: alia ſerpere: alia natare. Volare enim & ingredi, & ſerpere, & natare, accidentia ſunt per quorum differentias animal, quod eſt ſubjectum, dividitur.

Accidens autem intelligitur quicquid ejuſdem non eſt generis, cujus eſt ſubjectum, neque ad ſubjecti ſubſtantiam pertinet. Cumq; accidentium novem ſint genera, nempe poſt ſubſtantiam reliquæ Categoriæ. ſequitur ut ſubjecti diviſio fieri per totidem poſſit, ut animal in bipes & quadrupes: & in ferum, & manſuetum. Sic dividere poteris homines, ut alii ſint domini, alii ſervi, alii neutrum. Et rurſus animal ut aliud ex ſemine, aliud ſine ſemine gignatur, ut mus & alia quæ naſcuntur ex putri: & ut aliud ſentiat, aliud ſenſus ſit expers: & ut aliud forte æſtate concipiat, aliud autumno, aliud vere, aliud omni tempore: & aliud in aqua, aliud in terra degat, & aliud pronum aliud rectum in-

ce-

cedat, & ut aliud teſtâ integatur, aliud pelle.

Accidentis in ſubjecta diviſio eſt, cum ipſum accidens in ea, quibus ineſt dividitur, ut ſanitas alia ſimplicium eſt partium: alia inſtrumentorum.

Accidens in accidentia dividitur, cum res aliqua de accidentium numero in alia dividitur accidentia, ut linea alia eſt recta: alia obliqua: Febris alia acuta, ſed brevior: alia non acuta, ſed diuturnior. Sed accidentis quidem diviſionem nihil prohibet eandem dici generis in ſpecies. Cum enim dubium non ſit quin accidens quoque omne ſuas in ſpecies dividatur, id quidem etiam per propria fieri poterit accidentia. Quin & eam, qua ſubjectum in accidentia dividitur, ad eam, quæ in partes ſit, diviſionem referri poſſe non dubito. Quid enim aliud eſt animalium aliud ſponte aliud parentum efficacia gigni, quam huic quidem animalium parti hoc accidens convenire, illi vero illud? Nec ob id tamen putandum eſt, hujuſmodi diviſionem partitiones inutiliter fieri. cum proculdubio ad clariorem earum explicationem pertineat. Nos autem cum plæraque omnibus diviſionum generibus communiter palam ſit convenire, earum quoque omnium membra, commoditatis cauſa, commu-

muni nomine, partes ſæpe nuncupabimus, & quicquid dividitur, totum.

Diviſionis autem officium hujuſmodi eſt, quod non poſſumus rectè perſpicere, an aliquid alicui rei conveniat, ſeu accidat, nec ne, hoc eſt, aliquid alicujus rei cauſa ſit, vel effectus, niſi etiam cognoſcamus, tum an quælibet ejus pars conveniat tum an cuilibet parti. & cum non quælibet pars conveniat, vel non cuilibet parti, intueri minimè poſſumus quæ conveniat, vel cuique, quæve non conveniat vel cui non conveniat, niſi partibus omnibus hinc inde perluſtratis. Hoc præſtat diviſio (ſiquidem legitimè fiat) quod tam ejus quod convenire dicitur quam ejus cui dicitur convenire partes nobis omnes ob oculos ponit.

Omnibus quidem diviſionum generibus, munere ſuo ut ritè fungatur, hæ communes erunt leges. Primum ſcilicet ut partes totum illud, quod dividitur, exhauriant ita ut nihil relinquatur, quod cum ſit in toto ipſo comprehenſum, non in aliqua contineatur ipſarum partium.

Deinde cum non unus ſit diviſionis gradus, verum per ſæpe plures (quandoquidem frequenter dividendum eſt totum in partes, mox partes illæ alias in partes, rurſuſque illæ, in alias, donec ad ea perven-

ventum ſit quæ ſecari ulterius non poſſint) obſervandum eſt, ut principalioribus quibuſque partibus minus principales in gradu ſemper poſtponantur. Magis autem principalia ſunt in hominis corpore membra, quam eorum partes, & membrorum partes diſſimiles, ut capitis oculi, aures, frons, naſus, & reliqua, quam ſimiles ut caro, os, & ſanguis: & hæc ſimiliter principaliores ſunt partes, quam primordia ſeu elementa, quia ſcilicet ad totum ipſum propius accedunt.

Sed & magis principales ſunt partes quæ ſub ſe generum genera ſua latitudine complectuntur, quam quæ genera infima continent: & magis principales ſunt illæ, quæ genera ſub ſe habent, quam quæ tantummodo ſpecies: & magis hæ, quam ipſæ infimæ ſunt ſpecies, nullaſque præterea ſub ſe habent: ut homo, leo, equus.

Debent inſuper ita conſtitui partes, non ut una aliqua maximam totius portionem abſorbeat: altera vero præ illa valde ſit exigua, ſed ut ſint (quo ad ejus fieri poterit) æquales.

In iis autem diviſionibus, quæ ſunt generis in ſpecies, illud erit præcipuè cavendum, ne pro parte aſſignetur alicujus rei privatio, vel negatio, cujuſmodi hæc eſſet diviſio: animal aliud eſt gradiens, aliud non

non gradiens. & hæc, membra alia ſunt, quorum uſus eſt inceſſu. alia quorum uſus non eſt in inceſſu. Debent enim differentiæ, quæ ſpeciem à ſpecie ſeparant, rei naturam aliquam explicare. Atqui negatio quatenus negatio eſt, nullam explicare naturam videtur. Attamen cum longe plures ſint res, quam vocabula, ubi alioqui nulla extat appellatio, qua partem aliquam deſignes, neceſſario erit ad negationem recurrendum ejus, quod parti contra poſitæ tributum fuerit, idque cum fit, præcedere ea pars debebit, quæ ſuam habet appellationem. Si quidem eá cognita non poterit non lucem aliquam & illi afferre, quæ ejus ſit negatio: Sed & animadvertendum erit, ut quæ ſub una continentur ſpecie, ea ſub alia non contineantur, neque poteſt eadem res ſub diverſis generibus non alternatim poſitis contineri.

Dividendum eſt autem quicquid ſecari poteſt vel in plura ſignificata, vel in ſpecies vel in partes, vel in accidentia, vel in ſubjecta: tum ſcilicet, ubi vel non omnes partes ad rem faciunt, vel non omnium partium circa id, de quo agitur, eadem eſt ratio, ſed diverſa, ad hoc ut partibus cognitis, perſpici poſſit, & quid commune ſit omnium, & quid proprium ſingularum.

Id

Id porro per quod tanquam, inſtrumentum fit diviſio, differentia eſt, cujus in dividendo officium eſt partes indicare.

XV. Sed cum dividi aliter, atque aliter eadem res poſſit. haud ſcio an ulla alia in re tantum referat non decipi, atque in hac, ne ſcilicet diviſio per alias fiat differentias, quàm quæ propoſitio deſerviant. Quamobrem ſi id quod dividendum fuerit, aliquid ſit, cujus cauſſas inquiras, per ea fieri debebit diviſio, quæ oſtendant diverſas ipſarum partium cauſſas eſſe oportere. ſin autem ſit aliquid, quod aſſumatur tanquam cauſſa, inde ſumenda diviſio erit, quæ effectuum inducat diverſitatem. Hujuſmodi autem differentiæ, ſi non ſint in promptu, percurrenda erunt decem ſumma genera omnia, nec non & loci argumentorum, donec in eas incidas, quæ ad rem facere videantur. Quinimo ne ſatis quidem erit aliquam rem ſemel diviſiſſe, verum ſæpius id facere oportebit, quippe cum multa poſſit tum agere tum pati, eaque pro accidentium diverſitate aliter atque aliter. Sin autem nullæ extabunt differentiæ quæ ullam circa id, de quo agitur, diverſitatem inducant, ne diviſione quidem res ulla magnopere indigebit.

Facta diviſione uſque ad ſimpliciſſimas partes infimaſque ſpecies, tum, ſi quidem id

id, quod diviſum eſt, quippiam ſit, cujus cauſſas inquiras, aut effectus: perſcrutandum erit ſingillatim, quid cuique parti, aut ſpeciei conveniat, quod ubi factum fuerit facile deinde erit perſpicere, quid commune omnium ſit, quid proprium ſingularum. Diviſione autem uti hac ratione oportebit, ut ſtatim re definita inſpicias, num omnibus, quæ ipſa res complectitur, eadem conveniant, an etiam diverſa. Si omnino eadem conveniant, diviſione nihil opus erit: quod ſi diverſa, tum inveſtiganda erit diviſio, quæ illi accidentium diverſitati congruè reſpondeat, quomodo ſupra docuimus: exempli gratia. Si non omnium, quæ ad ipſam rem de qua agitur ſpectant, idem ſit finis ſed diverſi, dividenda res erit, ita ut ſuæ cuique diviſionis parti aſſignari commodè ſuus finis poſſit.

Rectè igitur qui de ratione dicendi ſcripſerunt, cauſas in tria genera partiti ſunt, in deliberativum ſcilicet, demonſtrativum, & judiciale, eo quod eorum omnium diverſi fines ſint. Nam deliberativi finis eſt utile, vel inutile: demonſtrativi honeſtum, vel turpe: judicialis juſtum vel injuſtum.

Si forma ſimiliter ſit multiplex, tum in diviſione haberi eodem modo formæ ra-

ratio debebit. Si idem contingat etiam de materia & de cauſſis efficientibus, tot uti diviſionibus oportebit, quot ad perſpiciendam eorum omnium diverſitatem in ſingulis partibus neceſſariæ eſſe videbuntur. Sed haud dubiè dividere aliquid ut poſſis, neceſſe erit, ut prius totum ipſum quod dividendum ſit, notum habeas. Quamobrem ſi fortè in promptu non ſit, indagare illud oportebit ab aliquorum ſingularium inſpectione: id quod ſupra, facile fieri poſſe, oſtendimus, & hic etiam exemplo clarius demonſtrabimus. Sit enim obſcurum, quis finis ſit regni rectè adminiſtrandi. occurret igitur puniri aliquem, qui alium injuria laceſſierit: facile autem cognitu erit, id ideo fieri, ut alii illius exemplo, pœnæ metu arceantur ab inferenda injuria: quorſum vero hoc? certe ut unuſquiſque à facinoroſorum hominum inſolentia tutus ſit. quorſum item hoc? haud dubiè, ut Reipub. benè ſit: Occurret ſimiliter optimum aliquem principem bellum gerere obſervabiſque id eum agere, ut finitimorum, qui Rempublicum continuis injuriis infeſtabant, vires frangat, idque inſuper eum conari, ut Reipub. tranquillitate frui liceat, utq; illi optimè conſultum ſit. Adhunc modum occurrent & alia: cumque in multis, quæ

benè

benè adminiſtrari videantur, perſpexeris ad optimum ea Reipub. ſtatum ſpectare, nihil autem alio tendere, minimè dubitabis, quin univerſa regni rectè adminiſtrandi rationis finis ſit, optimus Reipubl. ſtatus & qua ratione inveſtigandum eſſe finem diximus, eadem inveſtiganda erunt tam reliquæ cauſſæ, quam univerſa omnia, abſtrahendo ſemper illa à ſingularibus. Sicuti autem differentia, ſeu diſſimilitudo inſtrumentum eſt, quo ad totum in partes dividendum utimur, quodque partes ipſas indicat: ita cum res diſſimiles non in omnibus ſint diſſimiles omnes, ſed in aliquo ſimilitudinem habeant, ut equus, leo, canis, quæ cum diſſimiles ſint ſpecies, in hoc tamen ſimiles ſunt quod earum quælibet eſt animal: ea ſimilitudo inſtrumentum eſt, quo uti oportet ad cognoſcendum, abſtrahendumque à partibus totum, hoc eſt, à ſingularibus univerſum. quamobrem perſcrutari illam ſimilitudinem quam diligentiſſime in rebus diſſimilibus neceſſe eſt, & quo plura fuerint, quæ convenient in aliquo, eo communius dicetur eſſe id, in quo convenient. quare cum animalia, plantæ, lapides. & quæ accidentibus ſubſtant omnia in hoc conveniant, quod omnia ſunt ſubſtantiæ, palam erit ſubſtantiam maximè univerſam vocem eſſe.

eſſe. Hoc modo, ut reliquas artes omnes, ita literarum uſum inventum eſſe, dubium eſſe non deber. Nam etſi videbant earum inventores, verborum infinitam eſſe multitudinem: ita ut perſpicerent infinitum pariter quiddam fore, ſi conati fuiſſent ſingula verba, ſingulis repræſentare literarum notis animadverterunt nihilominus plurima verba ſimiles côntinere ſonos, ex quibus tanquam elementis ipſa componerentur, eoſque non modò infinitos non eſſe, verum ne multos quidem videri. Tamdiu igitur hujus & illius verbi elementa, quibus conſtarent, obſervarunt, donec ea omnia invenerunt, quibus nunc utimur, ſinguliſque repræſentandis ſuam quandam figuram aptarunt. atque ubi deinde in maxima verborum copia nullum inveniri depreheuderunt in quo aliqua exaudiretur pronunciatio, præter illas, quas jam adnotaſſent tametſi non omnia verba in conſideratione habere potuiſsent, pro comperto nihilominus habuerunt, nullum jam verbum eſſe poſse, cui vel exprimendo, vel ſcribendo non illa ſatis eſsent elementa, quæ inventa erant.

XVI. Diximus hactenus, quæ tam contemplantibus, quam docentibus communiter ſervanda ſint. Nunc autem, quoniam docendi ratio propria quædam requirit

præ-

præcepta, illa quoque breviter ſubjiciemus.

XVII. Quandoquidem igitur ei, qui docturus eſt hic propoſitus eſt finis, ut quam ipſe habet rei alicujus cognitionem, ejus participes alios reddat. illud imprimis ignorandum non eſt, in eo qui docendus ſit requiri, non ſolum ut natura ad diſcendum ſit aptus, verum etiam ut doctoris admittere operam velit. Id autem facturum eum credendum eſt, ſi noverit, quid illud ſit, quod ei diſcendum proponitur, ſimulque opinatus fuerit, ſibi expedire ut diſcat, quod quidem fiet, ſi qui doctoris functurus eſt munere, primum omnium aperuerit, qua ſit de re tractururus, ejuſque utilitatem oſtenderit: quam ad rem argumenta ſuppeteat ex topicis.

Deinde autem ita docebit, ut poſſint quæ ad integram rei notitiam pertinuerint & quam minimo labore percipi, & tempore quam breviſſimo: atque inſuper memoria facile retineri. Et hæc omnia præcipue præſtabit ordo, ſicuti ipſa teſtis eſt experientia. & ordo ſane, tametſi idem eſſe debet in docendo, atque in cogitando, ut ſcilicet à natioribus ad minus cognita ſemper procedatur: illud tamen intereſt. quod contemplanti multa ſæpe ſunt percurrenda, quæ ad rem non faciunt: mul-

tæ

tæ tentandæ diviſiones quæ nullam afferent utilitatem: quia ſcilicet lateant perſæpe inter inutilia, quæ ſcire operæ pretium ſit, quæ ut poſſit perſpicere, neceſſe habet omnem (ut dicitur) lapidem movere: perinde ac ſiquis amicos aliquos perquitere per eam civitatem neceſſe haberet, in qua diu quidem eſſet verſatus, attamen ignoraret, quibus in vicis amici habitarent. Is enim ab una parte inciperet, omnemque ordine civitatem peragraret, nullumque vicum aut angiportum præteriret, donec in ipſos incidiſſet. At qui docet, ea, quæ ad rem non faciunt, aut opera ſua non indigent, prætermittit. plerumque enim ſatis per ſe nota ſunt, vel quæ ad finem, vel quæ ad formam, vel quæ ad materiam, vel quæ ad efficientes cauſſas pertinent, ideoque explicatione ulla non indigent. Et in cauſſis efficientibus vel ejus tantummodo faciet mentionem, in qua principium ſit motus: vel non niſi inſtrumentorum: vel indicabit duntaxat quomodo ipſæ cauſſæ operentur, & in ſumma ea tantum perſequetur, quæ luce indigere videantur. Hic autem ei conferri poſſet qui & verſatus quidem eſſet in civitate & notas haberet amicorum habitationes, qui quidem non hac atque illac diſcurreret, quinimo

mo recta ad cujuſque domum tenderet.

Rurſus qui contemplatur facta diviſione aliqua, turius quidem faciet, ſi ſingillatim perſpiciat, quid cuique parti conveniat, id quod ſupra admonuimus. At qui docet, magnam evitabit prolixitatem, faſtidiumque, ſi primum aperuerit quid communiter omnibus conveniat: deinde vero quid proprie ſingulis, ne ſcilicet in eadem ſæpe incidat. quanquam aliquando difficile inveniri verba poſſunt, quibus illud explices, quod communiter omnibus conveniat, neceſſeq; eſt tunc idem ſæpius repetere, ſingillatimque omnia perſequi.

Adhæc qui contemplatur, facta diviſione aliqua, perſpicere non facile poterit, à cujus potiſſimum partis conſideratione incipiendum ſit. Rationem enim, quare, huic illa debeat præcedere, non prius intelligit, quam quæ pertineant ad utramque perſpexerit. Qui vero docet, cum id eum non lateat, aliquod debet in hoc diſcrimen tenere.

Primum enim ut quidque intellectum aliis poterit rebus lucem afferre, cum ipſum interim nullius rei declaratione indigeat, ita prius erit explicandum.

Alias autem præferetur pars dignior, aut ut utilior, aut quæ prior ſit tempore, aut alia qualibet ratione.

Po-

Poſtremo qui contemplatur ſemper à magis perſpicuis ad minus nota procedat neceſſe eſt. Qui vero docet contrarium ſequi ordinem utcunque poteſt: ita ſcilicet, ut quæ à finis notione reſolutionis ordine inventa fuerint, compoſitivo, qui eſt à cauſſis ad finem, ipſe explicet. Atque ita faciendum eſſe docet Galenus, & qui illum ſequuti ſunt. nec defuerunt magni nominis viri, qui cenſuerint reſolvendi illo ordine vix tradi artes poſſe? & ideo componendi viam longe ad id commodiorem eſſe: à qua ego ſententia longiſſime abſum. Certo enim certius eſt, diſcere aliquem, quod ignorat, neque ſponte poſſe, neque à Doctore, niſi ex notioribus: id quod recte docuit Ariſtoteles, & quotidie certiſſima comprobatur experientia. Siquidem igitur finis notior eſt iis, quæ ad finem ſpectant, docenti profecto non minus, quam contemplanti à finis erit notione incipiendum tanquam à notiore: & in eo terminandum, tanquam præ omnibus ignoto, quod ſit à fine remotiſſimum. Neque enim ſatis eſt, ſi quæ reſolutionis ordine inventa ſunt, contrario facilius tradi ordine poſſint. Sed illud videndum eſt, poſſint ne ita tradi, facilius etiam intelligi ut queant, quam ſi eodem explicarentur ordine, quo & inventa ſunt. quod

cum contingere nequaquam poſſit, minimè probandi ſunt doctores illi, qui ſuam tantum quærunt in docendo commoditatem: neque id agunt, ut quam maximo cum fructu doceant. quanquam etiamſi ad ſolam doctorum commoditatem ſpectes, non video quamobrem majorem dicant eſſe in compoſitiva methodo facilitatem, atque in reſolutivo. mihi certe quotieſcunque vel ſcripſi aliquid, vel meditatus ſum, etiam ſi res fuerunt longe diſſimilis argumenti, contrarium tamen ſemper contigit: ita ut cogat credere, qui illud aſſerunt, vel nunquam expertos eſſe, quid in utraque ex hiſce contrariis methodis in ſit commodi: vel certe reſolutivæ methodi rationem non ſatis eſſe aſſequutos. Eſt igitur non minus docentibus, quam contemplantibus commune præceptum hoc, ut ſemper à notioribus ad minus nota proficiſcantur: ſed illud palam eſt multa poſſe occurrere quæ ſi univerſe enunties, vel abſque ulla inductiones facile intelligent omnes vera eſſe: tametſi non omnes item enuntiare ſponte potuiſſent, ut ſi dicas in regno recte adminiſtrando ad optimum Reip. ſtatum omnia eſſe dirigenda, nemo non agnoſcet ita fieri oportere. At ſi interroges quemnam ad finem dirigenda ſit omnis recta re-

gni

gni adminiſtratio, non ita cuilibet in promptu erit, quid reſpondeat. Quo fit ut qui docet multa poſſit univerſe proferre, quæ qui ſuo marte inveſtigare illa vellent neceſſe haberent prius in ſingularibus aliquot intueri, atque inde ad rei uuiverſæ notionem, quaſi reminiſcendo, perduci: neque ob id tamen non ex notioribus docere dicendus ſit.

Cæterum ſi reſolutiva methodo tractandum thema aliquod ſuſceperis, haud equidem religiosè adeo ſervandam eam eſſe ad extremum uſque putaverim, ut ſicubi protuleris aliquid, tanquam rei cujuſpiam cauſſam, cujus & alii præterea ſint effectus, non eos liceat re cenſere. Nam & pertinet aliquando ad rerum confirmationem, & ſæpe ſunt ejuſmodi, ut opportuniorem in univerſo tractatu locum non habeant, ubi explicentur.

Illud quoque non ineleganter fieri aliquando poſſe animàdverti, ut ubi diffuſe à fine ad cauſas fueris, & principia evagatus, ſummatim demum à principiis ad finem perorando revertaris. quod poteſt & aliqua tantum in parte plerunq; obſervari.

Galenus tertiam addidit methodum, quam diviſionem appellare poſſumus, quæ quidem ejuſmodi eſt, ut definienda primum ſit ars, vel ſcientia, de qua agi-

tur, mox dividenda quædam in capita, quæ & ipſa in alias ſcindenda erunt partes, illæque plærumque in alias, explicandumque tandem eſt, quid quæque pars ſit quidve ſingulis accidat. neque habetur ulla ratio ejus ordinis, qui eſt à fine ad cauſſas, vel ejus, qui eſt à cauſſis ad finem, ſed ejus tantummodo, qui eſt à toto ad partes. & totum hic intelligitur ipſa ars, ſeu ſcientia integra. Conſtatque hæc methodus tantummodo definiendi ac dividendi preceptis, quæ ſupra jam expoſuimus. Eam autem quam breviſſime Cicero in perſona Craſſi lib. I. de Orat. complexus eſſe videtur hiſce verbis: *Si enim* (inquit) *aut mihi facere licuerit, quod jamdiu cogito, aut alius quiſpiam aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat: tum propriam cujuſque vim definitione declaret: perfectam artem juris ciuilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficile & obſcuram.* Hæc quidem Cicero Verum ut conſtitutam jam artem hac methodo ſcribi poſſe non dubito: ita minime crediderim commodam eam eſſe ad conſtituendam artem, quæ inventa nondum eſſet non enim ubique ordinem ſervat à notioribus ad minus cognita, quem oſtendimus in-

inveſtigantibus omnino eſſe neceſſarium. Et ſi quando in eum ordinem incidit, atque eandem etiam ob cauſam, ne in docendo quidem probanda erit ullo modo. Quamobrem cum ea unâ uſi ſint omnes fere qui hactenus methodici eſſe voluerunt, ſtudioſorum utilitati non optimè ab iis conſultum eſſe facile agnoſcet, quiſquis aliquando reſolutivæ methodi perſpicuitatem, quæ profecto maxima eſt, expertus fuerit. Et Galenus aperte dicit tertiam hanc methodum ad compendium tantum, & memoriam commodam eſſe. Atqui ne compendii quidem aut memoriæ gratia magnopere deſiderandam eam eſſe dixerim, quum nihil impediat & in reſolutiva methodo, ſi confirmationes confutationeſque omiſeris, quam breviſſimum eſſe. Ad memoriam autem quæ methodus ea eſſe aptior poteſt, quæ & intelligentiæ quam optime ſerviat? nihil. n. æquæ memoriam adjuvat, quam ſi rem optime intelligas.

XVII. Cæterum illud quoque memoriæ opem feret, ſi diſpoſitione initio uſus fueris, indicando quid primum, quid poſtea dicturus ſis: item ſi ubi oportunum fuerit, tranſitiones interpoſueris, oſtendendo quæ abſolveris, quæve ſubſequantur: & poſtremo ſi eorum quæ pertracta-

veris capita perorando breviter recenſueris.

Quandoquidem autem docere nemo poterit niſi oratione, tanquam iuſtrumento, adhibita, ſciendum eſt eam quoque talem eſſe oportere, quæ quam facillime animi ſenſa exprimat. & ejuſmodi quidem erit, ſi ubique ſervetur & ſermonis proprietas, & verborum plana minimeque perplexa compoſitio.

Hæc habuimus præcepta, quæ trademus de methodo. Quod ſupereſt, vos etiam atque etiam hortamur ſtudioſi, ut iterata primum ſæpius lectione, deinde aſſidua exercitatione vobis quam Familiariſſima ea reddete conemini. Cumque reſolutio à finis notione, tam in docendo quam in contemplando, aliam quamlibet methodum utilitate facile antecedat, in ejus potiſſimum exercitatione, ut die noctuque verſemini, vos non modo hortamur, verum etiam rogamus, atque obteſtamur. Incipiet autem exercitatio à facillimis quibuſque argumentis, qualia ſcilicet illa erunt omnia, quæ in quotidiano omnium ſermone frequenter incidunt: ubi autem in ſimilibus aliquamdiu vos exercueritis, tum aggredi etiam difficiliora poteritis. Offerent enim ſe argumenta à veteribus ſine methodo per tractata, quæ

vos

vos redigere in methodum poteritis. & quæ compoſitivo aut definitivo perſcripta ordine fuerint, tentabitis vos, poſſintne commodius reſolutivo.

Exercitationis porro ea erit ratio, ut perpendatis quid conſiderari, aut dici primo loco debeat, quid altero, quid tertio, & ſic deinceps uſque ad finem juxta præcepta à nobis tradita, animadvertendumque paſsim erit, ne ubi rerum copia, quam temere per ſe naturalis forte ingenii fœcunditas ſuggeret, à recto vos curriculo abducat. Ideoque vosmet à vobis ſæpe poſcetis rationem, quo quidque loco fieri debuerit, quidve factum ſit. Itaque ad normam ſingula exigetis, ut ubique vobis exquiſita methodi ratio conſtet. quem laborem (alioqui etiam jucundiſsimum) ſi unicum annum ſuſtinueritis, diſpeream ni agnoſcetis alios effectos vos eſſe homines, ac incipere tum demum oculos habere.

Quandoquidem autem vix intelligi artium uſus poteſt, ſine exemplis, earum præſertim quæ ſunt difficiles, hic, ſcio, expectabitis vobis ut indicem apud quoſnam potiſsimum authores, inventuri ſitis diligenter ſervatam, quam ego requiro methodum. qua in re haud equidem poſſum vobis ſatisfacere quippe cum hujus gene-

ris ſcriptum ullum videre mihi adhuc non contigerit, & facile nullum extare mihi perſuadeam. Quanquam enim libellum de conſtitutione artis medicæ reliquit Galenus, in quo reſolutionis ordinem ſequutus videtur: multis tamen in locis ſummam quandam ingenii vim miramur potius, quam perpetuum illud, ac nuſquam abruptum, quod nos exigimus, filum agnoſcimus. Sed cum plura ſint quæ ad conſtituendam ejuſmodi methodum requiruntur: nempe definitiones adhibeas, diſperſas res ac diſſipatas in unum colligas, universa partiaris, ac dividas, proximas cauſas, proximoſque effectus & intuearis & indices, quanquam quomodo hæc omnia recto ordine conjungi debeant, ex una aliqua tractatione cognoſcere non liceat, ſingulorum tamen infinita propemodum occurrent exempla, ſi quis & Platonica & Ariſtotelea aſſiduo diligentique ſtudio perlegerit: quorum quidem obſervatio magno erit ad exercitationem adjumento. Ubi autem in ſingulis exercitatus aliquis fuerit, adhibitis deinde præceptis noſtris haud erit difficile apte omnia, prout res quæque poſtulabit, conjungere, integramque thematis cujuſque methodum conſtituere.

Atque ut nos nihil prætermittamus, quo

quo prodeſſe vobis poſſe videamur, dabimus operam, ut aliquando habeatis artes nonnullas à nobis hac ipſa methodo perſcriptas. expectate autem propediem & alteram Logicæ partem, quæ pertinet ad quæſtiones: interim erit vobis ſpecimen aliquod hic ipſe libellus, quando minime committendum putavimus, ut quo in ſcripto de methodo ageremus, quam methodum maxime probaremus in eo, illa ipſa deſiderari jure poſſet.

Redditur hic ratio hoc libello Methodi, notatis per numeros in margine locis, & ubi quidque fiat, & ubi ita fieri debere doceatur.

PRimum * ex Logicæ diviſione, methodi definitionem inveſtigavimus, & Logicam partiti ſumus ſumptis à fine differentiis, quod ita membra diverſitas requirerent cauſſas, diverſaque præcepta.

† Poſt definitionem ſubjecimus finem methodi extremum.

‡ Qui eſt rei alicujus cognitio. Hic finem partiti ſumus reſpectu ejus, qui contemplatur, & ejus qui docet quandoqui-

* *Numero 1. quomodo faciendum docemus à n. 10. ad nu. 18.* † *Iuxta id quod dicitur num. 12.* ‡ *ut videre eſt, n. 17. quod requirimus d. n. 15.*

dem is qui docet, propriis quibuſdam indiget præceptis.

Mox finis quandam quaſi formam delineavimus ipſius methodi, oſtendentes quot & quibus rebus conſtet integra rei cujuſlibet cognitio.

[a] Ubi quidem obſervandum eſt, quod formam deſcripſimus (ſi verborum corticem ſpectes,) non methodi, ſed ipſius methodi finis, quod faciendum in artibus docuimus.

[b] Qui enim de methodo agit, is de methodi fine agere cenſendus eſt. Idemque fecimus circa alias quoque cauſſas, nempe materiam & efficientes. Sed materiam dupliciter conſideravimus.

[c] Ut alia ſit rerum quarum haberi talis cognitio poſſit, qualem diximus methodi finem eſſe: alia ſit ſubjectum in quod ipſa cadit cognitio.

[d] Hinc [e] accedimus ad cauſſas efficientes illius cognitionis, quæ methodi eſt finis. Cumque illius cognitionis plures eſſe partes in ejus deſcriptione oſtenderimus.

[f] Indicamus etiam quæ ſint cujuſque partis efficientes cauſſæ.

[g] Quoniamque inter efficientes cauſſas enu-

[a] *à n. 4. ad n. 7.* [b] *n. 3.* [c] *n. 7. & 8.* [d] *de hoc nu. 6.* [e] *à nu. 9.* [f] *à num. 4. ad nu. 7.* [g] *à n. 1. ad 16.*

enumeratæ ſunt definitio & diviſio, utriuſque quandam etiam conſtituimus methodum.

De definitione diximus.

[h] Quid & quotuplex ſit, quis ejus ſit finis (dum quod ejus ſit officium indicamus) quæ ſit materia, hoc eſt ex quibus conſtare eam oporteat, & quæ definiri poſſint, idemque fecimus de diviſione.

[i] Ubi exequuti ſumus quæ communia erant & cogitantium & docentium adjecimus etiam, quæ tantum ad docendi ſpectant rationem.

[k] Utque memoriæ ſatis fieret, ſub initium propoſuimus quo quidque loco dicturi eſſemus, nonnullaſque tranſitiones ubi opportunam viſum eſt interpoſuimus [l].

[h] *n.* 10. [i] *nu.* 14. *& ita faciendum eſſe dicemus.* *n.* 13. [k] *à n.* 16. [l] *ut docemus n.* 18.

LUDO-

LUDOVICI CROCII D. INSTRUCTIO, DE RATIONE STUDII THEOLOGICI.

Caput I.

DE SCOPO.

Aphoriſmus I.

IDeam *Theologiæ methodicæ, cujus adminiculo ſalutaria fidei dogmata explicantur, confirmantur, defenduntur, animo ſuo comprehenſurus, & ſecundum eam Deo feliciter operaturus, ante omnia ſuum ſibi* ſcopum *ſanctè præſtituat & intendat*, impedimenta *fortiter tollat*, media *prudenter eligat & adhibeat*, effecta *denique hujus divini ſtudii calidè deſideret, ut animus à terrenis ad hoc veluti alis ſubvectus elevetur.*

Scholion.

Quemadmodum enim viator, iter ingreſſurus, principiò de certa meta cogitat, deinde vero declinatis aviis & remotis impedimentis; ad eam media itineraria ordi-

dinat ac dirigit: ita & Theologiæ noſtræ, quæ viatorum eſt, ſtudioſus ſic ſibi currendum ducat, ut in ſcopum, metamque ſibi præfixam perpetuò proſpiciat, &, ſublatis obſtaculis atque impedimentis, media ad eam rectâ & ſine errore atque periculo ducentia circumſpectè eligat, & uſurpet.

II. SCOPUS *ſiue finis Theologiæ ſtudioſi eſt* objectivus, *aut* formalis. *Illa eſt* generalis, *qui omnibus Theologiæ ſtudioſis communiter debet eſſe propoſitus, nempe DEVS, &, quem miſit*, JESUS CHRISTUS *rectè cognoſcendus, riteque colendus. Hic verò eſt* ſpecialis, *quem hic vel ille Theologiæ ſtudioſus potiſſimum ſpectat, nempe, ſervire* DEO *ad ædificationem vel juventutis* in ſchola, *vel adultiorum* in eccleſiâ, *vel ovium agnorumque* utrobique *ſimul.*

Principiò, ſolus Deus, abdicatis & omiſſis omnium aliarum rerum inordinatis affectibus, ſummè intendendus & conſectandus eſt, ut hunc noveris & diligas ſupra omnia, cætera verò in ordine ad ipſum. *Matth.* 6. 33. 17. 5. *Ioh.* 14. 15. 21. 23. *Col.* 3. 16. 1 *Tim.* 4. 13. 2 *Tim.* 3. 15. 1 *Cor.* 10. *v.* 31. & *Eph.* 3. *v.* 18. 20. 21. Ad quem *ſummum* finem accedit *alter*, ut inſtruamur *neceſſariâ rerum cognitione*, quæ facit ad intelligendam & dexterè explicandam doctrinam cœleſtem, & guber-

nan-

nandam partem regni Chriſti:& *tertius*, ut in communi vitæ Chriſtianæ curriculo *mores* regamus, cupiditates & affectus noſtros frenemus, ut publicis aliquando muneribus adhibiti, ipſi tolerari ab aliis, aliorumque nos viciſſim infirmitates ferre poſſimus, noſtroque exemplo, Chriſtianis virtutibus, modeſtiâ, fide, ſpe, charitate, manſuetudine, humanitate, beneficentiâ, gratitudine, juſtitiâ, candore, moderatoque linguæ uſu, aliis facem præferamus *ad pium & bonum publicum*. Qui fines crebrò ſerioque cogitati ſuâ dignitate excitant diſcentes, & ſpe ingentium præmiorum urgent ad præſtandam diligentiam & vincendum difficultates, cum quibus divinum hoc ſtudium conjungitur. Qui verò hos fines ſupinè prætereunt aut protervè rejiciunt & hoc ſtudium aliò transferunt, illudque faciunt vel inſtrumentum voluptatis & nequitiæ, vel dominatûs, vel divitiarum & honorum, hi rem ſanctiſſimam nefariè profanant & à Chriſtiana ſapientiâ abſunt quàm longiſsimè. Videſis Eraſmus Rotterodamum, decus illud Belgicum, methodo compendiò perveniendi ad veram Theologiam, §. *Illud meâ ſententia magis ad rem pertinet*, &c. Et præclarè in Enchridio militis Chriſtiani, canone 4. Deinde, Deo ſervire ſtudioſus Theologiæ po-

poteſt aut in Eccleſia, aut in ſchola, aut, pro donorum menſurâ, utrobique: & velle quidem debet. Cùm enim alii ſint paſtores in Eccleſia, alii doctores in ſchola; *Eph.*4.*v.*11. neceſſe eſt, ut ſtudioſus Theologiæ prudenter cogitet, maturè delibe-ret, & ſanctè præſtituat, an aliquando in Eccleſiâ, an in ſcholâ, an in utraque DEO ſe vocanti ſervire velit: quia non eſt eadem per omnia utrobique docendi ratio, ac perinde etiam alia atque alia dona & doctrinæ inſtrumenta in docente requiruntur. [redacted] *fol.* 475.

CAPUT II.
DE IMPEDIMENTIS.

QVi hunc ſibi ſcopum in ſtudio Theologiæ ſanctè præſtituit, is impedimenta fortiter tollat, divinâ fretus gratia: qualia ferè ſunt, IMPIETAS, SOCORDIA, CONFUSIO.

Principiò obſtat quidem nonnullis, *ex parte rei tractandæ*, difficultas: Sed hæc non eſt tanta, quin eam ſuperare poſſint, qui operæ & labori non pepercerint, præſertim quibus ab ineunte ætate rectâ inſtitutione frui contigerit, ſi modò ex conſilio præceptorum legitima ſtudiorū ratio ineatur,

eatur, ut rectè arbitratur doctiſſimus D. *Georgius Calixtus*, Profeſſor Theologus Helmſtadienſis, præfatione in Epitomen Theologiæ. Secundò obſtat nonnullis, *ex parte modi*, quo res tractatur, vel prolixitudo, vel nimiâ brevitas; de quâ vide eximium Theologum Lucam Trelcatium F. epiſtolâ dedicatoriâ ſcholaſticæ & methodicæ locorum communium SS. Theologiæ inſtitutionis conquerentem, ac remedium oſtendentem. Tertiò obſtat multis *ex parte inſtrumentorum*, quibus res tractanda eſt, inopia multiplex. Nam multorum.

—— *Virtutibus obſtat*
Res anguſta domi.

Videſis Johannem Brentium *in Poſtillâ, concione de dedicatione templi*, von der Kirch-weihung. Et D. Andream Keſlerum *prudentiæ Chriſtianæ parte* 1. *c.* 1. *punct.* 1. *num.* 1. *&* 6. *de ingratitudine Magiſtratuum erga miniſterium*: Et *punct.* 3. *num.* 1. *& ſeqq. de ingratitudine patrumfamiliâs erga miniſterium.* Quartò denique obſtant his multò periculoſiùs *ex parte diſcentium*, quæ hoc aphoriſmo tollenda ſuadeo.

II. Impietas *eſt in neglectu precum, & vitâ malâ.*

Graviſſimum hac de re teſtimonium eſt ipſius Sapientiæ, *cap.* 1. *v.* 4. 5. 6. Hoſ. 4.

v. 11. Hinc Apoſtolus Jacobus 1. 5. 6. *Quod ſi cui veſtrûm deeſt ſapientia ; poſtulet à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat : & dabitur ei. Sed poſtulet cum fide, nihil diſceptam : nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctus qui ventis agitatur & jactatur.* Quam verò ſapientiam ? Non terrenam, infernam & ſecularem : ſed ſupernam, ſed divinam, cap. 3. 17. *Quæ autem supernè eſt ſapientia, primum quidem pura eſt ; deinde pacifica, moderata, obſequens, plena miſericordia & fructuum bonorum abſque diſceptatione, ſine ſimulatione.* Et Servator noſter diſertim ait : Joh. 7. 17. *Si quis voluerit ejus* (patris mei) *voluntatem exſequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* Exemplum vide *Syrach.* 51. 18. 19. & *ſ.* Ex adverſo eſt impietas *Ioh.* 3. 19. & 8. 44. 47. Hac propter Paulus Titum ſuum vult eſſe inculpatum, *cap.* 1. *v.* 8. Tametſi enim, ut rectè notat doctiſſimus Alſtedius *compend. Theolog. part.* 1. *c.* 4. impii quidam homines egregiè videntur callere τὰ θεολογέμενα : reverâ tamen illa cognitio rerum Theologicarum eſt ἀθεόλογος : quia fieri non poteſt, ut cognitio verè Theologica habitet in corde non Theologo. Quamvis enim talem vim magneticam non habeamus naturaliter inſitam, quâ mens noſtrâ ſcripturam ſacram,

ejuſ-

ejuſq;naturam penetret;ea tamen vis divinitus inditur omnibus iis, quibus ad hoc commercium corda regenerantur. Eſt autem ſtudioſis Theologiæ in Academiis cautè diſpiciendum, quibuſcum familiariter vivant. E bonis ſibi ſodales quærant, qui ejuſdem ſint conditionis, aut non multò ſuperiores, quique eiſdem literis operentur, etſi pluſculum profecerint. Sic enim habebunt quos ſequantur, quos imitentur. Horum enim ut plurimum ſimiles evadimus, quibuſcum quotidie verſamur, juxta illud vetus:

Ἀγαθοῖς ὁμιλῶν ἐκβήσῃ ἀγαθός.
Κακοῖς ὁμιλῶν ἐκβήσῃ κακός.
Qui cum bonis eſt, fit bonus.
Qui cum malis eſt, fit malus.

3. SOCORDIA *eſt, qua vel non diſcimus neceſſaria; vel, ſi diſcimus, oſcitanter & perfunctoriè.*

Hoc curioſitatis, illud ignaviæ ferme eſt. Vide *Prov.* 22. *v* 29. 1 *Pet.* 4. *v.* 15. & 2 *Theſſ.* 3. *v.* 7. 8. 11.

4. CONFUSIO *eſt varia.* 1. *diverſorum ſtudiorum.* 2. *diverſarum cujuſque ſtudii partium.* 3. *diverſorum librorum* 4. *denique temporum.*

Nam 1. Quidam ſtudium Theologicum cum philologico & philoſophico perperam confundunt, cùm à ſtudio philoſophico

co viâ ordinariâ, hodiéque uſitatâ inchoandum, inde ad philologicum pergendum, in Theologico demum perſiſtendum. 2. Quidam partes cujuſque ſtudii conturbant ſic, ut in diſputationes & declamationes ſeſe immergant, priuſquam in philoſophiâ apprehenderint principia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας, ſingularumque diſciplinarum, quæ vel res tradunt docendas ac diſcẽdas, vel modum docendi ac diſcendi: in philologia ad *hiſtoricam* & omne genus claſſicorum autorum feſtinent, priuſquam *technicam* attigerint, nedum devorârint: in Theologiâ verò quam plurimi in *polemica* & *panegyrica* ſe præcipitent, antequam vel *Catechetica*, quibus pura & in Eccleſia, cujus membra ſumus & in qua degimus, certa miniméque controverſa veritas continetur, ex ipſiſſimis ſcripturæ textibus & ſymbolo Apoſtolorum imbiberint; vel ideam locorum communium, quâ univerſum Theologiæ corpus è ſacra ſcriptura delineatur, comprehenderint, ipſaſque imprimis ſacras literas perlegerint, in quibus tamen cum Timotheo permanendum eſt, 1 *Tim.* 4. 13. 14. 15. 16. & 2 *Tim.* 3. 14. 15. 16. 17. 3. Quidam judicii quadam ἀπειρίᾳ bonorum autorum delectum inſuper habent, ut ex vero dicas de pleriſque ſi modo in illorum bibliothecas

te

ris ſcriptum ullum videre mihi adhuc non contigerit, & facile nullum extare mihi perſuadeam. Quanquam enim libellum de conſtitutione artis medicæ reliquit Galenus, in quo reſolutionis ordinem ſequutus videtur: multis tamen in locis ſummam quandam ingenii vim miramur potius, quam perpetuum illud, ac nuſquam abruptum, quod nos exigimus, filum agnoſcimus. Sed cum plura ſint quæ ad conſtituendam ejuſmodi methodum requiruntur: nempe definitiones adhibeas, diſperſas res ac diſſipatas in unum colligas, univerſa partiaris, ac dividas, proximas cauſas, proximoſque effectus & intuearis & indices, quanquam quomodo hæc omnia recto ordine conjungi debeant, ex una aliqua tractatione cognoſcere non liceat, ſingulorum tamen infinita propemodum occurrent exempla, ſi quis & Platonica & Ariſtotelea aſſiduo diligentique ſtudio perlegerit: quorum quidem obſervatio magno erit ad exercitationem adjumento. Ubi autem in ſingulis exercitatus aliquis fuerit, adhibitis deinde præceptis noſtris haud erit difficile apte omnia, prout res quæque poſtulabit, conjungere, integramque thematis cujuſque methodum conſtituere.

Atque ut nos nihil prætermittamus, quo

quo prodeſſe vobis poſſe videamur, dabimus operam, ut aliquando habeatis artes nonnullas à nobis hac ipſa methodo perſcriptas. expectate autem propediem & alteram Logicæ partem, quæ pertinet ad quæſtiones: interim erit vobis ſpecimen aliquod hic ipſe libellus, quando minime committendum putavimus, ut quo in ſcripto de methodo ageremus, quam methodum maxime probaremus in eo, illa ipſa deſiderari jure poſſet.

Redditur hic ratio hoc libello Methodi, notatis per numeros in margine locis, & ubi quidque fiat, & ubi ita fieri debere doceatur.

PRimum * ex Logicæ diviſione, methodi definitionem inveſtigavimus, & Logicam partiti ſumus ſumptis à fine differentiis, quod ita membra diverſitas requirerent cauſſas, diverſaque præcepta.

† Poſt definitionem ſubjecimus finem methodi extremum.

‡ Qui eſt rei alicujus cognitio. Hic finem partiti ſumus reſpectu ejus, qui contemplatur, & ejus qui docet quandoqui-

* *Numero 1. quomodo faciendum docemus à n. 10. ad nu. 18.* † *Iuxta id quod dicitur num. 12.* ‡ *ut videre eſt, n. 17. quod requirimus d. n. 15.*

dem is qui docet, propriis quibuſdam indiget præceptis.

Mox finis quandam quaſi formam delineavimus ipſius methodi, oſtendentes quot & quibus rebus conſtet integra rei cujuſlibet cognitio.

[a] Ubi quidem obſervandum eſt, quod formam deſcripſimus (ſi verborum corticem ſpectes,) non methodi, ſed ipſius methodi finis, quod faciendum in artibus docuimus.

[b] Qui enim de methodo agit, is de methodi fine agere cenſendus eſt. Idemque fecimus circa alias quoque cauſſas, nempe materiam & efficientes. Sed materiam dupliciter conſideravimus.

[c] Ut alia ſit rerum quarum haberi talis cognitio poſſit, qualem diximus methodi finem eſſe: alia ſit ſubjectum in quod ipſa cadit cognitio.

[d] Hinc [e] accedimus ad cauſſas efficientes illius cognitionis, quæ methodi eſt finis. Cumque illius cognitionis plures eſſe partes in ejus deſcriptione oſtenderimus.

[f] Indicamus etiam quæ ſint cujuſque partis efficientes cauſſæ.

[g] Quoniamque inter efficientes cauſſas enu-

[a] à n. 4. ad n. 7. [b] n. 3. [c] n. 7. & 8. [d] de hoc nu. 6. [e] à nu. 9. [f] à num. 4. ad nu. 7. [g] à n. 1. ad 16.

enumeratæ ſunt definitio & diviſio, utriuſque quandam etiam conſtituimus methodum.

De definitione diximus.

[h] Quid & quotuplex ſit, quis ejus ſit finis (dum quod ejus ſit officium indicamus) quæ ſit materia, hoc eſt ex quibus conſtare eam oporteat, & quæ definiri poſſint, idemque fecimus de diviſione.

[i] Ubi exequuti ſumus quæ communia erant & cogitantium & docentium adjecimus etiam, quæ tantum ad docendi ſpectant rationem.

[k] Utque memoriæ ſatis fieret, ſub initium propoſuimus quo quidque loco dicturi eſſemus, nonnullaſque tranſitiones ubi opportunam viſum eſt interpoſuimus [l].

[h] *n.* 10. [i] *nu.* 14. *& ita faciendum eſſe dicemus. n.* 13. [k] *à n.* 16. [l] *ut docemus n.* 18.

LUDO-

LUDOVICI CROCII D. INSTRUCTIO, DE RATIONE STUDII THEOLOGICI.

Caput I.

DE SCOPO.

Aphoriſmus I.

IDeam *Theologiæ methodicæ, cujus adminiculo ſalutaria fidei dogmata explicantur, confirmantur, defenduntur, animo ſuo comprehenſurus, & ſecundum eam Deo feliciter operaturus, ante omnia ſuum ſibi* ſcopum *ſanctè præſtituat & intendat,* impedimenta *fortiter tollat,* media *prudenter eligat & adhibeat,* effecta *denique hujus divini ſtudii calidè deſideret, ut animus à terrenis ad hoc veluti aliis ſubvectus elevetur.*

Scholion.

Quemadmodum enim viator, iter ingreſſurus, principiò de certa meta cogitat, deinde vero declinatis aviis & remotis impedimentis; ad eam media itineraria ordi-

dinat ac dirigit: ita & Theologiæ noſtræ, quæ viatorum eſt, ſtudioſus ſic ſibi currendum ducat, ut in ſcopum, metamque ſibi præfixam perpetuò proſpiciat, &, ſublatis obſtaculis atque impedimentis, media ad eam rectâ & ſine errore atque periculo ducentia circumſpectè eligat, & uſurpet.

II. SCOPUS *ſiue finis Theologiæ ſtudioſi eſt* objectivus, *aut* formalis. *Illa eſt* generalis, *qui omnibus Theologiæ ſtudioſis communiter debet eſſe propoſitus, nempe DEUS, &, quem miſit*, JESUS CHRISTUS *rectè cognoſcendus, riteque colendus. Hic verò eſt* ſpecialis, *quem hic vel ille Theologiæ ſtudioſus potiſſimum ſpectat, nempe, ſervire* DEO *ad ædificationem vel juventutis* in ſchola, *vel adultiorum* in eccleſiâ, *vel ovium agnorumque* utrobique *ſimul.*

Principiò, ſolus Deus, abdicatis & omiſſis omnium aliarum rerum inordinatis affectibus, ſummè intendendus & conſectandus eſt, ut hunc noveris & diligas ſupra omnia, cætera verò in ordine ad ipſum. *Matth.* 6. 33. 17. 5. *Ioh.* 14. 15. 21. 23. *Col.* 3. 16. 1 *Tim.* 4. 13. 2 *Tim.* 3. 15. 1 *Cor.* 10. *v.* 31. & *Eph.* 3. *v.* 18. 20. 21. Ad quem *ſummum* finem accedit *alter*, ut inſtruamur *neceſſariâ rerum cognitione*, quæ facit ad intelligendam & dexterè explicandam doctrinam cœleſtem, & guber-

nan-

nandam partem regni Chriſti;& *tertius*, ut in communi vitæ Chriſtianæ curriculo *mores* regamus, cupiditates & affectus noſtros frenemus, ut publicis aliquando muneribus adhibiri, ipſi tolerari ab aliis, aliorumque nos viciſſim infirmitates ferre poſſimus, noſtroque exemplo, Chriſtianis virtutibus, modeſtiâ, fide, ſpe, charitate, manſuetudine, humanitate, beneficentiâ, gratitudine, juſtitiâ, candore, moderatoque linguæ uſu, aliis facem præferamus *ad pium & bonum publicum*. Qui fines crebrò ſerioque cogitati ſuâ dignitate excitant diſcentes, & ſpe ingentium præmiorum urgent ad præſtandam diligentiam & vincendum difficultates, cum quibus divinum hoc ſtudium conjungitur. Qui verò hos fines ſupinè prætereunt aut protervè rejiciunt & hoc ſtudium aliò transferunt, illudque faciunt vel inſtrumentum voluptatis & nequitiæ, vel dominatûs, vel divitiarum & honorum, hi rem ſanctiſſimam nefariè profanant & à Chriſtiana ſapientiâ abſunt quàm longiſsimè. Videſis Eraſmus Rotterodamum, decus illud Belgicum, methodo compendiò perveniendi ad veram Theologiam, §. *Illud meâ ſententia magis ad rem pertinet*, &c. Et præclarè in Enchridio militis Chriſtiani, canone 4. Deinde, Deo ſervire ſtudioſus Theologiæ

po-

poteſt aut in Eccleſia, aut in ſchola, aut, pro donorum menſurâ, utrobique: & velle quidem debet. Cùm enim alii ſint paſtores in Eccleſia, alii doctores in ſchola; *Eph*. 4. *v*. 11. neceſſe eſt, ut ſtudioſus Theologiæ prudenter cogitet, maturè deliberet, & ſanctè præſtituat, an aliquando in Eccleſiâ, an in ſcholâ, an in utraque DEO ſe vocanti ſervire velit: quia non eſt eadem per omnia utrobique docendi ratio, ac perinde etiam alia atque alia dona & doctrinæ inſtrumenta in docente requiruntur.

fol. 475.

CAPUT II.
DE IMPEDIMENTIS.

Qui hunc ſibi ſcopum in ſtudio Theologiæ ſanctè præſtituit, is impedimenta fortiter tollat, divinâ fretus gratia: qualia ferè ſunt, IMPIETAS, SOCORDIA, CONFUSIO.

Principiò obſtat quidem nonnullis, *ex parte rei tractandæ*, difficultas: Sed hæc non eſt tanta, quin eam ſuperare poſſint, qui operæ & labori non pepercerint, præſertim quibus ab ineunte ætate rectâ inſtitutione frui contigerit, ſi modò ex conſilio præceptorum legitima ſtudiorũ ratio ineatur,

eatur, ut rectè arbitratur doctiſſimus D. *Georgius Calixtus*, Profeſſor Theologus Helmſtadienſis, præfatione in Epitomen Theologiæ. Secundò obſtat nonnullis, *ex parte modi*, quo res tractatur, vel prolixitudo, vel nimiâ brevitas; de quâ vide eximium Theologum Lucam Trelcatium F. epiſtolâ dedicatoriâ ſcholaſticæ & methodicæ locorum communium SS. Theologiæ inſtitutionis conquerentem, ac remedium oſtendentem. Tertiò obſtat multis *ex parte inſtrumentorum*, quibus res tractanda eſt, inopia multiplex. Nam multorum.

——— *Virtutibus obſtat*
Res anguſta domi.

Videſis Johannem Brentium *in Poſtillâ, concione de dedicatione templi*, **von der Kirch-weihung.** Et D. Andream Keſlerum *prudentiæ Chriſtianæ parte* 1. *c.* 2. *punct.* 2. *num* 2. *&* 6. *de ingratitudine Magiſtratuum erga miniſterium*: Et *punct.* 3. *num.* 1. *& ſeqq. de ingratitudine patrumfamiliâs erga miniſterium.* Quartò denique obſtant his multò periculoſiùs *ex parte diſſentium*, quæ hoc aphoriſmo tollenda ſuadeo.

II. Impietas *eſt in neglectu precum, & vitâ malâ.*

Graviſſimum hac de re teſtimonium eſt ipſius Sapientiæ, *cap.* 1. *v.* 4. 5. 6. Hoſ. 4.
v. 11.

v. 11. Hinc Apoſtolus Jacobus 1. 5. 6. *Quod ſi cui veſtrûm deeſt ſapientia; poſtulet à Deo, qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei. Sed poſtulet cum fide, nihil diſceptam: nam qui diſceptat, ſimilis eſt fluctus qui ventis agitatur & jactatur.* Quam verò ſapientiam? Non terrenam, infernam & ſecularem: ſed supernam, ſed divinam, cap. 3. 17. *Quæ autem supernè eſt ſapientia, primum quidem pura eſt; deinde pacifica, moderata, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum bonorum abſque diſceptatione, ſine ſimulatione.* Et Servator noſter diſertim ait: Joh. 7. 17. *Si quis voluerit ejus* (patris mei) *voluntatem exſequi, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar.* Exemplum vide *Syrach.* 51. 18. 19. *& ſ.* Ex adverſo eſt impietas *Ioh.* 3. 19. & 8. 44. 47. Hac propter Paulus Titum ſuum vult eſſe inculpatum, *cap.* 1. *v.* 8. Tametſi enim, ut rectè notat doctiſſimus Alſtedius *compend. Theolog part.* 1. *c.* 4. impii quidam homines egregiè videntur callere τὰ θεολογούμενα: reverâ tamen illa cognitio rerum Theologicarum eſt ἀθεόλογος: quia fieri non poteſt, ut cognitio verè Theologica habitet in corde non Theologo. Quamvis enim talem vim magneticam non habeamus naturaliter inſitam, quâ mens noſtrâ ſcripturam ſacram, ejuſ-

co viâ ordinariâ, hodiéque uſitatâ inchoandum, inde ad philologicum pergendum, in Theologico demum perſiſtendum. 2. Quidam partes cujuſque ſtudii conturbant ſic, ut in diſputationes & declamationes ſeſe immergant, priuſquam in philoſophiâ apprehenderint principia τῆς ἐγκυκλοπαιδείας, ſingularumque diſciplinarum, quæ vel res tradunt docendas ac diſcẽdas, vel modum docendi ac diſcendi: in philologia ad *hiſtoricam* & omne genus claſſicorum autorum feſtinent, priuſquam *technicam* attigerint, nedum devorârint: in Theologiâ verò quam plurimi in *polemica* & *panegyrica* ſe præcipitent, antequam vel *Catechetica*, quibus pura & in Eccleſia, cujus membra ſumus & in qua degimus, certa miniméque controverſa veritas continetur, ex ipſiſſimis ſcripturæ textibus & ſymbolo Apoſtolorum imbiberint; vel ideam locorum communium, quâ univerſum Theologiæ corpus è ſacra ſcriptura delineatur, comprehenderint, ipſaſque imprimis ſacras literas perlegerint, in quibus tamen cum Timotheo permanendum eſt, 1 *Tim.* 4. 13. 14. 15. 16. *&* 2 *Tim.* 3. 14. 15. 16. 17. 3. Quidam judicii quadam ἀπειρίᾳ bonorum autorum delectum inſuper habent, ut ex vero dicas de pleriſque ſi modo in illorum bibliothecas

te

re ſamiliarius penetres; *Similes habent labra lactucas*. Et

Pro captu lectoris habent ſua fata libelli,
Hujus & affectu ſingula verba valent.

4. Quidam ſtudiorum ſacrorum curriculum non ſatis ad ætatem & conditionem ſuam aptant, ut ſingulis illorum partibus idoneum & ſufficiens tempus tribuant, captuſque, vocationis, & menſuræ, ſcientiæ, fideique ſuæ rationem habeant, juxta prudentiam Pauli 1 *Cor.* 3. 1. 2. 3. *Heb.* 5. 11. 12. 13. 14. & 6. 2. Verum enim verò optimum confuſionis antidotum eſt AMOR ORDINIS, qui in didactica ſacra ſequendus eſt, & hiſce regulis veluti tacticis ferè continetur.

5. *Regulæ tacticæ generales, ſecundùm quas in ſtudio Theologico ſine noxia confuſione proceditur, ſunt iſtæ.*

1. Poſtquam ad pædagogei ſive ſcholæ trivialis faſtigium deventum eſt, ante omnia diſcenti probè inculcetur *technologia* Theologica, ut totum finem ſibi propoſitum, totumque ambitum rerum diſcendarum animo ſuo comprehendat, ac veluti prægustet.

2. Analyſis principii, hoc eſt, ſacræ ſcripturæ iſagogica cognitio à teneris unguiculis inculcata præſupponatur, & per om-

omnem ætatem horis quibuſdam continuetur, atque augeatur.

3. Mens verò elevetur philoſophiæ & catecheticæ adminiculis, quæ eò uſque inculcentur in principio, ut deinceps παρέργου ad inſtar in ſtudii Theologici curſu comitentur.

4. Neque è veſtigio, ut primum veſtibulum Academiæ adſpexeris, ad *trium* ſuperiorum *facultatum*, quas vocant aliquam per ſaltum feſtines, ne cæcos parias catulos: ſed unde venias, & quid eruditionis tecum adferas, probè cogites, neque quæ in pædagogeo deguſtaviſti, ut vulgò perperam fit, abjicias, cum jactura operæ tot annorum, ſiquidem perpetua res, bene poſitæ.

5. E re fuerit, ſi cum precibus præmiſſa quotidie lectione Biblicâ, ſtudioſus certum aliquod doctrinæ genus, certumque auctorem à capite ad calcem per dies aut menſes aliquot continuè evolvat, dum id quod ſemel diſcendum ſuſcepit, probè didicerit, animoque ſuo fideliter commiſerit: niſi forſan temporis & loci ratio diſſuaſerit, ut fit in Academiis, ubi publicè docentium ratio habenda eſt, nequid in occaſione propoſitum negligatur.

6. Æque noxium eſt, & ſine certo ordine in ſtudiis vagari, & uno eodemque

anno,

anno, menſe, die omnia, aut certè multa atque diverſa ſimul legere atque addiſcere velle.

Certè librorum, auctorumque multitudine & lectionum varietate præſtantiſſima quoque ingenia non rarò obruuntur ac diſtrahuntur, ut eis tandem eveniat quod eſt in πολυφρυγήτῳ:

De omnibus aliquid, de toto nihil.

7. Bibliotheca non tam ſumtuoſa, quàm selecta ex optimis, maximèque neceſſariis auctoribus comparetur.

8. Loci communes, tum è ſacris literis, tum è profanis ſcriptoribus, ad uſus neceſſarios, maturè diligenterque colligantur.

De quibus vide, ſi lubet, Hyperium noſtrum, *lib. 3. ſtudii Theol. cap. 2. 3. & ſ.*

9. Privatis ſtudiis ne tribuatur illud tempus, quo vel publica lectio audienda, vel concio diſponenda eſt. Neque his poſthabenda eſt ægrotorum aut gravibus tentationibus vexatorum viſitatio, inſtitutio, conſolatio, ſi jam eccleſiæ miniſter conſtitutus ſis.

10. In omnibus ſtudii theologici partibus vires corporis & ingenii expendantur, ne plus minuſve, quàm par ſit, ſuſcipiatur.

11. Ante meridiem merè Theologica

tra-

tractentur, ita ut caput Biblicum ex V. & N Teſtamento ex fontibus, ſiquidem eos jam imbibiſti, Hebræis Græciſque, aut verſione Latina vulgatâ & vernacula tuâ, quotidie perlegas, præcipua dicta ex eo memoriæ commendes, & in obſcuris vel interpretem conſulas, vel præceptores vivos adeas: inde ideam Theologiæ, locos communes, controverſias, & Caſus conſcientiæ quæ ad praxin propius faciunt, juſto ordine perſequaris, dum in ſingulis tibi habitum acquiſiveris.

12. A meridie & quidem horis duabus à prandio, ne concoctio impediatur, & caput gravetur, incumbes, 1. *lectioni hiſtoria*, tum *divina*, cujus finis eſt religio; tum *naturalis*, cujus finis ſcientia; tum *humana* cujus finis prudentia & ars, ut docet doctiſſimus Voſſius, *Artis hiſtorica cap.* 7. *pag.* 27. 2. ſtudio linguarum & artium dicendi, ubi *in Hebræis* ſufficit textum Biblicum intelligere, Neque hoc ſtudio omnes qui ad ſacrum miniſterium adſpirant, onerandi videntur. Et *in Græcis* ſatis erit, ſi Novum Teſtamentum Græcum, etſi non ad Criticas minutias uſque, ad veram tamen interpretationem exactè intelligas. Siquis tamen ingenio valeat, otio abundet, & occaſionem nanciſcatur, in utriuſque linguæ adyta ulterius contendere

S po-

poterit, maximè ſi in ſcholis forſan linguas aliquando docere velit. Et huic tali patet univerſa antiquitas Hebræa, Græca. E *Latinis* potiſſimum legat veteres philoſophos, oratores, poëtas, hiſtoricos, philologos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucretium, Terentium, Plautum, Ciceronem, Salluſtium, Tacitum, Quintilianum, Senecam, Scaligeros, Baudios, Heinſios, Grotios, Voſſios, Barlæos, Lipſios, Puteanos, Muretos, Kirchneros, Piccartos, Barthios, Gruteros: hiſque nonnunquam ſepoſitis, ingenii vires ſcribendo & diſputando experiatur.

13. Quia verò ſuperforaneum fuerit, fundamentum poſuiſſe, niſi ſuperſtruxeris; etiam atque etiam cogitandum eſt, ac cuique ſeriò ſtatuendum, quod in ſtudio feliciter cœpto conſtanter progrediendum uſque ad metam.

Hoc fiet, ſi ſtudium theologicum dignis preciis æſtimaveris. Neque enim quiſquam multum laboris collocaverit in eo, quod ante res alias non habet. Cætera peritus & fidus præceptor auditoribus ſuis facilè ſuggeret, non inſuper habitis iis, quæ infra cap. x. de ſtudiis ſacri ſtudii decurrendis ad metam cujuſque docemus. Conſule & Caſſianum *Coll. X I. de Spirituali ſcientia Abbatis Neſterotis.*

CA-

CAPUT III.

DE

Mediis, & quidem divinis in ſpecie.

MEdia quæ ad ſcopum ſuum conſequendum ſtudioſum Theologiæ per Dei gratiam prudenter eligere, aut ſaltem ſibi conceſſa in hac ordinaria proficiendi ratione, quæ hodie in Eccleſia Dei viget, adhibere oportet, ſunt divina aut humana.

Illa ſpiritualia, hæc naturalia fortaſſis non incommodè dixeris. Væ autem illis, qui hîc *Diabolica* aut quærunt, aut aliis obtrudunt. Nam diabolus, omnium ſpiritualium tenebrarum, ſtultitiæ malitiæque fons, non ſinit eos, qui diabolicos libros de induſtria legunt, in cœleſti ſapientia proficere. Libris enim ſuperſtitioſis & magicis, tanquam laqueis, lectores, cultoreſque ſuos in nequitia detinet, ne ſapientiæ lux eis affulgere poſſit. Caveant ergo omnes ſincerioris Theologiæ amatores, ne *Spiritus familiaris & olympicos.* quos quidam nequam venditant, ſibi vel, mediante conjuratione, adſciſcant, vel conjuratos ab aliis emant, quorum ductu erudiantur ex pacto ſive explicito, ſive implicito: Sapientiam veram docere nequeunt, quoniam eam haud poſſident. Lux veræ ſapientiæ tanta, tamque ſublimis eſt, ut ma-

poterit, maximè ſi in ſcholis forſan linguas aliquando docere velit. Et huic tali patet univerſa antiquitas Hebræa, Græca. E *Latinis* potiſſimum legat veteres philoſophos, oratores, poëtas, hiſtoricos, philologos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Lucretium, Terentium, Plautum, Ciceronem, Salluſtium, Tacitum, Quintilianum, Senecam, Scaligeros, Baudios, Heinſios, Grotios, Voſſios, Barlæos, Lipſios, Puteanos, Muretos, Kirchneros, Piccartos, Barthios, Gruteros: hiſque nonnunquam ſepoſitis, ingenii vires ſcribendo & diſputando experiatur.

13. Quia verò ſuperforaneum fuerit, fundamentum poſuiſſe, niſi ſuperſtruxeris; etiam atque etiam cogitandum eſt, ac cuique feriò ſtatuendum, quod in ſtudio feliciter cœpto conſtanter progrediendum uſque ad metam.

Hoc fiet, ſi ſtudium theologicum dignis preciis æſtimaveris. Neque enim quiſquam multum laboris collocaverit in eo, quod ante res alias non habet. Cætera peritus & fidus præceptor auditoribus ſuis facilè ſuggeret, non inſuper habitis iis, quæ infra cap. x. de ſtudiis ſacri ſtudii decurrendis ad metam cujuſque docemus. Conſule & Caſſianum *Coll. X I. de Spirituali ſcientia Abbatis Neſterotis.*

C A-

CAPUT III.

DE
Mediis, & quidem divinis in ſpecie.

MEdia quæ ad ſcopum ſuum conſequendum ſtudioſum Theologiæ per Dei gratiam prudenter eligere, aut ſaltem ſibi conceſſa in hac ordinaria proficiendi ratione, quæ hodie in Eccleſia Dei viget, adhibere oportet, ſunt divina aut humana.

Illa ſpiritualia, hæc naturalia fortaſſis non incommodè dixeris. Væ autem illis, qui hîc *Diabolica* aut quærunt, aut aliis obtrudunt. Nam diabolus, omnium ſpiritualium tenebrarum, ſtultitiæ malitiæque fons, non ſinit eos, qui diabolicos libros de induſtria legunt, in cœleſti ſapientia proficere. Libris enim ſuperſtitioſis & magicis, tanquam laqueis, lectores, cultoreſque ſuos in nequitia detinet, ne ſapientiæ lux eis affulgere poſſit. Caveant ergo omnes ſincerioris Theologiæ amatores, ne *Spiritus familiaris & olympicos.* quos quidam nequam venditant, ſibi vel, mediante conjuratione, adſciſcant, vel conjuratos ab aliis emant, quorum ductu erudiantur ex pacto ſive explicito, ſive implicito: Sapientiam veram docere nequeunt, quoniam eam haud poſſident. Lux veræ ſapientiæ tanta, tamque ſublimis eſt, ut ma-

lorum ſpirituum caſtra non ſubeat. *Ne impari jugo copulemini cum infidelibus. quod enim conſortium juſtitiæ cum injuſtitia? & quæ communio luci cum tenebris? Et quæ concordia Chriſto cum Belial?* 2 Cor. 6. 14. 15.

Libris diabolicis jure annumerantur libri calumniarum & ſcommatum pleniſſimi & ſycophantiosè ſcripti, quorum hodie uberior ſeges eſt, quàm muſcarum in Armenia, cùm caletur maximè. Et plurimi hoc tempore ſibi laudi dicunt, ſi in pios & doctos invehantur eorumque ſcripta conviciis proſcindant & petulanter carpant, etiamſi ea neque perlegerint, neque ſenſum eorum propè perceperint.

Jac. 3. v. 14. *Quod ſi invidiam amarum habetis, & irritationem in corde veſtro, ne gloriamini, & ne mendaces eſtote adverſus veritatem.*

15. *Non eſt* enim *iſta ſapientia supernè deſcendens, ſed terrena, animalis, dæmoniaca.*

16. *Vbi enim invidia eſt & rixa, ibi inquieta vita & omne opus pravum.*

17. *Quæ autem supernè* eſt *ſapientia, primùm quidem caſta eſt, deinde pacifica, æqua, obſequens, plena miſericordiæ & fructuum* bo-

bonorum, abſque diſceptatione, & minimè ſimulata.

18. *Fructus autem juſtitiæ ſeritur cum pace iis qui dant operam paci.*

Jac. 4. v. 11. *Ne alii aliis obloquimini, fratres, qui obloquitur fratri, quique damnat fratrem ſuum, obloquitur Legi, & damnat Legem: quod ſi damnas Legem, non es obſervator Legis, ſed judex.*

12. *Vnus eſt Legiſlator qui poteſt ſervare & perdere: tu quis es qui damnas alium?*

Confert Thomam Campanellanam, *lib. 4. de ſenſu rerum, caſ. 1. 5.*

2. *Media* DIVINA *ſunt, quæ omni naturæ & induſtriæ humanæ vi ſuperiora, ad elevandam mentem, qua in principium theologiæ in ſuas partes hiſtoricè dislocatum involet, & formandam Dei notionem ac cultionem divinitùs conceduntur.*

3. *Eaque ſunt vel primi ordinis, ut* precatio *& vitæ* ſanctimonia; *vel ſecundi ordinis, ut ipſa* naturæ dona.

Deus enim non tantum gratiæ, ſed & naturæ auctor eſt, *In Principio creavit Deus cœlum & terram*, Gen. 1. 1 & hanc per illam perficit, & lapſam tollit & elevat. Hæc autē elevatio mentis fit per operationem ſpiritus ſancti; regenerationem videlicet,

licet, ſanctificationem, & Conſecrationem, ſeu miſſionem ſeu internam præparationem hominis Dei.

4. PRECATIO *eſt medium divinum, quo ſtudioſus Theologiæ, illuminantem ſpiritus S. gratiam indeſinenter implorando, ſapientiam ac ſcientiam ſupernam indipiſcitur.*

Cum enim oratio ad omnia valeat, *Matt.* 7. *v.* 7. potiſſimum tamen ad divina dona conſequenda, quæ in ſumma Dei benignitate & gratiâ poſita ſunt; præcipuèque ad hoc ſapientiæ ac ſcientiæ donum impetrandum, maximè neceſſaria eſt, *Luc.* 11. 13. *Pſ.* 25. 4. 5. 51. 13. 14. 15. 17. *&* 119 12. 18. 27. 33. 66. 73. 124. 125. 135. 144. Proxima enim hujus ſapientiæ cauſa eſt flagrantiſſimum ejus deſiderium. Flagrantiſſimum, inquam, quia ad hoc pigri & inertis hominis deſideria nihil juvant, de quibus *Prov.* 13. *v.* 4. Vult & non vult piger. Cur ita? quoniam, ut eſt *Prov.* 21. *v.* 25. deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari: Hinc ſapiens *Sap.* 6. *v.* 18. *Veriſſimum*, inquit, *principium illius* (ſapientiæ) *eſt diſciplinæ cupiditas.* Et *c.* 7. *v.* 7. Et Syracides *c.* 24. *v.* 22. Et Salamon eâdem ſapientiâ differens, *Prov.* 2. *v.* 4. *&* 5. *Si*, inquit, *quæſieris eam velut argentum, & tanquam abditos theſauros ſcrutatus fueris eam: tunc*

in-

intelliges reverentiam Domini, & agnitionem Dei conſequeris.

Hoc autem deſiderium, quod à ſpiritu S. proficiſcitur, fruſtra eſſe nequit, juxta illud *Prov.* 10. *v.* 3. & pios in oratione diu perſeverantes Deus miris conſolationibus ac deliciis oblectare, eorumque viſcera aquâ ſalutaris ſapientiæ rigare atque fecundare ſolet, *Eſa.* 56 *v.* 7. Nec ſaporem modò, ſed cognitionem quoque divinarum rerum precatio præbet, *Pſ.* 34. *v.* 5. *Deut.* 33. *v.* 3. *Iac.* 1. *v.* 5. Cujus rei locupletiſſimum exemplum ſub V. T. reliquit David *Pſal.* 119. *toto* quidem, maximè *verò* *v.* 18. Et ſicut ſacerdotes V. T. cum precibus Deo hoſtias quotidie obtulerunt pro ſe & pro populo, *Exod.* 29. 39. *Lev.* 9. 7. ita ſacrarum literarum ſtudiis dediti, aſſiduè orabunt pro illius conſervatione & propagatione, *Matt.* 9. 38. *Eph.* 6. 18. 19. *Col.* 4. 3. 2. *Theſ.* 3. 1. 2. Et ſub N. T. ſub ſcholaſticorum princeps *Thomas Aquinas*, qui inſignem illam & admirandam ſapientiam ſtudio magis orationis, quam humano ingenio & labore ſe aſſecutum fuiſſe chariſſimo ſocio fratri Reginaldo ſecreto revelavit; quod ſecretum, quamdiu in vita maneret, ſervari voluit. Ideoque in more habuit, ut quoties ei legendum, ſcribendum vel diſputandum eſſet, ad ſecretum

orationis locum prius confugeret, ut à Deo diſceret, quod homines doceret. Intelligebat enim (quod eſt à D. Auguſtino dictum) *melius interdum oratione ſolvi dubia, quàm humanâ inquiſitione*: ut Lodovicus Granatenſis *in laudibus D. Thomæ* refert. Ex adverſo qui preces cultumque numinis ſpernunt, ii à ſpiritu ſancto ſpernuntur, 1 *Sam.* 2. 10. *Iob* 12. 35. *Rom.* 1. 21. 28. 11. 7. *& ſ. Eph.* 4. 18. 5. 8. 9. *Apocal.* 22. 11. Quare

5. *Precatio ſit diurna & nocturna: Illa matutina, meridiana, veſpertina: hæc, quoties ſommus eſt intervigil: aliâs prolixa, aliâs brevis & jaculatoria: aliâs cum gemitu & lacrymis, aliâs cum gaudio & hymnis, & quidem tum ante ſtudia, tum poſt ſtudia, tum denique inter ſtudia.*

Hoc firmat *præceptum* Chriſti, ejuſque Apoſtolorum, *monitum* patrum, & *exemplum* ſanctorum. Præceptum Chriſti, & Apoſtolorum. *Matth.* 7. 7. 8. *&* 26. 41. *Marc.* 14. 28. *Luc.* 1. 9. 10. 11. 12. 13. *&* 18. 1. 1 *Theſ* 5. 17. *Iacob.* 1. 5. 6. 1 *Pet.* 2. 1. 2. Monitum patrum eſt apud D. Bernhardum, *ſerm. de obedientia, patientia & ſapientia*; *& in* 8. *punctis*. Exemplum eſt Davidis, cum paſſim pſalmorum, tum *Pſ.* 119. *toto*, *&* 141. *&* 142. *&* 143. Salomonis

nis 1 *Reg.* 3. *v.* 9. Danielis & ſociorum, *Dan.* 2. *v.* 18. *& ſeqq.*

6. *Vita* SANCTIMONIA *eſt medium divinum, quo ſtudioſis Theologiæ quotquot horis, ac momentis, ſeipſo melior fieri conatur.*

Hujus præcepti autor eſt Apoſtulus, *Tit.* 2. *v.* 11. *&* 12. *&* 1 *Tim.* 4. *v.* 7. 8. 13. 14. 15. 16. Ubi videſis paraphraſin Eraſmi Roterodami, ejuſdemque παράκλησιν: item in ratione veræ Theologiæ ſub finem. Quod & Salomon luculentè docet *Prov.* 1. *v.* 7. quem in locum eruditiſſimus Theologus Doctor *Cartvvigthus*, olim Cantabrigienſis Profeſſor, *commentario in proverbia, Leidæ edito Anno* 1617. videatur. Huc etiam facit ſcitum illud Auguſtini: *palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuavis; & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis.* Unde & idem alibi *Deum* appellat *purgatæ mentis ſapientiam.* Iis enim dulciter ſapit, qui purgatam animæ palatum geſtant. Vide Melchioris Breleri vindicias myſterii iniquitatis, pag. 494. Et ſine pietate preces, frigent, aut fœtent. *Pſ.* 50. 16. 109. 7. *Eſa.* 1. 11. *& ſ. Heb.* 12. 14. 13. 18. 1 *Tim* 3. 9. Nam

Caſta Deus mens eſt: caſta vult mente vocari,
Et caſtas juſſit pondus habere preces.

7. *Eſtque ſanctimonia animi aut corporis.*

Totus enim homo, tanquam nova creatura, Deo ſeſe ſubjicere debet, *Rom.* 6, 4. 2 *Cor.* 7, 1. *Epheſ.* 4, 23. 24. 27.

8. *Animi ſanctimonia eſt, qua illius mens, cogitatio, affectus, voluntas & ſtudium pura ſervantur, aut inquinata depurgantur.*

Hæc enim ita cohærent natura, ut unius immundicie cætera facilè contaminentur, argumento *Matth.* 12, 34. 35.

9. *Mens, cujus eſt intellectus theoreticus, in quo συντήρησις, à qua propoſitiones majores ſuppeditantur; & practicus, in quo conſcientia reſidet, cujus judicicio è propoſitionibus & aſſumtionibus concluſiones exſtruuntur, ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ renovanda, limpidiore legis divinæ fonte diluenda, ſanguineque Chriſti abſtergenda eſt.*

Hæc enim non tantùm à juventute vana eſt, *Gen.* 8, 21. *Pſal.* 51: 7. 62. 10. 94. 11. ſed & porrò inquinatur 1. falſis perſuaſionibus. 2. ignoratione eorum, quæ ſciri oportet. 3. propenſione in affectuum ſiniſteritatem. 4. conſenſus in peccatum. Cujus ἀῤῥωσίας medelæ, 2 *Cor.* 4. 16. *Col.* 3. 10. ſunt à quotidiana pœnitentia, à lectione & cantu pio pſalmorum, ab oratione, quæ à Deo impetratur & quod ſupra hominem eſt.

10. Co-

10. *Cogitatio eſt vel à Deo, vel diabolo, vel à nobis ipſis.*

11. *A Deo eſt, quâ excitamur ad agendum ea quæ pia, ſalutaria & verbo Dei conſentanea ſunt.*

Hæc fovenda eſt lectione verbi Dei, & precibus.

12. *A Diabolo, quæ per doctrinæ Chriſtianæ violationem ducit in exitium.*

Huic opponendum eſt Dei verbum, *Eph.* 6. 16. 17. exempla & ſuffragia omnium ſanctorum, Prophetarum Apoſtolorum, martyrum, aliorumque patrum, & feriæ preces.

13. *A nobis ipſis, quæ, ſecundùm Bernhardum, vel eſt* otioſa, *& ab animo tam facilè rejicitur, quàm recipitur: vel* violentior, *quæ ad naturæ neceſſitatem ſpectat; vel* immunda *quæ eſt à labe originis.*

Hæ verò oriuntur vel à ſenſu, vel à memoria, vel à complexione, & expellendæ ſunt lectione Biblica, laboribus vocationis, fugâ otii, & cumprimis ardenti, anxiâque invocatione ejus, qui ſolus potis eſt cor novum creare, *Pſal.* 51. *v.* 12.

14. *Affectus, à quibus ne ſancti quidem in terris prorſus liberi ſunt, vel ab ipſo corpore occaſionem trahunt, vel è rebus externis proveniunt.*

15. *Illorum fons eſt immoderatus amor cor-*

poris, Rom. 13. 14. *rivuli verò crapulæ & avaritia.*

Horum ἀπαξίαν vetat Servator *Luc.* 21. 34. & vitat Apoſtolus. 1 *Cor.* 9.2.

16. *Hi ſunt ira & concupiſcentia.*

17. *Ira, quæ eſt tita & facilis commotio ob peccata Theologo eſt decora & neceſſaria, facileque ſedatur.*

Iracundia verò, quæ eſt vehementior & diuturnior animi commotio, è recordatione acceptæ injuriæ nutrimentum capiens, à doctore verbi aliena ſit, *Eph.* 4. 51. *Col.* 3. 10. *Iac.* 1. 19. 20. *Acerbitas*, quæ exulcerati animi ſpuma eſt, vindictam ſpirans, in ſanctis diuturna eſſe nec poteſt, nec debet, *Eph.* 4.26. *Rom.* 12.19. Remedium & lenimentum capeſſe.

1. A cogitatu offenſi DEI, à quo tanquam mitiſſimo patre, veniam petis.

2. A memoria præcepti Chriſti, *Matth.* 6. 15. & 18. 34. 35.

3. A conſideratione tuæmet infirmitatis, *Matth.* 7. 12. damni, quòd iratus te ipſe maximè lædis, *Gal.* 5. 20. 21.

2. Ab æſtimio malorum, quæ trahit, *Prov.* 5. 15. 18. 22. 24. 26.

18. *Concupiſcentia, ſive* naturalis *ſit circa nutritionem aut generationem, ſive* non naturalis *rerum alienarum appetentia, timore Domi-*

Domini, lege DEI, *& recta rationes frenanda & reprimenda eſt.*

Adverſus hanc dona ſpiritus excitanda ſunt piis exercitiis, 2 Tim. 1.6.

19. *Voluntas, qua quod placet appetimus; quod diſplicet averſamur, non ex cogitationum, affectionumque noſtrarum perturbatis motibus, ſed ad imperium verbi* DEI *regenda eſt.*

Renunciandum igitur eſt propriæ voluntati, *Matth.* 6.10. & 26.24. *Eph.* 5.17.

20. *Studium eſt, quo quis omnium actionum ſuarum ſcopum unicum ſibi præſtituens ſanctificationem nominis* DEI, *animi ſui harmoniam ita tuetur, ut, quod mens rectè intelligit, animus ſedulò cogitet; quod animus cogitat, ad illud rapiantur affectus: quodque pii affectus ſuadent, id voluntas ſeriò imperet expediat.*

21. *Corporis ſanctimonia eſt ea mediocritas. qua ita honoratur, ut neque mollitiis torpeſcat, neque duritie nimia frangatur.*

Procul igitur habe Epicureorum noſtri temporis ſaginam, conbennorum, combibonumque crapulam & ingluviem; quam paſtoritia natio ruſticatim & urbanatim, proh dolor, cum auditoribus ſuis juxta conſectatur. Procul habe phariſaicum monachorum jejunium, quo ſe macerant, ut remiſſionem culpæ & pœnæ merean-

tur.

tur. Ama temperantiam œconomicam & politicam, ut res tuas conſerves, aliis exemplo ſis, valetudinem tuearis. Chriſtianum jejunium non rarò celebra, ſi fortè pigreris & langueas circa deſideria carnis, ſed modeſtè & citra opinionem meriti & præciſæ neceſſitatis.

22. *Atque hæc ſunt media divina primi ordinis : ſequuntur ea, ſunt ſecundi ordinis, ipſa nempe naturæ dona.*

Hæc Dei providentia exhibet, *Matth. 6.* 24. quibus inibi efficitur, fieri non poſſe, ut quis ſimul Deo ſerviat, adeòque Theologiæ operetur, & Mammonæ, ac proinde rebus βιωτικοῖς occupetur. Intellexit hoc prudentiſſimus Syracides, qui ne prudentiam quidem juris civilis ei convenire autumat, qui ad ſtivam natus eſt, *Cap.* 38. 25. 26. Quorſum etiam facit militia, 2.*Tim.* 2. 3. 4. negotiis hujus ſeculi oppoſita. Eſt autem de his ſcitum illud *Ericii Puteani*, philologi excellentis, Suadæ auſpicialis orat. 2. *ut naturam, i. e. ingenium afferatis, verbis non præcipio. Id enim à Deo pendet: & à Deo hominibus datur; etſi corrigere naturæ aliquem defectum ipſâ exercitatione conceſſum eſt.* Hæc ad humana media Alſtedius noſter refert *compendio Theol. part.* 1. *cap.* 6.

23. Hæc

23. *Hæc in ſtudioſo Theologiæ ſunt animi vel corporis, vel externa.*

24. ANIMI *ſunt ingenii dexteritas, memoriæ fidelitas, & affectûs ſinceritas.*

Illa ſita eſt in apprehendendo & judicando: iſta in imprimendo & retinendo: hæc in conſtanti amore & impetu ad hoc ſtudium ex vera cauſa. Hæc animi dona [redacted] forma enunciat: **Er ſol einen feinen richtigen kopf haben.** hoc eſt, *S. Theologiæ ſtudioſus ſit dexter.*

25. CORPORIS *ſunt ſtaturæ dignitas, vocis concinnitas, & partium ſtudiis præcipue ſervientium, cerebri puræ, cordis, ventriculi, hepatis, ſplenis & pulmonum bonum temperamentum & robur.*

Ratio hæc eſt, quia aſſiduitas in precando, diſcendo, legendo, ſcribendo, meditando, commentando, docendo, ſpiritum ebibit, & corpus debilitat, *Eccl.* 12. *cis finem*: Et qui aſſidua lectione & meditatione notitiam Theologiæ in hac via & extra patriam cœleſtem non alit & auget, in eo hæc lux prorſus extinguetur, juxta illud poëtæ in alia re dictum:

Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

26. EXTERNA, *quæ vulgo fortunæ bona dicuntur, vel* propria *ſunt, vel à pa-*

tro-

tronis ſuppeditata, *quibus inſtrumenta aliáque acquirendæ eruditionis theologicæ media comparentur*: *quibus Dei providentia permittit etiam accidere* mala, *quam* crucem *dicimus*, *quam ferre condiſcat, aliósque doceat, quiſquis amat fieri Theologus.*

BONA propria ſunt, quæ vel à parentum ſuperſtitum liberali manu, vel à defunctorum hæreditate obtingunt, vel propriâ induſtriâ in modum peculii caſtrenſis acquiſita ſunt. Divinum certè ampliſſimumque ſtudium jure quodam ſuo ſumtus poſcit amplisſimos, ſi omni ex parte cultum velimus. A patronis ſuppeditata dico, quæ vel majorum pietate ſuperſunt collegia tum eccleſiaſtica, tum ſcholaſtica, cum egregiis impenſis, ſtipendiis, bibliothecis, fundis ac reditibus, in quibus olim deputabantur Canonicorum capitula, multorumque cœnobrorum ſacraria, ut tum alibi apud doctiſsimos theologos, politicos & hiſtoricos fideles, tum in opuſculis theologicis D. Andreæ Hyperii olim Profeſſoris Marpurgenſis videre eſt: vel hodieque principum aliorumque opulentorum hominum benignitate Theologiæ non minus quam Juris, Medicinæ & Philoſophiæ Doctoribus, & ſtudioſis beneficia decernuntur, & multo potius ex formula Chriſtianiſmi decerni

ni debent, *Matth.* 10.10.11.12.13.14.15. 1 *Corinth.* 9. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Agnovit hoc illuſtriſſimus ac potentiſſimus princeps ac dominus DN. WILHELMUS, Heſſorum Landgravius, princeps ac dominus meus clementiſſimus, cujus heroicæ virtutes non ſolum invidiam vicerunt, ſed & mortale faſtigium ſupergreſſæ ſunt, dum non tantum pro libertate patriæ & religione fortiter pugnat, ſed & *Caſſellis*, inferioris Haſſiæ metropoli, *Academiam novam* fundat, & maximis impenſis dotat, ut, Academiâ Marpurgenſi mutationem paſſa, Celſ. ipſius auſpiciis & munificentiâ vel minimo ſumtu, juventus bonis literis & religione imbuatur. Quapropter Celſ. ipſius non ſubditi modo, ſed & externæ nationes non aliter obſervant, admirantur ac ſuſpiciunt, quàm beneficu[illegible]te quoddam ſidus è cœlo in terras demiſſum, ut ſeculo everſo ſuccederet & rebus afflictis mederi poſſet. Ego inter cultores Celſ. ipſius gradu & cenſu plurimis impar, animo & affectu vix cuiquam ſecundus, nullum majus ac melius donarium ei offerre poſſum, quam *ſimplex votum*, quo uno vota univerſa bonorum omnium, ſalus & ſecuritas patriæ, ſpes & opes ſubditorum ipſius, cumulatè continentur.

Ego

Ego igitur Deum Opt. Max. principum ac principatuum cuſtodem, ex intimis ſenſibus veneror atque obteſtor, ut pro principibus Philippo fortiſſimo, proavo, Wilhelmo ſapiente, avo, & Mauritio doctiſſimo, patre, cœlitibus, principem Wilhelmum, fortitudinis, ſapientiæ & doctrinæ jubar ſereniſſimum, quam diutiſsimè mortalium cœtibus intereſſe patiatur. Faveant propitia fata beneficio quod dederunt, tantòque muneri addant perennitatem! Mala autem, quam *crucem* nuncupamus, oppidò bona & commoda eſſe huic ſtudio non quidem per ſe, ſed Opt. Maximi favore, Apoſtolus ſuopte docet exemplo 2 *Cor.* 1. 6. *Rom.* 5. 3. 4. 5. Et hic locum habet decantata trias, oratio, meditatio, tentatio, quæ de ſententia [redacted] facti Theologum; qua divina media claudo, quamvis de meditatione plura nunc ſim dicturus uſque ad caput X. hujus inſtructionis, quod tentationis vim oſtendet.

Caput

CAPUT IV.

DE
Mediis humanis: & nominatim, de Philoſophia.

HÆc de mediis divinis quibus mens elevatur; ut in apertum theologiæ principium imitatur; ſequuntur] HUMANA, *quæ diligenti operarum, ad perficiendum Theologum, curatione continentur.*

Neque enim in morem Apoſtolorum, immediatè induimur virtute ex alto, *Luc.* 24.49. *Act.* 2.4. ſed mediatè per precationem, *Iac.* 1.6. meditationem & lectionem diligentem ſacrarum literarum, 1 *Tim.* 4. 13.14.15.16. contemplationem rerum naturalium, *Act.* 14.17. *&* 17.27.28. *Rom.* 1.19.20. & in intentationem, 1 *Cor.* 3. 12.13.14.15. 1 *Pet.* 1.6.7. arcanæ theologiæ cognitione imbuimur & elevamur. Hæc verò elevatio mentis alia eſt, quàm quæ cap. 3. ad aphor. 3. jam deſcripta eſt, & per traditionem humanarum diſciplinarum, quibus omnibus ordinem & habitudinem quandam ad Theologiam Chriſtianiſmus induit. Et eſt mutua quædam omnium diſciplinarum περιχώρησις, *immeatio*, quantum ad uſum & gubernationem. Sicut enim Logicus regit Rhetorem,

rem, Rhetor veſtit Logicum, phyſicus utrumque conſervat & auget, Grammaticus omnes juvat, Mathematicus, cum opus eſt, ſervit, Juriſconſultus æquitatem & pacem, Medicus ſanitatem tuetur, quantum per naturam fieri poteſt: ita Theologus omnes liberè ordinat & rectificat ad placita & jura Dei, quantum per gratiam è ſcripturis in lucta carnis & ſpiritus pro ætate & vocatione ſua accepit.

2. *Eaque ſunt technica aut gymnaſtica.*

Illa *artis & informationis*, hæc *exercitationis* non malè appellaverit.

3. TECHNICA *ſunt propædeutica, aut pædeutica.*

4. *Propædeutica exhibent neceſſariorum inſtrumentorum comparationem.*

Hæc quidem ſcripturam omnino habent pro principio regulante, ſed non ſemper & in omnibus pro dictante, ſive formaliter enunciante & explicante.

5. *Sunt autem primaria aut ſecundaria.*

6. *Primaria ſunt philoſophica aut philologica.*

7. PHILOSOPHICA *ſunt, quæ τὴν ἐν κύκλῳ παιδείαν Theologo futuro ſapienter accommodant.*

Hîc pernicioſa opinio Theologiæ ſtudioſis ante omnia eximenda eſt, quod ſcil. Philoſophia per ſe pugnet cum Theologiâ,

giâ, quam rem eruditè diſputatam vide apud doctiſſimos Theologos & philoſophos *Cornelium Martinium, Kekermannum, Alſtedium, Calixtum, Hornejum*, & pronuper apud *D. Nicolaum Videlium* in rationali Theologico *Geneva* edito, Uſum philoſophiæ videſis à nobis breviter oſtenſum, *lib.* 4. *Oratoris Eccleſiaſtici cap.* 1. *aphor.* 7. Adde Meditationem Theologicam de uſu & abuſu rationis humanæ in interpretandis & æſtimandis rebus & ſcripturis divinis adverſus Socinianos & novos Weigelianos, ab ornatiſſimo noſtro *Caſparo Streſone Anhaltino* Lugduni Batavorum nuperrimè editam, item Artem Artium ſive Clavem ſcientiarum mirabilem editam Et lingæ in Marchionatu Badenſi, Anno 1606. ſive inſtitutionem auream de uſu organi ſeu logicæ Ariſtotelicæ in diſciplinis omnibus, parte 6. cap. 1. pag. 620.

8. *Philoſophica ſacræ Theologiæ ſerviunt cautè, diſtinctè, ſobriè & modoratè cognita quadrifariàm: ad ordinandum, ad reſolvendum, ad diſputandum, ad concionandum & converſandum.*

Primus igitur eſt *tacticus*. Nam logica, quæ eſt inſtrumentum & manus Philoſophiæ, ordinis mater & magiſtra eſt, imò & methodi tam ſyntheticæ quàm analyti-

ticæ; quarum illa reſpondet demonſtrationi à priori, hæc demonſtrationi à poſteriori: ac proinde ſuppeditat etiam artificium dividendi ac definiendi, ut ex poſteriori analyticorum manifeſtum eſt. Unde ſecundus eſt *analyticus*: quia ad hoc ut dextrè reſolvas textum biblicum, non ſolùm logica, verum etiam aliæ diſciplinæ philoſophicæ quæ res & mores tractant, proſunt, ſi modò juſtam analyſin libeat emoliri. Quâ de re præter alios videſis *Flaccii Illyrici* clavem ſacræ ſcripturæ, *Baſilii de Farna* analyſin colloquii Ratisbonenſis. Ideam boni interpretis *Danhauveri* totam, ejuſdem ideam boni diſputatoris *ſect. 2, cap. 5. articul.* 1. §. 92. *& ſeqq.* Analyſin *Cornelii Martinii*, & *Alſtedium* noſtrum *comp. Theolog. pag.* 1. 10. Ἀναλύειν verò in theologia nihil aliud eſt, quàm συγκρίνειν πνευματικοῖς πνευματικά. 1 *Cor.* 2. 13. hoc eſt, ſpiritualibus theorematis ſeu quæſitis probandis aptare ſpiritualia principia, ſive, ut diſertiùs dicam, controverſiam aliquam Theologicam revocare ad οἰκεῖα λήμματα, vernacula Theologiæ principia, quæ ex eodem genere cum propoſita quæſtione ſumuntur. Tertius eſt *ſyzeteticus*, contra quàm ſentit Gregoras Nicephorus, *lib.* 50. *Byzantinæ hiſtoriæ*, quem eruditè refutat Ars artium *part.* 6.

c. 3.*p*.646.*&* *ſ*. Conducit enim ad *διπορίαν* diſputationum Theologicarum, à quibus hoc ſeculum ſibi vix temperat, tum quia Logica præſcribit modum eruditionis, tum quia Metaphyſica generaliſſimos explicat terminos, quorum maximus uſus eſt in diſputationibus theologicis, tum denique, quia Theologi in diſputationibus, lectionibus, & ſcriptis ſuis, multa in philoſophia diſputata ſupponunt, aut ex ea vel propter adverſarios, vel propter lectores & auditores ſuos diſputare coguntur. Quâ de re videſis præter *Cornelium Martinium* in Analyſi, & *Conradum Hornejum* in Proceſſu diſputandi, *D. Nic. Videlium* in rationali Theologico toto. Utinam verò de rebus divinis ex ſola ſcriptura diſputandi ratio paſſim vigeret, aut tandem aliquando conſentientibus Theologorum ſuffragiis & ſtudiis in uſum jure poſtliminii revocaretur, in qua ſolum Dei verbum ritu Apoſtolorum proferretur, audiretur, explicaretur, crederetur! Tunc bene cum Eccleſia, bene cum Academiis ageretur, Dei nomen piè celebraretur, veritas divina glorioſè triumpharet, neque ſtudioſa juventus tempus & florem ætatis perderet cum ſera pœnitentia, in pelago ſcholaſticorum metaphyſico emetiendo, quod magnam partem doctrinæ Theologicæ & pie-

pietatis abſorpſit, ſed maximè neceſſariarum linguarum & verarum ſcientiarum ſtudiis vacaret, ad optimos quoſque auctores veteres accurreret, & ex ipſis fontibus bibere mallet, quàm ex turbidis & cœnoſis lacunis lambere. Quartus eſt *Rhetoricus* & *ſymbioticus*. Poteſt enim concionator tum è rerum naturalium contemplatione, tum è rerum moralium, virtutum ſc. & vitiorum exemplis indeque naſcente felicitate aut miſeriâ promere innumeras rationes, quæ faciant ad Dei notitionem, cultum & amorem; poteſt etiam ex his ad moralem, familiarem & civilem conſuetudinem aptior evadere. Quâ de re videſis præter alios Andream Hyperium de formandis concionibus & ſtudio Theologico, Oratoremque noſtrum Eccleſiaſticum, *lib.* 1. *Cap.* 1. Non tamen hic τὸ πιθανὸν gentilium oratorum requirimus, quod Apoſtolus 1 *Cor.* 2. 4. rejicit ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις: ſed reſpicimus ad illud beati Auguſtini l. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 40. *Sicut Iſraëlitæ idola & vaſa aurea & argentea Ægyptiorum auferunt, & ad juſtos & Deo placentes uſus conferunt. Sic Chriſtiani philoſophiam & diſciplinas liberales, quæ in Ethnicorum literis exſtant, non eo prorſus relinquere debent, quòd Ethnici eis impiè abutebantur, ſed ad juſtum* *præ-*

prædicandi Euangelii uſum transferre debent. Et ad illud Gregorii Nyſſeni in myſtica enarratione vitæ Moſis, pag. 35. *Habet philoſophia ſecularis partus, humanaque diſciplina carnale quoddam præputium, quo circumciſo, quod relinquitur, Iſraëlitica invenitur eſſe nobilitatis: ut, exempli cauſa, immortalem eſſe animam, philoſophi perhibent, id autem pium eſt. De corporibus in corpora tranſire volunt, & de rationali natura etiam in rationis expertem tranſilire nonnulli aſſerunt, hæc quaſi præputium circumcidenda ſunt, & procul omnino abjicienda. Deum eſſe non negant, creatoremque omnium à quo cuncta dependent, verè aſſeverant, ac rationibus, quantum fieri poteſt, demonſtrant: ſed creatori, velut egenti artifici, materiam ſupponunt, multaque alia hujuſmodi ſunt veris excogitata rationibus, ſed abſurdis ac falſis appoſitionibus maculata, quæ ſi tollemus, propitius nobis Dei angelus fiet.* Id quod adverſus hujus temporis Paracelſiſtas, Weigelianos. Jacob Behmianos, aliosque fanaticos probè obſervandum eſt. Dixi autem in aphoriſmo, philoſophica cautè & ſobriè cognita ſacræ Theologiæ ſtudioſo ſervire, cū beato Bernhardo, qui ſermone 36. in Canticum tractans illud Pauli Rom. 12. 3. *Non*, inquit, *prohibet Apoſtolus ſapere, ſed vult nos ſapere ad ſobrietatem.*

Quid eſt autem ſapere ad ſobrietatem? Vigilantiſſimè obſervare, quid ſcire magis priuſ *oporteat. Eſt quidem* per ſe *omnis ſcientia bona, quæ tamen veritate ſubnixa ſit: ſed,* qu tempus breve eſt, *tu qui cum timore & tremore tuam ipſius operari ſalutem, pro tempor brevitate, feſtinas, ea ſcire* prius & ampli *curato, quæ ſenſeris* VICINIORA SALUTI. *Nonne magna pars medicinæ corporu eſt, eligere in ſumendis cibis quid prius, qu poſterius, & quemadmodum quidque ſu oporteat? Nam etſi* bonos eſſe conſtat c bos, *quos Deus creavit, tu tamen ipſos* tib *ſi in ſumendo* MODUM & ORDINE *non ſerves, reddis plane* non bonos. *Er quod dico* de cibis, *hoc ſentite &* de ſcienti *Sed melius mitto vos ad magiſtrum. Non enim noſtra iſta ſententia, ſed illius, imò noſtra, quoniam veritatis,* 1 Cor. 8. Qui *inquit* ſcire putat aliquid, nondum ſci quomodo oporteat eum ſcire. *Vides qu non probat* multa *ſcientem, ſi* modum *ſcien neſcierit? Vides quomodo fructum & utilit tem ſcientiæ* in modo ſciendi *conſtituit? Qu autem dicit* modum ſciendi? *quid, niſi ſcias* quo ordine, quo ſtudio, quo fine *qu que noſſe porteat?* Quo ordine? *Vt id priu quod maturius ad ſalutem.* Quo ſtudi *Vt id ardentius, quod vehementius proficit amorem.* Quo fine? *Vt non ad inanem gl*

rian

riam, aut ad curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt enim qui ſcire volunt eo fine tantùm ut ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt, qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt. Qui profectò non evadet ſubſannantem Satyricum, & qui ejuſmodi eſt decantantem: Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter. *Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, vel pro pecunia, vel pro honoribus, & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt etiam qui ſcire volunt, ut ædificent, & prudentia eſt. Horum omnium ſoli ultimi duo non abutuntur ſcientia, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant: ſiquidem* intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Reliqui omnes audiant*: Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt ei. *Ac ſi per ſimilitudinem diceretur*, ſumenti cibum, & non digerenti, pernitioſum eſt ei. *Cibus nempe indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, nec tantùm non nutrit, ſed etiam corrumpit corpus. Ita & multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis non fuerit, & ſic per quoſdam actus animæ mores videlicet atque actus transfuſa & digeſta, quatenus ipſa de bonis, quæ novit, vita atteſtante & moribus, bona efficiatur; nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum? Annon mali humo-*

res pravi mores? Annon inflationes & torſiones in conſcientia ſubſtinebit, ſciens bonum & non faciens? Annon reſponſum mortis & damnationis toties in ſemet ipſo habebit, quoties in mentem venerit ſermo, quem dixit Deus: quia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens digna, multa vapulabit? Hæc Bernhardus, quæ ad praxin hîc plenè laudavi. Neque audiendi illi ſunt qui ſuadent, nobis æquè atque Apoſtolis ſic à Spiritu ſancto exſpectandam eſſe univerſam intelligendi atque explicandi ſacras literas facultatem, ut prorſus non ſit opus, nos diſcendis ullis artibus operam dare. Nam omnium rerum parandarum certa quaſi inſtrumenta nequaquam negligenda, ſed ſummo labore & ſtudio comparanda Deus conſtituit, ut, quod natura haud ſuppeditat, id arte & piâ diligentiâ conſequamur.

11. *Diſtinctam verò & ſobriam philoſophiæ cognitionem regunt hi fermè canones.*

1. *Diſciplinas inſtrumentârias ſtudioſus Theologiæ præ cæteris diſcat: & Grammaticam, quam quiſque puer didicit, cum Lexicis in omnem ætatem ſibi ſervet ac tractet familiariter.* Neque enim hîc nobis audiendus eſt *Iohannes Dullardus* ex ſuperiore ætate, qui in barbara & ſophiſtica theologia aliorum præceptor, illud ſuis inſtillare

con-

conſueverat : *quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor dialecticus & theologus.* Vide Ludovicum Vivem *l.* 2. *de cauſis corrupt. art. p.* 77. 79. 81. 82.

2. *Rhetoricam & Oratoriam ex Ariſtotele, Cicerone, Quintiliano, aliiſque optimis dicendi magiſtris ab eloquentiſſimo D. Gerhardo Voſſio, Amſtelodamenſis Minervii anteceſſore conſcriptam, ne inſuper habeat.*

3. *Logicam Peripateticam ſibi commendatam habeat, tanquam excellentiſſimum, quod quidem hodie exſtet, & à Chriſtianis philoſophis illuſtratum ſit, docendi, diſcendi, ſciendique inſtrumentum.*

4. *Ex philoſophia rerum, Metaphyſicam, à ſpinis ſcholarum, quibus tota horret &* [redacted] *obſita eſt*, à philoſopho doctiſſimo M. JOH. WILLIO, collega noſtro, organi & Metaphyſicæ profeſſore accuratiſſimo, *expurgatam cumprimis condiſcat.*

5. *Pneumaticam, quâ natura ſpirituum explicatur, probè teneat.* Iſtam excellentiſſimus philoſophus D. GERHARDUS DE NEUFUILLE, collega noſter, ad phyſicam refert. cujus ſyſtema phyſicum ſtudioſis theologiæ maximè deſiderandum, & ab auctore maturandum eſt.

6 *Phyſicam oppidò ſibi neceſſariam ducat, ut videre eſt apud Auguſtinum, lib.* 2. *de doctrinâ Chriſtianâ, cap.* 16.

7. *Arithmeticam, cum elementis Geometricis, Geographiâ, Aſtronomiâ, Chronologiâ & Muſicâ haud adſpernetur.*

8. *Philoſophiam morum ſive practicam magno ſtudio pertractet, & cum principiis revelatis, quæ ſ. literæ tradunt, exactè conferat.* Hic commendo Ethica & Politica CL. V. D. Balth. Willii Theol. & Philoſ. collegæ noſtri chariſſimi.

9. *Hiſtoriam tum profanam, tum Eccleſiaſticam, diligenter evolvat.*

10. *Cæteras philoſophiæ partes ſaltem degustaſſe ſufficit: ſi modò expendatur, quid ſingula ad Theologiam proſint.*

Caput V.
De Philologia.

1. Philologia *verò eſt medium humanum, quo ſtudioſus Theologiæ ad textuum ſacrorum Eccleſiaſticorumque ſcriptorum ſtyli intelligentiam, neceſſariarum atque utilium linguarum cognitione præparatur ac dirigitur.*

Quia verò in nuda linguarum notitiâ minimè conſiſtit eruditio; idcirco hæc cum philoſophicis & aliis diſciplinis conjungi debet, quæ ſingulæ ſuum habent uſum didaſcalicum in Theologica ſchola, etiamſi ſine ſalutis diſpendio poſſint ab idiotis ignorari. Nam πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν

σκεῖν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα, ut recte doceatur, primùm vocabula examinare oportet, ut ait philoſophus.

2. *Harum linguarum ſtudium regunt ſequentes canones.*

1. *Linguam vernaculam Theologiæ ſtudioſus præ cæteris excolat, ut illius proprietatem, puritatem, nitorem & copiam conſequatur.*

2. *Hebræam linguam, ſub qua & Chaldæam comprehendimus, è perpetua lectione V. T. condiſcat.*

3. *Græcam ad N. T. ſenſum penitùs percipiendum ſibi comparet.*

4. *Latinam, propter Eccleſiaſticorum ſcriptorum lectionem, & doctorum hominum totiuſque propemodum orbis Europæi commercium, exactè norit:*

5. *Syriſcam, Arabicam, Æthiopicam, aliaſque orientales ob paraphraſes ſcripturæ, & Rabbinicam dialectum, eamque multifariam, non quidem præcisè neceſſarias, oppidò tamen utiles ac honorarias ſibi exiſtimet.* Radiant his in orbe erudito *Ioſephus Scaliger, Hugo Grotius, Daniel Heinſius, ὁ πάνυ, Iſaacus Caſaubonus, Thomas Erpenius, F. Raphelengius, Troſtius, Ludovicus de Dieu, Conſtantinus L'Empereur, Hottingerus, Ioan. Leuſden*, & alii non è multis.

6. *Inſtrumenta hujus philologiæ ſunt cujuſque linguæ Grammatica, Lexica, Hiſtorica,*

Hanevvinckelius, *& Iohannes Coccejus*, viri de philologia præclarè merentes.

CABUT VI.
DE
Propædeuticis ſecundariis, Juriſprudentiâ nempe, & Medicinâ.

ADhuc fuerunt propædeutica primaria, philoſophica nimirum & philologica: ſequuntur ſecundaria, quæ modeſta, Iuriſprudentiæ & Medicinæ cognitione continentur.

2. *Eſt autem modeſta Iuriſprudentiæ & Medicinæ cognitio, medium humanum, quo ſtudioſus Theologiæ ad multarum rerum practicarum ad diſciplinam ſuam pertinentium intelligentiam & uſum præparatur ac dirigitur.*

Modeſtam dico cognitionem, ne vel totam in te invergas, quaſi eam profiteri velis; vel in alienam Juriſconſultorum aut Medicorum meſſem falcem tuam immittens, perperam & licenter eâ abutaris. Videſis doctiſſimum Hyperium *de formandis concionibus*, & Oratorem noſtrum *lib.* 1. *cap.* 1. *& lib.* 4. *cap.* 1.

3. *Iuriſprudentia delibanda eſt è corpore juris tum civilis, tum Canonici.*

Exemplo doctiſſimorum Theologorum *Petri Martyris*, *Theodori Bezæ*, *Caſpari*

Oleviani, *Antonii Fayi*, *Franciſci Iunii*, *Guilhelmi Stuckii*, *Guilhelmi Zepperi*, *Iohannis Brentii*, *Davidis Chytræi*, & aliorum, qui leges Moſaicas interpretati ſunt, & cum civilibus contulerunt.

4. *Ius civile ſervit ſtudioſo Theologiæ, tum ut de rebus ad communem vitam, libertatem & ſervitutem tam Chriſtianam, quàm civilem pertinentibus, variiſque caſibus & præmiis & pœnis rectè judicet & loquatur in concionibus ſuis, aliiſque partibus officii ſui obeundis: tum ut norit, quid de religione & rebus Eccleſiaſticis eo definitum ac conſtitutum ſit.*

Nam 1. corpus juris civilis non pauca, habet de S. Trinitate, de Eccleſiis, de Epiſcopis & Clericis, de hæreticis, Judæis & Chaldæis, de cauſis matrimonialibus, & id genus aliis, quorum uſus multifarius eſt, quà in diſputationibus, concionibus, conſiliis Theologicis, quà in conſcientiæ caſibus, de quibus Theologo ſæpe reſpondendum eſt pleniùs, quàm ut auditores nudè remittantur ad roſtra vel ad ſcholas Juriſconſultorum. 2. Ad guſtum & qualemcunque juris illius intelligentiam noſtri præ cæteris legere poſſunt, juxta corpus juris civilis per ſe gloſſarum, Juriſprudentiam civilem *Conani*, *Hermanni Vulteji*, *Iohannis Althuſii*, cum paratitlis *VVeſenbecii*,

qui-

quibus, ſi volunt & poſſunt, addere licet *Schneidevvinum*, *Treutlerum*. *D. Antonium Matthaum*, *Hœnonum*, *Bachovium*, in practicis *Gaylium* & *Farinacium*, in methodis utriuſque juris *Nicolaum Vigelium*; & his omnibus ſtatuta & conſuetudines loci, in quo quiſque degit.

5. *Ius canonicum ſervit ſtudioſo Theologiæ,* [redacted] *ut antiquitatem Eccleſiaſticam ex eo penitius cognoſcat,* [redacted]

Præter corpus juris Canonici ſive per ſe, ſive gloſſatum, & Inſtitutiones *Lancelloti Navarri*, methodus *Nicolai Vigelii*, paratitla *Chaſſanai*, Caſiſtæ plurimi, & lexicon Theologicum *Iodoci Lorichii* hic uſui eſſe poſſunt, & inter alia ſyntagma juris univerſi *Petri Gregorii Tholoſani*.

6. MEDICINA *delibanda eſt, ſi pote, ex Hippocrate aut Galeno, aut ſaltem ex aliquo recentiore & ad ætatem noſtram accommodatiore, puta* Johanne Fernelio, *aut* Johanne Ludovico de Pernumia, *aut* Joanne Heurnio, *aut* Daniele Sennerto, *aut* Abrahamo Frambeſario, *quibus in diateticis Pantheum Hygiaſticum* Deodati, *& Diateticum* Quercetani; *in anatomicis addi poſſunt* Veſalius, Lau-

turbatis non neceſſariæ anxietatis cauſas tollere, iiſque verorum medicamentorum uſum à phyſicis & practicis ordinariis præſcriptum, cum πληροφορίᾳ *plena fide* commendare: id quod omnino ad practici theologi officium pertinet. Exemplo eſt *Philippus Melanchthon*, *Manlius*, *Benedictus Aretius*, *Antonius Fayus*, ut omittam priſcos prophetas & apoſtolos, qui dono ſanationum valuerunt.

CAPUT VII.

DE

SS. Theologiæ apprehenſione, & nominatim de lectione ſyſtematica.

HActenus fuere ſtudii Theologici propædeutica, ad cujuſque ſtudioſi ſpiritualem ætatem, captum & uſum attemperanda: ſequuntur pædeutica, quibus ipſa doctrina ſacra, qua ad Deum propius reducimur, apprehenditur.

Scitè Johannes Ludovicus Vives lib. I. de tradendis diſciplinis p. 243. *Homo*, inquit, *ut unaquæque res, ex fine cenſendus eſt: Vanus eſt enim ac miſerrimus, ſi non aſſequatur finem: perfectiſſimus verò ac proinde feliciſſimus, ſi conſequatur.* Finis *hominis*, *quem*

quem alium poſſumus ſtatuere, quam Deum ipſum? aut ubi poteſt homo beatiùs acquieſcere, quàm in Deo velut abſorptus & in illum converſus? Eâdem viâ redeundum eſt nobis ad illum, quâ egreſſi ſumus: amor cauſa fuit condendi noſtri. Nam ut ſe nobis tanta illa communicaret felicitas, nos creavit, quo nullum eſſe evidentius amoris ſignum poteſt. Amore *ab illo nos ſejunximus, nempe noſtri ipſorum*: amore *revocati ſumus & erecti, nempe Chriſti erga nos*: amore *revertendum eſt nobis ad noſtram originem, quæ eſt eadem finis noſter, nempe noſtrâ in Deum charitate. Spiritualia enim nulla res alia conglutinare, nulla ex multis unum valet facere, niſi amor.* Amorem *verò neceſſe eſt* cognitio *antecedat. Deus nos, antequam nobis naſceremur, jam diligebat, quia jam noverat, jam illi geniti eramus: nos nati & cognoſcendi vim atque uſum adepti amamus. Quæ autem amanda ſint*, fides *monſtrabit, traditis unicuique primis & ſimpliciſſimis elementis pietatis de Deo patrè omnium, & filio ejus Ieſu Chriſto, qui ad redemtionem noſtræ carnis peccati carnem eandem noſtram induit, ſed ſine peccato. Deinde hæc eadem explicatiùs quomodo ſint & cognoſcenda & amanda, non ulla* hominum inventa, *ſed* divina *declarant* oracula, *quæ* ſacris literis per Spiritum ſ. *ſunt prodita, in quibus literis abſoluta eſt intelligentia di-*

vi-

vini cultus, quæ pietas & eadem religio nuncupatur, licet ejus vis magis actione *continetur, quàm* peritiâ. *Prima illa elementa non adeò ſunt ſimplicia, quin ad agendum ſufficiant: ea neminem prorſus oportet ignorare. Perfectio verò pietatis illorum eſt, qui altius ſeſe attollunt per charitatem, quæ ut ignea eſt, ita ignis modò ſublimes, quos poſſidet, rapit: hæc ſunt ejus, cui commiſſus eſt grex, qui & à Domino audivit, Diligis me plùs quàm hi? Hunc convenit eſſe doctrina ſana potentem, & eis, qui contradicant, reſiſtere ſicut Paulus Apoſtolus admonet. Hæc intelligentia divini cultus per ſe ipſa ſuis viribus nititur & conſiſtit: nec ullis omninò eget adminiculis, imò in illa una cuncti theſauri clauduntur ſcientiæ ac ſapientiæ, omniaque quæcunque ab aliis ſunt gentibus vel diverſis de rebus prodita, vel quadantenus de eiſdem, pueriles balbuties ſunt ac inſcitia mera, ſi cum illa conferantur ſanctâ & admirabili ſapientiâ. Hanc oportet eſſe reliquarum inſtitutionum canonem, ſicut Deum ſpirituum, & hominem animantium.* Hactenus Vives.

2. *Apprehenſio doctrinæ ſacræ fit lectione ſyſtematica & biblica.*

3. *Lectio ſyſtematica eſt idea cujuſdam, aut pleni corporis doctrinæ Chriſtianæ.*

Hoc eſt inſtrumentum apprehenſionis *placitorum*, quæ à communi Eccleſia Chri-

ſti

ſti de quolibet loco communi tenentur, cum ſuis declarationibus & demonſtrationibus.

4. *Idea ſacræ Theologiæ è compendio quodam orthodoxi Theologi crebrâ lectione animo infigenda eſt.*

Hîc antequam ſtudioſus Theologiæ ſeſe credat juſto & vaſto *doctrinæ Chriſtianæ corpori* induſtriâ pii & eruditi Theologi concinnato, tanquam pelago aut labyrintho; ſibi eligat *epitomen*, ſive *compendium* & *ſynopſin* brevem, perſpicuam, ſacris literis conſentaneam & ſatis plenam, quam judicaverit vel ſtudiorum moderator, ſiquem habeat pium & ſatis peritum, vel ipſe, ſiquidem ille deſit, omnium veriſſimam, & vel perfectiſſimam, vel ſaltem captui, ætatique ſuæ convenientiſſimam, cujus beneficio, tanquam Ariadnæ filo, ſeſe ex ampliſſimi ſtudii, quod ſub ſole eſt, ſive pelago, ſive Labyrintho citra jacturam & errorem expediat. Proſtant hujus generis hypotypoſes, ideæ, medullæ, ſynopſes & compendia varia, imprimis Theologorum Leidenſium, Dudleji Fenneri, Lucæ Trelcatii, Wilhelmi Perkinſi, Amandi Polani, Marci Beumleri, Jodoci Nahumi, Ludovici Lucii, Johannis Wollebii, Matthiæ Martinii, Johannis Henrici Alſtedii, G. Ameſii, M. F. Wendelini,

&

& ſimilium, & quoniam ita Deo viſum, noſtrum ſyntagma.

5. *Lectio pleni corporis doctrinæ Chriſtianæ eſt eccleſiaſtica aut ſcholaſtica.*

6. *Eccleſiaſtica è juſto quodam ſacræ Theologiæ ſyntagmate ab orthodoxo auctore conſcripto, ſuſcipienda eſt ad popularem inſtitutionem.*

7. *Scholaſtica inde pro cujuſque viribus & conditione per omne genus optimorum Theologorum in omnem ætatem alenda, continuanda & perficienda eſt, ad eruditæ juventutis informationem.*

8. *Hæc lectio ſcholaſtica requirit armarium inſtructum & judicium exquiſitum.*

9. *Armarium inſtructum ſit à ſcriptoribus, qui tradunt Theologiæ tum communia, tum particularia.*

10. *Communia tradunt, qui præcognita Theologica exhibent.*

Ex antiquis, Gregorius Nazianzenus *orationibus de Theologia*: è recentioribus Andreas Hyperius *in Theologo*, Franciſcus Junius *de Theologia*, Amandus Polanus *in principio ſyntagmatis*, Johannes Henricus Alſtedius *in præcognitis Theologicis*, &c.

11. *Particularia tradunt illi, qui ſcripſerunt de his, quæ pertinent vel ad Theologiam naturalem, vel ad revelatam.*

12. *De*

12. *De Theologia naturali legi poſſunt omnes, qui commentantur ſuper πρωτοκλισίαν ſive ἑξαήμερον: ut è patribus* Baſilius M. Ambroſius, Auguſtinus: *è ſcholaſticis* Bonaventura, Thomas Aquinas contra gentes; *è recentioribus*, Marſilius Ficinus, *tum de religione Chriſtiana contra Atheos, Gentiles & Iudæos; tum in Theologia Platonica de immortalitate animæ*, Philippus Mornæus *de veritate Chriſtianæ religionis*; Johannes Spinæus *de providentia*, Hieronymus Zanchius *de operibus DEI*, Johannes Picus, & Johannes Franciſcus Picus Mirandulani comites, Paulus Schalichius, Raymundus Lullius, Theophraſtus Paracelſus, Guiljelmus Bartaſſius, David Paræus in Geneſin, Johannes Arndt *de Chriſtianiſmo*, Conradus Aſtacus Danus in πρωτοκλισίαν, Benedictus Pererius *in Geneſin*, & Johannes Henricus Alſtedius *in Theologia naturali.*

13. *De Theologia revelata legi debent catechetica, dogmatica, polemica, τὰ πρὸς συνείδησιν, ſive caſus conſcientiæ, hiſtorica & concionaria.*

14. *In catecheticis legantur præ cæteris quinque; capita religionis Chriſtianæ pura & perſe.*

Dein-

Deinde pro cujuſque captu, eccleſiaſtici ſcriptores, vel omnes, vel quidam, vel unus ſaltem,ut, *ex antiquis ſymbolum* Athanaſii, *expoſitio ſymboli* Ruffini. *Catecheſis* Cyrilli Hieroſolymitani, Gregorius Nyſſenus *in orationem Dominicam, ipſiuſque oratio catechetica*. Auguſtinus de *ſymbolo*, Cyrillus Alexandrinus in *ſymbolum Nicanum*: *à recentioribus, dilucida & pia explicatio ſymboli, quod Apoſtolorum dicitur, decalogi ſeu præceptorum, & dominicæ precationis per* Deſiderium Eraſmum Roterodamum, *Catecheſis* [illegible] Melanchthonis, Chytræi, Genevenſis, Heidelbergenſis, Urſini & Paræi, *Theologia popularis* Matthiæ Martinii, *Catechetica* Johannis Arndts, Joh. Piſcatoris, Perkinſi & Alſtedii.

15. *In dogmaticis exſtant, qui locos communes ſcripſerunt, vel ſparſim hinc inde plures aut unum duntaxat: ut,*

E patribus Tertullianus, Auguſtinus, Cyprianus, alii. vel eos conjunctim certo ordine perſecuti ſunt, tum *inter Scholaſticos*, Petrus Lombardus, quem magiſtrum ſententiarum intitulant, Thomas Aquinas, Johannes Scotus, Guiljelmus Occamus, Nicolaus de Orbellis, & innumeri alii; tum ex *proteſtantibus Theologis*, Philippus Melancthon in corpore doctrinæ, Bullingerus in Decadibus, Wolffgangus Muſ-

Muſculus, [redacted] Martyr, Beza in confeſſione, Aretius in problematis, Polanus, Bucanus, Sohnius, Trelcatius, Alſtedius, Nicolaus Hemmingius in ſyntagmate, Victorinus Strigelius, Martinus Chemnitius, Matthias Haſenrefferus, Iohannes Gerhardus Theologus Ienenſis prolixiſſimè.

10. *In Polemicis adverſus varios errores & hæreſes valent.* E patribus præſertim Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Baſilius M. Arnobius contra gentes, Athanaſius *hæreticorum malleus* olim dictus, qui in concilio Nicæno primas tenuit, & Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Cyrillus Alexandrinus, qui direxit concilium Epheſenum, Theodoretus, Leo Papa, Fulgentius, Proſper; è *Scholaſticis* Thomas Aquinas, Iohannes Scotus, & Wilhelmus Occamus, & alii contra varias hæreſes: è *proteſtantibus* ultimi temporis [redacted] Melanchthon, & Martyr contra [redacted], Bullingerus contra Anabaptiſtas, [redacted] Libertinos; Beza, Pezelius, Sonnius, Pierius, & Martinius in quæſtionibus, quas Euangelici & proteſtantes Theologi ſeculo nuper præterito inter ſe ventilarunt aliquanto rigidius; Danæ-

næus, Iunius, Whithakerus, Sibrandus, Vorſtius, Ameſius, Chamierius, Epiſcopus Scarpius contra Bellarminum, Iohannes Gerhardus in locis communibus, & Iohannes Henricus Alſtedius in Theologia polemica contra varios errores. Adverſus Photinianos novos & Sociniſtas Pareus, Sibrandus, Iacobus ad Portum, Tarnovius, Stegmannus, Franzius. Adverſus hos pleroſque omnes ſyntagma Amandi Polani: Si tamen in polemica aliquid otii impendere datur à jugi lectione ſacrarum literarum, quæ in ſtudio theologico utramque faciunt paginam.

17. *Τὰ πρὸς συνείδησιν & Theologiam caſuum invenies potiſſimùm* apud patres Tertullianum, Cyprianum, Ambroſium, Chryſoſtomum, Prudentium, Auguſtinum, Macarium, Bernhardum: *apud Scholaſticos*, Bonaventuram, Hugonem de S. Victore, Dionyſium Carthuſianum, Iohannem Taulerum, Thomam de Kempis, Guilhelmum Pariſienſem: *apud recentiores tum Pontificios*, Thomam Cajetanum, Martinum Navarrum, Acoſtam, Azorium, Pereſium, Drexelium; *tum proteſtantes*, Ottonem Caſmannum, Perkinſum, Balduinum, Alſtedium, Ameſium, Taffinum.

18. *Hi-*

18. *Hiſtorica, divina cumprimis & eccleſiaſtica, quorum finis eſt religio, nihilque aliud ſunt, quàm Theologia exemplis conſtans, partim ex ſacris Bibliis, partim è ſcriptoribus eccleſiaſticis, actis conciliorum, canonico jure, patribuſque haurienda ſunt.*

Hoc ſtudium inchoari poteſt à ſacris Bibliis & Chronico Carionis à Philippo Melancthone adornato, hiſtoriâ tripartitâ, epitome Haimonis, medulla Parei: addi poſſunt centuriæ Magdeburgenſes, Oſiandri & ſimilium; indeque procedi ad omne hiſtoricorum genus, adhibitâ, tanquam Ariadnes filo, Chronologiâ & Geographiâ. Gentiles quæ de Diis ſuis finxere, eâ quidem involucris quibuſdam occultant myſteria naturæ, aut utilia continent vitæ documenta, ſed eo intuitu non hujus ſunt fori, verum ad philoſophiam pertinent, ut vir maximus Gerardus Joh. Voſſius *Artis hiſtoricæ cap.* 7. ſapienter monet. Adultioribus & candidatis ſacræ theologiæ, qui confirmatioris ſunt judicii, antiquitatis & patrum lectio cumprimis commendata eſſe debet. Quorum tamen, ut & juniorum ſcripta nunquam ſacris literis æquanda, ſed ad has exigenda, ita ut non aliter recipiantur, quàm *teſtium* loco, qui doceant, quod inde ab Apoſtolorum tempore & in quibus orbis partibus, do-

ctri-

ctrina illa prophetarum & Apoſtolorum ſincerior conſervata ſit. Studioſi, qui vel ſumtuum inopiâ, vel aliis de cauſis, ſinuoſa patrum volumina ſibi comparare & perlegere nequeunt, *Petrum Lombardum*, ſententiarum magiſtrum, qui patrum ſententias compilavit & in locos communes digeſſit, tantiſper non incommodè legent, & [redacted] inſtitutione Chriſtiana & catecheſi Urſini conferent, dum ad majora aditus ipſis patefiat. Quia vero patrum ſcripta à multis malè citantur, omnium conſultiſſimum eſt, ut ea ipſimet inſpiciant, ne aliorum excerptis decipiantur. Præcipuum verò ſtudium in lectione hiſtoriarum eccleſiaſticarum ad quatuor potiſſimùm fines referendum eſt. 1. Ut diſtinctius intelligamus patrum commentaria. 2. Ut promtiores accuratioreſque evadamus ad docendum publicè, ſive in Eccleſiâ, ſive in ſcholis. 3. Ut quæ ad ordinem eccleſiaſticum ſpectant, prudentiùs vel corrigamus, vel conſtituamus. 4. Ut in conſiliis dandis publicè privatimque circumſpectiores fiamus.

19. *Concionaria tradunt, partim per regulas, partim per exempla & commentarios.* E priſcis canones Apoſtolorum, & conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ Clementi Romano inſcribuntur, opera Dioniſii Areo-

Areopagitæ, paſtorale Gregorii M. Commentariis verò ſcripturam in primis illuſtrarunt, Theodoretus ferè totam, & Chryſoſtomus potiſſimum N. Teſtamentum inter Græcos: inter Latinos verò præcipuè Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Beda: Quibus inter ſcholaſticos accedunt Hugo Cardinalis & Nicolaus Lyra: E junioribus F. Junius & Piſcator. *E recentioribus* Eccleſiaſtes Eraſmi Roterodami & Bucani methodus Nicolai Hemmingii, Sutlivii, prophetica Perkinſi, Rhetorica Eccleſiaſtica Keckermanni & Alſtedii, axiomata practica cum poſtilla Abrahami Sculteti, de formandis concionibus Hyperius & Zepperus, uuà cum politia Eccleſiaſtica, Bucerus de regno Chriſti, de promta item rerum meditatione Matthias Martinius. Quibus adde, ſi lubet, Oratorem noſtrum Eccleſiaſticum. Exempla præbent poſtillæ [redacted], Melanchthonis, Deſideramus vero & ſollicitè exſpectamus in hanc rem plenum *ſyſtema Theologiæ practicæ* ex Anglicanis auctoribus concinnatum à reverendiſſimo in Chriſto patre & domino, *D. Iacobo Archiepiſcopo Armacano, totius Hyberniæ primate,* domino plurimùm colendo: quem inſignem theſaurum ut cum ciſmarinis no-

noſtris Chriſtianis Anglicanæ dialecti ignaris promtè communicet, qua par eſt reverentiâ obteſtamur.

20. *Atque ab his armarium ſacræ Theologiæ ſtudioſi pluſquam ſufficienter ad lectionem corporis doctrinæ Chriſtianæ inſtructum eſt: ſequitur judicium exactum, quo verſantis in hac lectione ſtudium dirigitur.*

21. *Sunt autem hic tenendæ ſequentes regulæ criticæ ſive judiciariæ.*

1. *Sacræ Theologiæ ſtudiſus à teneris unguiculis in lectione Biblica innutritus, doctrinâ catecheticâ jam probè cognitâ & memoriæ firmiter traditâ, ideam locorum communium intelligentiâ & memoria ſimilem in modum apprehenſam, in ſyntagmatica lectione pro perpetua cynoſura adhibeat.*

2. *Syntagma Theologicum, quod quidem haberi poteſt, pleniſſimum, & maxime orthodoxum, & quàm proximè ad ſacras literas verborum & ſententiarum dignitati accedens ſibi familiare reddat, ut ad illud, quæ alibi etiam legit, beneficio Ideæ jam ante perceptæ, ſapienter referat.*

3. *Omnes concluſiones ſyntagmatis Theologici ante omnia ad ſacram Scripturam, tanquam unicum Chriſtianæ fidei principium & canonem examinet, in hoc unicè eas fundet, & ex hoc interpretetur.*

4. Deinde *cenſenſum catholicum in interpretatione è ſymbolis Catholicis & ſex conciliis potiſſimum exquirat.*

5. Primum *eſt Nicænum* à Conſtantino Magno indictum anno æræ Chriſtianæ 325. cui interfuêre Epiſcopi toto orbe convocati 318. præter innumeram preſbyterorum, diaconorum, aliorumque virorum eccleſiaſticorum multitudinem. In hoc damnatus fuit *Arrius* presbyter Alexandrinus.

6. Alterum concilium generale eſt *Conſtantinopolitanum I.* anno 383. à Theodoſio M. celebratum contra *Macedonium*, & qui cum hoc Spiritus Sancti deitatem negabant.

7. Tertium eſt *Epheſinum*, à Theodoſio juniore contra *Neſtorium* anno 431. indictum.

8. Quintum eſt *Chalcedonenſe*, anno 451. contra *Eutychum* & *Dioſcorum* à Marciano Imperatore convocatum.

9. Quantum eſt *Conſtantinopolitanum II.* anno 548. vel, ut alii numerant, 553. à Iuſtiniano contra *Arianos, Neſtorianos, Eutychianos*, indictum.

10. Sextum eſt *Conſtantinopolitanum III.* contra *Monothelitas* anno 681. à Conſtantino Pogonato ſive Barbato indictum.

11. Tertiò, *à conciliis hiſce univerſalibus*

fiat

fiat tranſitus ad patres, quorum ætates in tres periodos Chronologicè diſcernantur, quarum ſingula 300. *ferme annis contineantur*. Hi verò non cum *credendi neceſſitate*, ſed cum *judicandi libertate* legantur, quia cum à ſacra ſcriptura, tum inter ſe, tum puritate, tum antiquitate plurimùm differunt. Multi eorum libri ſuppoſititii ſunt ad colorandum errores Papatus.

12. Prima *periodus* eſt eorum, qui floruerunt inde à tempore Apoſtolorum uſque ad concilium Nicæoum, h. e. ad annum Chriſti 325. ut ſunt, *Clemens Romanus* (niſi eſt ſuppoſititius) *Ignatius*, *Polycarpus*, *Dionyſius Aropagita* (ſi γνήσι©, de quo tamen vide I. Caſaubonum adverſus Baronium) *Iuſtinus Martyr*, *Athenagoras*, *Theophilus Antiochenus*, *Irenaus*, *Tertullianus*, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Euſebius Cæſarienſis*.

13. Secunda *periodus* eſt eorum, qui docuerunt à concilio Niceno uſque ad concilium Conſtantinopolitanum III. id eſt, ad annum Chriſti 681. ut ſunt *Athanaſius*, *Hilarius*, *Cyrillus Hieroſolymitanus*, *Baſilius M Gregorius Nazianzenus*, *Epiphanius*, *Ambroſius*, *Gregorius Nyſſenus*, *Hieronymus*, *Ruffinus*, *Prudentius*, *Iohannes Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodo-*

tetus, Leo Papa, Proſper Aquitanicus, Vigelius, Gelaſius Papa, Fulgentius, Boëtius, Gregorius M. Iſidorus Hiſpalenſis.

14. Tertia *periodus* eſt eorum, qui claruerunt poſt concilium ſextum univerſale ab anno Chriſti 681. uſque ad annum 1000. ut ſunt *Venerabilis Beda, Iohannes Damaſcenus, Bonifacius Moguntinus, Paullus Diaconus, Albinus Alcuinus, Rabanus Maurus, Haymo Halberſtadenſis.* Videſis Medullam patrum Abrahami Sculteti, Criticum ſacrum Andreæ Riveti, opuſcula Theologica Danæi.

15. *Patres primæ periodi in dogmatibus præferendi ſunt patribus ſecundæ periodi, & hi patribus tertiæ periodi, quantùm ad doctrinæ puritatem.*

16. *Monumenta patrum certa, indubitata, & extra controverſiam poſita à dubiis, ſpuriis & ſuppoſititiis prudenter diſcernenda ſunt.* Hîc ſagaciſſimus eſt cenſor *Eraſmus Roterodamus*, cui adjungimus viro χαρίεντας *politos* & illuſtres, Joh. Ludovicum Vivem, Iſaacum Caſaubonum, Joſephum Scaligerum, Franciſcum Junium, Guiljelmum Perkinſum, Andream Rivetum, Dan. Heinſium, & D. Claudium Salmaſium, novum decus Academiæ Leidenſis.

17. *Quibus indiciis Critici diſcernunt geminos libros Ariſtotelis, Ciceronis, Platonis &*

& ſimilium à ſpuriis ; iiſdem patrum ſcripta vira à fictitiis diſcernenda ſunt.

18. *Rhetoricationes patrum á proprietate ſermonis & accuratiore loquendi formâ cum judicio diſtinguendæ ſunt.* Et in his ſcriptis patrum evolvendis quidam ſuadent ut initium fiat, à *Tertulliano* & *Cypriano*, quos ſequatur *Baſilius Magnus* & *Nazianzenus*, & ab his eatur ad *Hieronymum* & *Auguſtinum*, aliorumque prolixiores commentarios. Præſtat tamen, ut ordo chronologicus hîc obſervetur ; & ab iis, qui Apoſtolorum dicipuli fuere, lectio inchoëtur, & per ſingula deinceps ſecula uſque ad auctores ætatis noſtræ continuetur ad ideam Apocalypticam, que exhibet 1. eos, qui Apoſtolos ipſos audiverunt à Chriſti aſſenſu uſque ad Trajanum ; ut ſunt *Epheſini*. 2. Eos, qui ſub tyrannis veritatem teſtati ſunt à Veſpaſiano uſque ac Conſtantinum M. ut ; ſunt *Smyrnenſes*. 3. Eos, qui à Conſtantino M. uſque ad Carolum M. cum hæreticis luctati ſunt, ut *Pergamenſes*. 4. Eos qui à Carolo Magno ad Carolum V. [redacted], ut *Thyratirenſes*. 5. Eos, qui à Caroli V. tempore, [redacted], gratiam Euangeii amplexi ſunt ſub conditione *Sardenſi*, Apoc. 2. & 3. qûemadmodum infrà lib. v. Sanctæ Theologiæ plenius cognoſcetur.

19. *Patrum ſcripta omnia ad ſacrarum literarum normam exigenda, & cum ſex œcumenicorum Conciliorum decretis ſymboliſque receptis conferenda ſunt.*

20. *Eccleſiaſticos ſcriptores, quos* patres *appellamus, excipiant* doctores ſcholaſtici, *qui in ſuas quoque tres ætates prudenter diſſeparentur.*

21. Prima *ætas ſcholaſticorum* eſt eorum, qui floruerunt ab anno Chriſti 1000. uſque ad annum 1220. Et invectos in Eccleſiam errores non tam ſacrarum literarum teſtimoniis, quam patrum ſententiis malè intellectis & verbo Dei æquatis aſſerere ſtuduerunt. Anteſignanus eorum fuit *Lanfrancus*, quem ſecuti ſunt *Gaitmundus, Anshelmus, Hugo de S. Victore, Gratianus* juris canonici compilator, *Petrus Lombardus* magiſter ſententiarum & reliquorum ſcholaſticorum.

22. In hanc ætatem inciderunt quidam patres ſeu Eccleſiaſtici ſcriptores, ut *Theophilactus, Oecumenius, Bernhardus Clarevallenſis.*

23. Altera *ætas ſcholaſticorum* eſt ab anno Chriſti 1220. uſque ad annum 1330. quâ philoſophia ſecularis Theologiam ita conſpurcare cœpit, ut refert Iohannes Trithemius, Abbas Spanhemenſis, ut errores ac ritus à Pontifice Romano inve-

ctos

ctos non è patrum ſententiis in morem ætatis progreſſæ, ſed ratiunculis philoſophicis palliaverint. Principes hujus ætatis fuerunt *Guljelmus Pariſienſis*, *Alexander Alenſis*, *Albertus M. Thomas Aquinâs*, *Iohannes Duns Scotus*, *Bonaventura*, *Durandus*, *Guiljelmus Occamus*, *Nicolaus Lyranus*, *Gabriel Biel*, *Nicolaus de Orbellis*, *Gregorius Ariminenſis*,

24. Tertia *ætas* eſt ab anno Chriſti 1330. usque ad anuum 1517. quo B. Lutherus gratiâ Euangelii armatus pro virili ſuâ Romano Pontifici & ſcholaſticæ Theologiæ bellum indixit. Hæc ætas omnium fuit peſſima; & quæ priori fuerunt in quæſtione, ea hæc determinavit infeliciſſimè. Vixerunt hæc ætate *Iohannes Capreolus*, *Petrus de Alliaco*, *Iohannes Gerſon*, *Thomas VValdenſis*, *Iohannes de Turrecremata*, *Nicolaus Cuſanus*, *Dionyſius Carthuſianus*, *Iohannes Thaulerus*, *Baſilius ſive VVeſſelus Groningenſis*, lux mundi dictus, *Dominicus Sotus*.

25. *Scholaſticorum lectio cautè inſtituta prodeſt iis duntaxat, qui in ſacra ſcriptura & ſana doctrina jam ante ſatis probè confirmati & potiſſimum in ſcholis docturi ſunt.*

26. *Qui verò ſcholaſticos leget, is ex ætate prima potiſſimum evolvat* Anſelmum, Gratianum, Lombardum; *ex altera* Thomam

Aquinatem, Scotum, Occamum, Lyranum: *ex ultima* Gerſonem, Carthuſianum, Johannem Thaulerum, Weſſelum, Johannes Duns Scotus lib. 3. ſentent. diſtinct. 24. quæſt. 1. ſcribit, *Magiſtros ſcholarum philoſophiam cum Theologia maximo cum fructu miſcuiſſe.* Verùm *Iohannes Aventinus*, homo pontificius, ſed hiſtoricus inſignis, de *Petro Lombardo*, Magiſtro ſententiarum, commemorat, quod ſacroſanctæ Theologiæ veritatem fontemque puriſſimum cœno quæſtionum, rivuliſque opinionum conturbaverit. Ambroſius Catharinus libro contra Dominicum à Soto ſtatuit, *ſententiarios*, qui ſacram ſcripturam ſuæ rationi & philoſophiæ poſtpoſuerunt, à recta via ſæpius aberraſſe. Idem judicium eſt Jacobi Fabri Stapulenſis, Jodoci Clitovæi, Joh. Ludovici Vivis, Thomæ Mori, Orthovini Gratii, Alberti Pighii, Henrici Cornelii Agrippæ, Auguſtini Steuchi Eugubini, hominum in medio papatu natorum. Melchioris Cani, epiſcopi Canarienſis judicium de ſcholaſticis Doctoribus dignum notatu eſt lib 8. L.C.cap.1.p.379. *Intelligo*, inquit, *fuiſſe in ſchola quoſdam Theologos adſcriptitios, qui univerſas quæſtiones Theologicas frivolis argumentis abſolverint, & variis invalidiſque ratiunculis magnum pondus rebus graviſſimis de-*

detrahentes, ediderint in Theologiam commentaria, vix digna lucubratione anicularum. Et cùm in his ſacrorum Bibliorum teſtimonia rariſſima ſint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis ſanctis oleant, nihil ne ex gravi philoſophia quidem, ſed ferè puerilibus diſciplinis; Scholaſtici tamen ſi ſuperis placet, Theologi vocantur, nec ſcholaſtici ſunt, nedum Theologi, qui ſophiſmatum feces in ſcholam inferentes & ad riſum viros doctos incitant, & delicatiores ad contemtum. Verba Cani ſunt, quid ſi Calvini aut Lutheri? Sed & proba eſt cautio Alfonſi Salmeronis Tolerani, tom. I. Comment. in Euang: Hiſtoriam proleg. 9. *Cum*, inquit, *hoc genus Theologiæ* (ſcholaſticæ) *commendo, nolim ut quiſpiam in illis ſtudiis conſeneſcat: ſed moderatum ac certum tempus illis diſputationibus impendat*; ut ad meliora & ſuaviora ſacrarum literarum ſtudia tempeſtivè perveniat. *Quidam enim ita in illis ſtudiis immodicè hærent, ut ad meditandas ſcripturas & tardi accedant, & aridi prorſus & jejuni inveniantur.* Et votum *Leonhardi Marii*, nuperi profeſſoris Colonienſis, noſtrum facimus, Tom. 8. comment. ſuper univerſam ſcripturam S. proleg. quæſt. 8. ſ. 3. *Vniverſitates quoque & ſtudia publica pro utilitate Chriſtianæ reip. facerent, ſi paullo diligentiorem haberent rationem divini*

verbi proponendi, explicandi, examinandi, & ſupra Ariſtotelem, S. Thomam, imò & B. Auguſtinum, pulpita & ſubſellia Chriſtum & ſcripturas ſonarent, prout in laudatiſſimis Belgii noſtri univerſitatibus hodie fit, &, ut diu fiat, ex animo voveo.

27. *Hiſtoria Eccleſiaſtica, partim è ſacris biblius, partim ex Ioſepho, Egeſippo, Euſebio, Nicephoro, Hiſtoriâ tripartita, Socrate, Zozomeno, Theodoreto, Sulpitio Severo, Cedreno, Haymone, Centuriis Magdeburgenſibus, catalogo teſtium veritatis, Martyrologiis, compendio Oſiandri, Medulla Parei, M. Matthæi Vogelii tum peregrinatione Eccleſiæ, tum Eccleſia militante, & ſyntagmata hiſtoriarum Eccleſiæ omnium Iohannis Micrelii, T. Geſſelii Hiſt. Sacra & Eccleſiaſtica Vet. & Nov. Teſtamento Trajecti edito* 1658. *& ſimilibus cognoſcatur.*

28. *In Theologorum præſtantium, imò & aliorum omnium, ſcriptis, ſi qua durius aut incommodiùs dicta occurrant, qualia non pauca humanæ infirmitati multis de cauſis, præſertim in calore diſputationis & ſtudio partium ſæpe excidere ſolent, ea neque exagitanda neque imitanda, ſed notanda & vel commode interpretanda, vel, ſi commodam interpretationem non ferant, prorſus cavenda ſuiſque auctoribus relinquenda ſunt.*

29. *In Theologorum ſcriptis deſcriminentur dogmatica ab elencticis, irenica à polemicis,*

ſynop-

ſynoptica à diexodicis, methodica ab oratoriis, praecepta & canones à commentariis.

30. *Controverſias, quæ in Theologia à curioſis vel contra eos moventur, ne tractato, ne legito, ne attingito quidem, priuſquam fundamenta vera ſanaque doctrinæ Theologicæ mediocriter poſueris, ut ne antequam præcepta & principia ejus bene intellexeris, ſiniſtrè de iis judices.* Præmittantur igitur, face ſacrarum literarum ubique prælucente, omnemque lectionem cynoſuræ ad inſtar dirigente dogmatica & hiſtorica elencticis, irenica polemicis: & ſic quoque ſynoptica diexodicis, methodica oratoriis, præcepta & canones commentariis.

31. Quicquid in claſſicis Theologis aut alibi occurrit egregium, id in Ephemerides, ſive diarium, tanquam locorum communium theſaurum recondas quàm ſimſpliciſſimè per numeros paginarum & obſervationum diſtinctum, quos numeros index in capite aut calce appoſitus cum titulis rerum & verborum, quæ jam theſaurus tuus capit, uſibus tuis exhibeat: ut ſolent libri rationarii mercatoribus opes ſuas, earumque diſpenſationem exactiſſimè repræſentare.

32. Si, quod graves Theologi nunc paſſim optant, divinæ diſpoſitionis & *ἀδιαφορίας* foret, ut eccleſia Chriſti lacera & in

 par-

partes ſciſſa coiret, ſublatis contentionibus & tyrannicis hominum additionibus, præter ſacrarum ſcripturarum & hiſtoriarum eccleſiaſticarum ſedulam lectionem miniſterii ſacri candidatus ad principia ſive catecheſin Chriſtianæ religionis, nihil aliorum auctorum adjungere magnopere laboret, opuſve habeat, niſi ad cognoſcendum in vero conſenſum aut diſſenſum & donorum varios gradus. Id quod ſapientiſſimus Germaniæ præceptor, Philippus Melanchton præfat. in L. C. rectè obſervat. *Etſi*, inquiens *hunc ordinem* (nimirum librorum propheticorum & Apoſtolicorum à Geneſi Moſis ad Apocalypſin Johannis) *animadvertenti non multum opus eſt commentariis aut noſtris libellis, aut ſimilibus: tamen, quia vult Deus in Eccleſia vocem docentium ſonare, ut dicitur de miniſterio Euangelii* Eph. 4. *non fruſtra labor docendi ſuſcipitur. Non gignimus novas res ſeu materias, ut Heſiodus aliud tradidit quàm patres Sem, Iaphet: & haretici res novas comminiſcuntur, non traditas ab Apoſtolis, ſed pii interpretes acceptas à Deo ſententias in prophetica & Apoſtolica narratione, bonâ fide recitant, & quia rudes non ubique genus ſermonis intelligunt, non ſtatim vident ordinem rerum, commonefaciendi ſunt voce interpretum de genere ſermonis, & de rerum ordine.*

ne. Et quia multa corruptelæ ſubinde excogitata ſunt & excogitabuntur, pii paſtores & Doctores ſunt teſtes veræ ſententiæ certâ auctoritate accepta, & refutatores falſarum interpretationum. Propter has cauſas Deus miniſterium Euangelii, & ſtudia in templis & in ſcholis ſua ope ſervat & ſubinde reſtituit, ut ſimus CUSTODES LIBRORUM PROPHETICORUM & APOSTOLICORUM, & TESTES VERÆ INTERPRETATIONIS, & REFUTEMUS *omnes* OPINIONES *pugnantes cum doctrina tradita per prophetas,* CHRISTUM *& Apoſtolos, ne exſtinguatur lux Euangelii.* Hucuſque Philippus.

CAPUT VIII.

DE

Lectione biblica, & quidem nominatim de GNOSTICA, ſeu epiſtemonica.

Lectio biblica eſt alterum medium pædeuticum, quo doctrina ſacra à ſtudioſo Theologiæ è vero ac divino principio, Bibliis ſacris, eorumque compendio, quod ab omnibus Chriſtianis agnoſcitur, decalogo videlicet, ſymbolo Apoſtolico, oratione dominica, diſciplina eccleſiaſticâ, & utroque ſacramento, ſolidè riteque apprehenditur.

Sicuti Theologiæ ſtudioſus à teneris adſuevit lectioni Biblicæ ſimpliciori: ita in ætatem omnem ad ἀκειβολεξίαν uſque eam cum Timotheo continuare debet, 1 *Tim.* 4.13.14.15. 16. *Iacob.* 3. 2. & hæc illi, qui, extra ſcholas & diſputationes cum hæreticis,rudem populum inſtituturus, aut ſuæ ſuorumque duntaxat conſcientiæ privatim conſulturus eſt, cum ſimpliciſſima catecheſi Chriſtiana ſelectis ſcripturæ textibus quibuſdam comprehenſa, catholicè recepta, vel ſola ſufficere poteſt, omiſſo & ſcholaſticis relicto armario, quod *cap.* 7. *aph.* 6.7. & ſequentibus inſtruximus,argumento, 2 *Tim.* 3.15.16.17. & *Heb.* 13.8.9. 1 *Cor.* 1.17. & 2. 4. Et hæc lectio Biblica eſt inſtrumentum apprehenſionis *principiorum*, quibus *placita* veræ Eccleſiæ nituntur, Perſuaſiſſimum igitur ſit unicuique, maximè ſ. Theologiæ ſtudioſo, planè neceſſarium eſſe, ut in ſacris Bibliis aliquot quotidie perlegat capita. *Mare* enim eſt *ſcriptura*, teſte Gregorio Magno homil. 6. in Ezech. *in quo agnus peditat, & elephas natat.* Neque eſt dubium, ſi quis vel ſemel in anno Biblia univerſa evolverit, eum hoc ipſo poſtmodum gaviſurum, hujuſque diligentiæ fructum maximum percepturum. Hac propter ſine mora quiſque ſibi hanc legem ferat, ei-

que

que omni curâ, quoad vixerit, parere ſtudeat. Nemo enim melius ad officium exſtimulatur & in eo retinetur, quàm qui ſibi ipſe lex & judex ultro exſiſtit. Quiſque, ubi ordo lectionis per negocia ex improviſo interruptus fuerit, confeſtim id animadvertat, & pœnas à ſe ipſe poſcat.

2. *Eſtque partim gnoſtica ſive epiſtemonica, partim monemonica, partim critica.*

3. GNOSTICA *ſeu epiſtemonica eſt, quâ ſecundùm regulas quaſdam, remotis impedimentis & adhibitis mediis convenientibus, germana ſcripturarum ſententia percipitur.*

Prima enim tam docentium, quam diſcentium Theologiam cura ſit, ut boni fiant TEXTUALES, ut D. Chytræus & alii cordati Theologi loquuntur, quod obtinebunt, ſi calidâ prece, ſancta intentione, adhibitis adminiculis jam propoſitis, textum Biblicum quotidie certo ordine evolvant, reſolvant & ex eo conciones de articulis fidei, hiſtorias omnes, & inſigniora dicta ſibi familiaria reddant, & quantum pote memoriæ infigant: quod longè ſatius eſt, quàm ſiquis per omnes hominum commentarios volitet.

4. *Impedimenta, quæ in lectione ſcripturarum vel intelligentiæ vel appetentiæ noſtræ, vel utrique obſtant, hæc potiſſimûm amovenda ſunt.*

Primò

Primò officiunt intelligentiæ, 1. Sapientia & prudentia carnalis, *Rom.* 8. *verſ.* 5. 6. 7. 2. Naturæ depravatæ cæcitas 1 *Cor.* 5. *v.* 14. 3. Ignoratio neceſſariorum adminiculorum, nempe Catechiſmi *Heb.* 5. *v.* 1. 2. philologiæ & philoſophiæ, quæ ſunt famulæ ſtudii Theologici. 4. Neglectio lectionis Biblicæ. 5. Omiſſio mediorum neceſſariorum, quæ ſunt precatio devota, collatio dictorum ſcripturæ & ſimilia, de quibus partim antea diximus, partim poſtea dicemus. 6. Interpretum inſcitia aut malitia. 7. Anticipata apprehenſio *placitorum* ante apprehenſionem *principiorum*, quæ ſic per alienas interpretationes & majorum dictamina infici poſſunt.

Secundò appetentiæ ſive affectui noſtro obſtant. 1. Impietas, 1 *Pet.* 3. *v.* 16. *&* 18. 2. Odium & faſtidium veritatis propter amorem & ſtudium rerum mundanarum, præceptæ opiniones, & indocilitas, quam parit præjudicium, 2 *Theſſ.* 2. *v.* 10. 11. 12. *Matth.* 16. *v.* 6. *Col.* 2. *v.* 8.

Tertiò utrique ſimul obſunt, 1. contemtus ſacræ ſcripturæ & ejus piorum, doctorumque interpretum. 2. Immodica diſciplinarum externarum lectio & tractatio præpoſtera humanorum ſcriptorum. 3. Ingratitudo in Deum, cum quis pro lumi-

mine ſibi in lectione ſacrâ incenſo non agit Deo gratias, neque rebus credendis & agendis illud accommodat.

5. *Media in lectione biblica adhibendæ ſpectant affectum aut intellectum.*

6. *Affectum ſpectant hæc octo.* 1. Converſio ſeria ad Deum. 2. amor & deſiderium cœleſtis veritatis. 3. docilitas. 4. firma perſuaſio, ſcripturam eſſe à Deo profectam, & verum ſcripturæ ſenſum à nemine ex proprio aut alieno ſive humano ſive angelico ingenio poſſe inveniri, ſed à ſolo Deo revelari 2 *Pet.* 1. 20. 21. 5. precatio devota. 6. voluntas faciendi voluntatem Dei cognitam, *Ioh.* 7. 17. 7. Aſſidua ſcripturæ meditatio. 8. Perpetuus adſpectus ſcopi ac finis ſacræ ſcripturæ, qui eſt Chriſtus, ejuſque gratia, *Act.* 10. *v.* 43.

7. *Intellectum ſpectant hæc ſeptem.* 1. diligens conſideratio verborum. 2. analogia fidei. 3. conſideratio ſubjectæ materiæ & ſcopi. 4. conſideratio contextus ejuſdemque vera & harmonica analyſis ac diſpoſitio. 5. conſideratio circumſtantiarum. 6. conciliatio locorum ἐναντιοφανῶν. 7. Uſus claſſicorum ſcripturæ interpretum.

8. *Sunt autem hic tenendæ regulæ ἑρμηνευτικαὶ tum generales, tum ſpeciales.*

De

criter intelligas, memoria tua firmiter ac prope vebotenus complectatur. *Luc.* 11. *v.* 35. 6. Quando nobis ignota ſunt ea, quæ prius cognoſci debebant, poſteriora, etiamſi velimus, intelligere non poſſumus. Nam Deus vult omnia, ut ſunt certo ordine conſtituta, ita etiam certo ordine cognoſci. Unde ſcitè Ambroſius. *Diverſa*, ait, *ſunt ſcripturarum fluenta. Habes quod primum bibas, habes quod ſecundum, habes quod poſtremum.* 7. Lucem ab hominibus petitam ſcripturæ ne inferto. Nam ſic tibi obſtaculo eris, ne ſcripturæ lux inſita in intellectu tuo operari & ad profundioris ſapientiæ latices te devehere poſſit. Et principiis hominum inbutus facile inflatur, ut etiam ad ea ſcripturam ſacram metiri auſit. 8. Commentaria ante ſacram ſcripturam ne legito, juxta regulam tertiam jam ſuprà non temere traditam.

Illa enim ante hanc lecta, animo opinionum ſiniſteritatem haud raró ſuggerunt. 9. Omnia te obſcura, quæ in ſcripturis occurrunt, ſcire debere ne putato. Deus vult tibi multa manere incognita, ut tuam ipſius agnoſcas imperfectionem. Sicut enim hæc omnia, quæ in magno libro NATURÆ latent, inveſtigare non quivis tenetur: ſufficit enim,

enim, ut pro vocatione & neceſſitate ſua quædam expiſcetur, & cætera aliis relinquat: ita & nemo tenetur omnia, quæ in Scriptura obſcura ſunt intelligere. Quis enim profunditatem divinæ ſapientiæ exhaurire poſſet? 10. Poſtquam fundamentum fidei & pietatis è ſcripturis poſuiſti, commentarios aliorum quoque legere fas eſto. Conducit enim hoc ad deprehendendum conſenſum plurium in vero, & judicium de eo firmandum. 11. Si divino ſacrarum literarum nectare irrigari & refocillari cupis, mundanas delicias cruce Chriſtiana atterito. Nam mundanorum memor & amans, divina vix ſapiet. 12 Etſi unuſquiſque ipſe de horis lectionis biblicæ, pro ratione vocationis, loci & temporis conſtituere poſſit: tamen matutinum & veſpertinum tempus maximè commendari videtur. *Deut. 6. verſ.* 11, 19. 13. Curatio ſit præcipua, quas quis horas deſignaverit, eas conſtanter & ſine interruptione, lege inviolabili, licet abſque ſuperſtitione, perpetuo obſervet. 14. Quod ſi ex inopinato accidat, quo propoſitus ordo interturbetur, omnibus modis providendum eſt, ut alio tempore reſarciatur. 15. Maximè conſultum fuerit à Moſis Geneſi & pſalterio le-

ctio-

ctionis Biblicæ initium fieri, & hoc ſeorſim legi & aliquoties repeti, aut etiam ſi pote diſci. Scitè enim Baſilius Magnus appellat *κοινὸν ταμιεῖον ἀγαθῶν διδαγμάτων*, *commune promtuarium bonorum documentorum.* Vide conſilium doctiſſimi Hyperii, *lib.* 2. *de lectione ſacra Scripturæ pag.* 180. Si pſalmos ſeorſim legendos non adnumeres, & unaquaque ſeptimana perlegeris capita quindecim, ſingulis videlicet diebus bina & ſeptimo quoque tria, omnes Vet. Teſt. libri ſemel intra annum abſolventur, exceptis tantum tribus diebus reſiduis. 17. Libri apocryphi, in quibus tantum ſtudii, quantum in canonicis non ponendum eſt, omnes uſque ad unum intra anni ſpatium dexterè perlegentur; ſi unaqualibet ſeptimana perlegeris tria capita, duabus verò ultimis tredecim. 18. Si unaquaque ſeptimana in novo teſtamento perlegas capita quinque, præciſè anni ſpatio abſolves. 19. Id quod in ſacra Scriptura tibi faciendum legis, id agere tibi ſtudioſè proponito. *Ioh.* 7. 17. 20. Vetus Teſtamentum è novo illuſtrari ſcito, *Hebr,* 7, 12, 16, 18, 19, 20. 21. 22. *&* 6, 7, 8, 9 15. 2 *Cor.* 3. *v.* 14, 15, 16. 17. 18.

10. *Spe-*

10. *Speciales verò regulæ ſunt iſtæ*: 1. Quantum ad *conſiderationem verborum* & phraſium. 1. In ſacra Scriptura divinus eſt ſermonis character, hic autem poſitus eſt in ſtyli ſimplicitate, majeſtate, evidentiâ, efficaciâ, brevitate, plenitudine, cohærentiâ. 2. Senſus ſcripturæ propriè unicus eſt, nempe grammaticus ſeu literalis. 3. Eſtque ſimplex aut compoſitus. 4. Simplex eſt vel proprius, qui per excellentiam literalis dicitur, ut 2 *Chron.* 12.6. vel figuratus, qui & tropicus & allegoricus uſitate dicitur, ut *Pſal.* 2.4. 5. Compoſitus eſt, cujus pars eſt in typo, pars in re & veritate typo expreſsâ, ut in iis locis, quibus ſub typo quippiam deſcribitur. Valet hîc regula: *Propria ſcripturæ ſignificatio tam diu urgenda eſt, donec nihil abſurdi ex eâ ſequitur.* 6. Analyſis grammatica & rhetorica ſic inſtituatur, ut appareat, quid ſtylus ſcripturæ proprium, quid cum aliis autoribus commune habeat. Illuſtre ſpecimen videſis apud Dominum *Matthiam Martinium* τὸν μακαρίτην in Pſalmum] ſecundum. 7. Enunciata ſcripturæ ſunt στοιχειώδη, quorum ſigna & ſignata ſunt manifeſta, ut *Gen.* 1.*v.* 39. vel σεμνὰ, quorum ſignata obvia quidem ſunt, at ſigna aliquantò ſublimiora, ut

Ioh.

Ioh. 10. vel *μυστικά*, quorum ſigna communiter ſunt obvia, ſignata non item, ut 1 *Cor.* 11. 10. vel *ὀνομαστικά*, quorum ſigna & ſignata ſunt in abdito, ut *Gen.* 30. *v.* 14. 8. *Λογογραφικὴ ἀνάγκη* intellectum cumprimis fulcit, ſi ſumitur è lingua originali & verſionibus claſſicis.

II. Quantum *ad analogiam*, regulæ ſunt iſtæ. 1. Omnis interpretatio ſcripturæ ſit analoga fidei, *Rom.* 12. *v.* 6. 2. Analogia fidei habeat adjunctam comitem analogiam charitatis. 3. Analogia fidei exhibeat principia credendi; analogia charitatis principia piè vivendi.

III. Quantum ad *ſubjectam materiam & ſcopum*, regula unica eſt. Interpretatio ſcripturæ neque præter ſcopum dicentis, neque contra naturam rei, de qua igitur, extendenda eſt.

IV. Quantum *ad contextum*, unica. Interpretatio textuum *continuorum* lucem fœneratur ab antecedentibus & conſequentibus; *diſcretorum* non item: *utrorumque* verò ab exactiſſima ſacrorum librorum harmonia & diſpoſitione literæ, qua in ſacris Bibliis Spiritus ſanctus uſus eſt.

V. Quantum *ad circumſtantias*, unica, Interpretatio hiſtoriarum ſit *περιστατική*, è *circumſtantiis*.

VI. Quantum *ad conciliationem* locorum

rum in ſpeciem pugnantium, unica. Interpretationis conciliatricis norma eſt lex oppoſitionis. Videſis parallela *Franciſci Iunii*, Symphoniam *Ioh. Scarpii*, harmoniam totius ſcripturæ *Michaëlis Gualtheri*.

VII. Quantum *ad uſum* & inſpectionem claſſicorum *interpretum* ſacræ ſcripturæ, ſit unica. Interpretaturus ſacras literas, ſi pote, operam dabit, utrum unum aliquem eximium interpretem in univerſam ſcripturam, tum in ſingulas ejus partes nobiliſſimum quemque & præſtantiſſimum nôrit, poſſideat, legat. Videſis de his autoribus bibliothecam Geſneri & Sixti Senenſis. Ideam diſpoſitionum Biblicarum D. Balduini., olim Profeſſoris Wittebergenſis, apparatum Poſſevini, bibliothecam Draudii, item compendium Theologiæ Alſtedii, *part.* 1. *c.* 12. & audi prudens piorum præceptorum conſilium.

Caput IX.

De

Lectione mnemonica & critica.

HÆc de lectione gnoſtica, quæ intellectum rebus ac verbis ſacris è ſcriptura informat: ſequitur Mnemonica *: quæ iiſdem theſaurum memoriæ ſecundùm certas regu-*

regulas ſtipat ac fulcit. 1. Exemplar bibliorum vernaculorum tibi comparabis, eoque ætatem omnem ita conſtanter uteris, ut adſcriptis ſingulorum librorum ſingula capita titulis mnemonicis, qui veluti in tabula ad ſingularum paginarum frontem appoſita ſummam bibliorum exhibeant, & ſæpius perlecta ac inſpecta tibi memoriam localem pariant. Tabulam in hunc uſum concinnatam vide apud Alſtedium in Theologia prophetica *pag.* 864. *& ſeqq.* & compendio Theologico *pag.* 21. 22. *& ſeqq.* 2. Chronologia librorum biblicorum exactè condiſcatur, ut ſemper in conſpectu & promtu ſit. Vide eam *tomo* 1. *Perkinſi in fine, item in indice Chronologico Abrahami Bucholtzeri*, eo item, qui bibliis à D. Luthero tranſlatis Herbornæ & alibi editis præfigitur, & in Theologia prophetica Alſtedii *pag.* 239. *& ſeqq.* 3. Chronologicam impreſſionem excipiat typica, qua diſtinctis ſchematibus perpetua bibliorum catena deſcribitur. Vide Analyticas tabulas *Moſis Pflacheri & Brandmülleri* in univerſam ſcripturam, præcognita item Theologica Alſtedii *pag.* 85. *& ſeqq.* item Sixtum Senenſem in bibliotheca ſacra, quibus Nicolaus Liranus analyſi ſuâ glaciem in poſtillis ſuis

Biblicis jam olim fregit. 4. Memoriale biblicum è vulgatis Latinis bibliis olim Venetiis editis, à Sixto Senenſe in bibliotheca repetitum, à Matthia Martinio & Johanne Henrico Alſtedio expolitum, ad firmandum memoriam utiliter legitur. 5. Phraſes & loci difficiliores, quæſtioneſque dubiæ inter legendum ſtatim, ne excidant, in chartam conjiciantur, majori ſtudio in diſputationibus publicis aut privata converſatione cum doctoribus, aut apud interpretes, indagandæ, explicandæ, decidendæ.

2. *Hæc de mnemonica, quam fieri potuit breviſſimè: ſequitur lectio* Critica, *quæ judicium biblia legentis aliquot regulis dirigit ad cognoſcendum vim bene ponderatorum argumentorum, quibus aliquid ſtatuitur de rebus Theologicis ad religionem pertinentibus, & aliis in ordine ad eas, ut hinc id quod ſtatuitur, vel approbetur, vel improbetur, vel ut obſcurum aut incertum in medio relinquatur.*

3. *Regulæ ſunt.* 1. *Ante omnia linguam*, qua res ſacra judicanda proponitur, probè ſcito. 2. Terminos rerum propoſitarum bene conſiderato; aut, ſi ambiguos offenderis, diſtinguito, & veram ſignificationem ad propoſitam materiam recte

ctè applicato. 3. Omnia intelligendi præcepta accuratè ſequitur, ut id, de quo judicandum eſt, bene intelligas. 4, Quicquid contra manifeſtam pietatem, SS. ſcripturam, naturam & rectam rationem aſſeritur, ut falſum rejicito. 5. In quo omnium ſapientum monumenta, natura & recta ratio cum ſcripturis conſpirant, illud verum eſſe arbitrator. 6. Omnes logomachias, ut futiles & inanes repudiato. 7. Omnes conſequentias, quæ in ſcripturis non exſiſtunt, ſed ex iis rationis opera deducuntur, ſi pietatem & concordiam tollunt, temerariè defendi judicato. 8. Propoſitiones univerſaliter aut indefinitè enunciatæ, ſi in alias incurrant æquè in ſcripturis traditas, ex iiſdem ſapienter limitandæ & cum illis conciliandæ ſunt. 9. E ſolis ſacris literis de omnium Theologorum ſcriptis judicato. Hæ enim literæ veræ ſapientiæ ſolidum ſunt fundamentum. Si controverſia ſit de re aliqua, ejuſque probatio è ſacra ſcriptura liquidò haberi poſſit, creditur illa res eſſe vera, quia S. ſcriptura eam clarè docet: ſin ex aliis ſcriptis aliquid probetur, id non creditur, quia in iis proponitur, ſed quia cum lumine naturæ & gratiæ congruit. 10. Cognitis apertis, legito obſcurè dicta, mediator relegito, idque aliquoties, dum innata

ſcripturæ lux intellectui tuo demat nebulas rerum profundarum cognitionem impedientes, ut ea, quæ aliis intellectu difficilia habentur, facilè pervidere poſſis. Nam in ſcriptura quædam *apertè*, quædam *opertè*, docentur: idque hoc fine, ut primùm noſmet ipſos exerceamus in apertis, quo per *aperta* in *opertorum* apprehenſionem ducamur. 11. Nunquam tamen ad ſcripturæ lectionem & meditationem te accingito, niſi ad Deum preces præmiſſeris, atque ab eo ſpiritum intelligentiæ impetraveris. 12. Quo facto, lege attente. 13. Si quid ſub initium difficile videtur, vel ſub notione falſi apparet, illud ne judica, ſed præteri, atque ad alia progredere, cogitans nondum adeſſe horam, qua illud intelligere debeas. Aliâ tamen horâ repete, idque feriò & cum attentione. Si tum nondum intelligis, ſimiliter acquieſce, neque judicato. Perlege alia, & certò ſtatue, nondum illuxiſſe horam, qua Deus tibi animum aperire velit ad illud intelligendum. Confer criticum ſacrum *D. Andreæ Riveti*, Ariſtarchum ſacrum viri ſummi & nunquam ſatis laudati *Danielis Heinſii*, proceſſum diſputandi *Conradi Horneji*, clavem ſcripturæ *Illyrici*. Ideam boni interpretis & malitioſi calumniatoris *Danhavveri*.

CA-

CAPUT X.

DE
Gymnaſtica & effectis ſtudii Theologici.

HActenus è mediis humanis ſtudii Theologici fuerunt technica : ſuperſunt GYMNASTICA, *quibus ſtudioſus doctrinam vitamque Theologicam per media prædicta acquirit ; & acquiſita per exercitationem aptam & convenientem patientiam pericula facit.* Vide ſupra *cap.* 4. *aph.* 2. in quo hæc diſtinctio mediorum humanorum propoſita fuit.

2. *Sunt autem alia doctrinæ ; alia vitæ.* Illa fortaſſis non malè *didaſcalica* ; hæc verò *practica* dixeris. Utraque Theologis & fidis verbi Dei miniſtris futuris apprime neceſſaria, de quibus quod vulgò de Chriſtiano & rectè pronunciatur, *eos non naſci, ſed fieri & renaſci*, non minus verum eſt, quippe quibus multa præparatione opus eſt, ut ad tam ſublime munus idonei accedant. Neque enim hic ſufficit ſola perſonæ *auctoritas*, aut vitæ *gravitas* & ſanctitudo, aut rerum divinarum *ſcientia*, ſed ſciendi ſtudium cum vitæ integritate perpetuò conjungendum eſt. Neque hæc Theologum abſolvunt, niſi accedat praxis

& experientia plurifaria, qua doctrina diſcendo percepta roboratur & augetur *in* quotidiana *invocatione* & exercitiis pœnitudinis; *in doloribus* ortis è ſenſu iræ Dei & pœnarum; *in ſtudiis* & *laboribus* vocationis; *in petendo* & *exſpectando* Dei auxilio, *in tolerantia* ſanctæ *crucis & multiplici tentatione.* Nam ſcitè Baſilius Magnus homil. adverſus iraſcente p. 183. Ἐπειδὰν μάλιστα τὴν ἔκβασιν μαρτυροῦσαν λάβῃ τὰ παραγγέλματα, τότε τὸ σοφὸν αὐτῶν καὶ ὠφέλιμον πρὸς τὴν ἐπανόρθωσιν τοῦ βίου καὶ τὴν τῶν πειθομένων τελείωσιν ἀναφαίνεται). *Vbi eventus preceptis teſtis acceſſerit, tunc maxime ſapientia & utilitas ipſorum ad vitæ correctionem & credentium perfectionem apparet.*

3. *Gymnaſtica doctrina ſunt hic diſcernenda in* ſtadia, *quæ decurrenda ſunt ad acquirendum doctrinam theologicam, &* ſtudia *ſive Gymnaſia & exercitia, quibus acquiſita doctrina pericula fiunt.*

4. *Stadia, vel ſunt tyronum, vel veteranorum vel candidatorum.*

5. *Stadia tyronum ſunt domeſtica, collegialia, aut publica.*

6. *Domeſtica decurnuntur præmiſſa lectione biblica,* ante meridiem *per geneſin, dum legitur* locus communis *quantum ad definitiones, diviſiones, ſtatum controverſiæ, aliquot argumenta in utramque partem,*

ea-

eaque maximi ponderis: à meridie *vero per analyſin, dum eliguntur* in commentario *partes analyſis laxa*; diſpoſitio *videlicet, qua integrum aliquem textum biblicum reſolvit in thema & argumenta*: inventio, *qua eſt inſtructio de deprehendendis abſque errore quibuslibet textus partibus*: judicium, *quod unumquodque thema & argumentum, in quod reſolutio facta eſt, ad rudem aliquam deſcriptionem vel paraphraſin revocat*: & amplificatio *qua ex ore in cor dicentis deſcendit, & promit reſpectus, quos dicens inter loquendum habuit ad res competentes ex legibus ſapientia, ad ſenſum loci qualitercunque complanandum & menti conciliandum.*

Hic igitur eſt tum loci communis, tum commentarii, lectio, quæ utraque ſiſtit in maximè neceſſariis.

7. *Collegialia decurruntur per privatas exercitationes ad ſolidandum eruditionem theologicam in mente tyronum.*

8. *Ea autem quadruplicia perpetuò conjungi poſſunt, nimirum collegium peiraſticum, elencticum, problematicum, & Biblicum.*

9. *Collegium* Peiraſticum *eſt, in quo corpus doctrina Chriſtiana, ſive loci communes per definitiones, diviſiones, canones & ſcriptura teſtimonia, in quibus hac ſingula fun-*

dantur, in modum catecheſeos repetitur, examinatur, inculcatur.

Dici etiam poteſt δοκιμαστικὸν, examinatorium, quod ſi ab erudito ac prudenti præſide regatur, juventuti maximum emolumentum afferet. Plerique enim hodie ob defectum talium collegiorum, feliciores ſunt in defendenda falſa & impugnanda vera, quam in aſſerenda & fundanda vera, & deſtruenda falſa religione, ut docet experientia in examinibus theologicis, quæ vel in Academiis, vel in conſiſtoriis eccleſiaſticis inſtituuntur.

10. *Collegium* elencticum *eſt, in quo controverſioſa confeſſionis capita ſecundùm ſeriem locorum communium aut hæreſium diſputantur.*

11. *Collegium* problematicum *eſt, in quo præſes quæſtiones, quæ de ſingulis locis communibus etiam inter ejuſdem confeſſionis Theologos variè diſputantur, aut ſaltem minus principales ſunt & ob principales controverſias dubia facta ſunt, ſapienter ediſſerit.*

Hujus exercitii modus eſt, ut 1. hiſtoria de origine, occaſione, ſcopi, auctorum variationis in decidendo enarratur, ut fecit lumen & decus illud Belgicum, *Gerhardus Voſſius Heidelbergenſis*, tum in theſibus ſui hiſtoricis & theologicis, tum in hiſtoria Pelagianiſmi, longè eruditiſſimis.

2. Ex-

2. Explicentur termini, ut intellegatur quid quæratur. 3. Fiat quæſtionum deciſio. 4. Additur deciſionis probatio & vindicatio ab objectionibus contrariis.

12. *Collegium* Biblicum *eſt, in quo præſes libros Biblicos analyticè enarrat, & ad ſingula cujuſque libri capita quaſtiones maximè neceſſarias movet & determinat.*

13. *Studium publicum eſt, quod pro cujuſque Academiæ vel illuſtris ſcholæ conſtitutione publica lectionum diſputationumque exercitia uſurpando, tyrones decurrunt.*

Hujus ſtadii uſus & finis eſt 1. ut peculiaria præceptorum dona didactica nobis hoc pacto innoteſcant & communicentur.

2. Ut & iſte modus inculcandi cum auctoritate ſuam in nobis efficaciam & fructum habeat. *ζώσης γὰρ φωνῆς μείζων ἐστὶν ἐνέργεια*, teſte Cicerone in epiſtolis. Et *αὐτοδίδακτοι* peſſimi ſæpe & pernicioſiſſimi in eccleſia turbarores exſtiterunt.

14. *Studium veteranorum tum tyronum curriculum jam deſcriptum continuat, tum accuratiorem veritatis inquiſitionem coaddit.*

Nam in geneticis plura diſputationum argumenta, plures objectionum ſolutiones, pluraque problemata & ſcripturarum loca perſcrutantur. In analyticis verò & diſpoſitioni & judicio, cujus aph. VI.

mentionem fecimus, operam navare incipit, & in enarratione plures quæſtiones, præſertim criticas, quas vocant, adjungit.

15. *Stadium candidatorum eſt, in quo conſcientiæ caſus & ſymptomata, jus & regimen tractant, & addiſcunt quomodo gratiæ & peccati in eo proceſſus dignoſcendi, promovendi, impediendi, detegendi ac dirigendi ſint, & ad ædificationis media commodè urgenda & promulganda ſe exercent.*

16. *Studia verò ſeu gymnaſia & tentamina hic ſunt quadruplicia: Analytica, declamatoria, diſputatoria, & concionatoria.*

17. *Gymnaſium ſive ſtudium analyticum eſt tractatio textûs biblici, qua, moderante erudito & pio theologo per inſtrumenta lexica, grammatica, rhetorica & logica in ſua principia dextere reſolvitur, ad feliciorem verborum rerumque ſacrarum intelligentiam.*

Hic primus eſt gradus theologicæ exercitationis pro tyronibus.

18. *Declamatio gymnaſtica eſt tractatio oratoria quæſtionis theologicæ recitanda in panegyri ſcholaſticâ vel collegio privato, ad augendum intelligentiam rerum ſacrarum, firmandum memoriam, & comparandum habitum coram aliis de rebus tantis libenter animoſeque dicendi.*

Hic ſecundus gradus eſſe debet Theologicæ exercitationis præcipuè pro tyronibus, ubi uſum inſignem habent diſpoſitiones theologicæ Zach. Urſini, homiliæ Johan. Chryſoſtomi, & ſabbatum Chriſtianum Tobiæ Magiri, profeſſoris Francofurtenſis.

19. *Diſputatio gymnaſtica eſt logica diſquiſitio in ſchola publicè, vel privatim inter opponentem & reſpondentem de rebus theologicis è ſ. literis pro menſura doni & ætatis utriuſque in lucta carnis & ſpiritus ſanctè ſobrieque inſtituta, ad felicius eruendum veritatem, accuendum judicium de rebus divinis, firmandum memoriam, ac ſeſe præparandum ad ſeria certamina cum hoſtibus veritatis pro ratione vocationis ſuſcipienda.*

Hic tertius gradus eſt Theologicæ exercitationis: ubi utilis eſt proceſſus diſputandi ab Hornejo deſcriptus, Bonus diſputator Danhaweri, & Analyſis Cornelii Martinii, præcipuè pro provectioribus.

20. *Concio gymnaſtica eſt, quam ſacri miniſterii candidatus in privato concionantium collegio, vel Eccleſiâ aliquâ minore, præſentibus ſemper eruditis ac candidis arbitris accenſoribus habet, ad acquirendum habitum è ſ. ſcriptura coram quavis Eccleſia poſt legitimam vocationem & examen cum*

παῤῥησίᾳ pro menſura doni & ætatis ſua auditorumque in luƐta carnis & ſpiritûs decorè ac animoſe dicendi, ad publicam ædificationem.

Hic ultimus gradus eſt Theologicæ exercitationis pro candidatis ſacri miniſterii. Hic proſunt Hyperius de formandis concionibus, Axiomata & idea Sculteti, & pro exemplo imitationis cum primis F. Salmuthus in Threnos Jeremiæ. Peculiariter autem qui pro concione populum docere volet, certum quendam Theologum & concionatorem eloquentiæ dono inſignem ſibi proponat, cujus exemplum in formandis concionibus rectè imitari diſcat. Id quod tum fiet omnium optimè, ſi de concionis diſpoſitione, ſi de adhibendis ſcripturæ dictis & exemplis convenientibus ipſe cogitet; & quid in electione & diſtributione materiarum, in forma explicationis, in pronunciatione & geſtu laudabile occurrat, diligenter inquirat. Ex quo claret; præpoſteram horum eſſe diligentiám, qui ab hac exercitatione ſtudium Theologicum auſpicantur.

21. *Gymnaſtica vitæ ſunt, quibus ſacræ Theologiæ candidatus in pietate, fide, in vocatione & obedientia erga Deum, benignitateque erga proximum, pie vivendo, benefaciendo, malè audiendo, & ſub cruce gemen-*

mendo magis, quàm argutè & ſubtiliter diſputando & perorando exercetur.

Ex vero enim dixit Siracides cap. 2. 1. 2. *Fili, ſi acceſſeris ad ſerviendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem. Dirige cor tuum & perdura, neque præfeſtines tempore, quo inducetur illa.* Nuſquam enim non occurrunt cordatis theologis Satanæ cribra & tela, *Luc.* 22. 31. *Eph.* 6 16. nuſquam non mundi odia, *Ioh.* 16. 19. *Matth.* 10. 22. nuſquam non carnis θέλγητρα, *illecebra*, *Rom.* 7. 23. *Gal.* 5. 17.

22. *Suntque tentamina interna, aut externa.*

Illa Spiritus, & carnis; hæc vero Satanæ & mundi.

23. *Spiritus tentamina fere ſunt, quibus lucta fidei & diffidentiæ, diſperationiſque abyſſus periculoſiſſima oſtenditur.*

Hanc viderunt viri ſummi & ſanctiſſimi Jobus & David, imò ipſe Dei Filius in extrema exinanitione ſua, quamvis peccato procul, expertus eſt, *Pſal.* 22. 2. *Pſ.* 31. 32. 119. 49. 82. 84. *Matth.* 17. 46. Hæc jugi meditatione veritatis, juſtitiæ, omnipotentiæ & miſericordiæ Dei vincenda ſunt, *Pſ.* 119. 89. & 102. 8. & ſ.

24. *Carnis tentamina ſunt, quibus ad varios lapſus ſollicitantur.*

Talia ſunt, *negligentia* in vocatione, *im-*

immiſericordia adverſus egenos aut lapſos auditores & condiſcipulos, *avaritia, invidia, intemperantia*, ingluvies, crapula, luxuria, ſecuritas, *ſuperbia*, faſtus, ambitio. Hæc jejunio, vigiliis & precibus, auxiliante Dei Spiritu, expugnanda ſunt 1 *Pet.* 5. 5.
25. *Externa verò ſunt, quibus Satan & mundus verbi divini ſtudioſos & miniſtros ſtatienibus ſuis evertere ac præcipitare conantur.*

Hujus furfuris ſunt paupertas, contemtus, odia, exſilia, calumniæ, convicia, mendacia ſceleratorum hominum, indociles, immorigeri, & ingrati auditores, qui famæ vitæque Doctorum inſidiantur, falſi fratres, oſores & calumniatores miniſterii, eccleſiæ & piorum omnium; imprimis verò fidelium paſtorum. Hæc proculcanda ſunt generoſo animo reſpectante in Dominum Deum patrem omnipotentem cum Davide, *Pſal.* 119. 22. 69. 28. 110. 157. 161. & *Apoſtolo, Rom.* 8. 28.
26. *Hac breviter de mediis gymnaſticis: reliquum eſt, ut ſtudioſus Theologiæ effecta fructuſque hujus tam divini ſtudii calidè amet: quem amorem ut omnibus ac ſingulis injiciam, cum auxilio Dei fomitem porrigo* ex Prov. 1. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. à v. 20. uſque ad finem, & cap. 2. toto, & cap. 3. à v. 1. & cap. 9. à v. 1. ad 12. item ex Syracidis 39. à v. 1. ad 21. & cap. 46. v. 29. 30.

29. 30. 31. &c. 50 à v. 18. uſque ad finem, Sap. 7. à v. 7. uſque ad finem. Pſal. 119. toto. *Summa, gymnaſium pietatis, ejuſque omnimodum fructum aperit nobis Apoſtolus* 1 Tim. 4. à v. 4. ad 16.

Quicquid creavit Deus, bonum eſt: nec quicquam rejiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per VERBUM *&* PRECES. *Hae ſi ſubjeceris fratribus*, BONUS *eris* MINISTER JESU CHRISTI, *innutritus in* SERMONIBUS FIDEI, BONÆQUE DOCTRINÆ, *quam affectatus es. Caterum*, PROFANAS *& aniles* FABULAS *rejice: ſed* EXERCE TEIPSUM AD PIETATEM. *Nam corporalis exercitatio paululum habet utilitatis: at* PIETAS AD OMNIA UTILIS EST, *ut qua promiſſionem habeat vita praſentis & futura. Fidus eſt hic ſermo, & dignus qui omnibus modis recipiatur. Nam idcirco etiam defatigamur & probris afficimur, quod ſperemus in* DEO *vivo, qui eſt conſervator omnium hominum, maximè verò fidelium. Hac denuncia &* DOCE. *Nemo tuam juventutem deſpiciat, ſed* ESTO EXEMPLAR FIDELIUM *in ſermone, in converſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in puritati. Interim dum venio*, ATTENDE LECTIONI, EXHORTATIONI, DOCTRINÆ. *Ne negligito* EORUM *quod in te*

te eſt, quod datum eſt tibi ad prophetandum, cum impoſitione manuum presbyterii. HÆC EXERCE, IN HIS ESTO: *ut tuus profectus manifeſtus ſit inter omnes. Attende tibi ipſi & doctrinæ: perſiſte in iſtis: id enim ſi feceris,* & TEIPSUM SERVABIS, & EOS *qui te audierint.* Ergo igitur ſi obſervaverimus ſermonem tolerantiæ Chriſti, ipſe quoque ſervabit nos ex tempore tentationis, quod venturum eſt in orbem univerſum, *Apoc.* 3. 10. & Deus reddet vitam æternam nobis, qui per patientiam querimus boni operis gloriam, *Rom.* 2. 7. interibi verò nos reddet ſapientes ad ſalutem, ad omne opus bonum perfectè inſtructos, teſte eodem Apoſtolo 2 Tim. 3. 14. 15. 16. 17. *At tu maneto in iis, quæ didiciſti & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris: Teque à puero* ſacras literas *noviſſe, quæ te poſſunt* ſapientem reddere ad ſalutem *per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tota ſcriptura divinitus inſpirata eſt utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad diſciplinam in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte inſtructus.*

JOH.

JOH. HOORNBEECKII BREVIS INSTITUTIO STUDII THEOLOGICI.

QUantum ſtudiis, cum aliis in rebus, tum præcipue *initio* ejus feliciter conſtituendo, & obſervando deinceps genuino *ordine*, ſitum ſit, præſtantiſſimi iidemque chariſſimi Diſcipuli, haud facile quis dixerit: nemo certe melius, quam (quod plurimis evenit) qui aliquoties incaſſum hic laboraſſe, & refixiſſe terminos, atque moleſtam laborum temporiſque jacturam paſſos ſe miſere deplorant: unde etiam in nullum Studiorum arcanum majori anxietate & ſollicitudine anquirunt, quam ut divinâ virgulâ venam iſtam tandem reperiant, ſtudiis non minus utilem, quam neceſſariam. Quippe ſi, quod dici ſolet, dimidium operis habet bene qui incæpit; totius vim tenet & tantum non ſummam, ordinem qui juſtum novit atque obſervat. Divina res methodus eſt, & in omnibus rebus ſive inveſtigandis, ſive diſcendis, tradendiſque pendet inde ſuſcepti totius negotii admirandus quidam & certiſſimus ſucceſſus. Multi

ti quovis tempore exiſtunt, quos unius hujus rei incuria & negligentia deſperare de Studiorum eventu cogit, & arma abjicere, quique nunquam iſtum laborum fructum referunt, qui ipſis debebatur: iterum alii ad magna perveniunt compendio, faciliori, quia certiori. *Omnia enim breviora reddit ordo.* Flaccus, *Ordinis hæc virtus.* Nempe qui juxta ſimile Euangelicum, non prius operi manum admovent, quam mature in conſilium iverint, an & quomodo turris ædificanda, vel in militiam prodeundum ſit. Qui non inconſulto & temere, omnia vel plura quam commode digerant, arripiunt & tractant, ſed ordine ſuo ſingula ponderant prius, tum aggrediuntur. Atqui de iſto nunc ordine apud Vos diſſerere inſtitui, & metare caſtra, in quibus degatis: Vos, juxta veterem formulam videritis; *an parati ad bellum?* noſtis utique Sacrum miniſterium in Scripturis militiam appellari, quando ſui ei conſtituuntur anni, quibus quis ſerviat, ſupra illos donandus rude. Et Apoſtolo Timotheus nuncupatur καλὸς ϛρατιώτης Ἰησȣ̃ Χριϛȣ̃. Digniſſimum *viri Dei* elogium, quo ſimul & officii ſui admonetur. Nam ut hic ſint τὰ καλὰ, ſunt & ἔργα. *Qui Epiſcopatum deſiderat*, in Verſione Æthiopicâ Londinenſi, *volens fieri Papa*, (juxta ſtylum

lum veterum, qui ut primitus pro eodem agnoverunt epiſcopum & presbyterum, ſic poſtea papam & epiſcopum) *bonum opus* deſiderat. 1. Tim. III. 1. Sed parandus ſtudiis animus eſt ad officia, & *honorem iſtum*, Heb. v. 4.

Duo autem ſummaria ſtudii noſtri capita: aliqua *προπαιδείας* rationem habent, quæ in anteceſſum curanda: alia ipſius Theologicæ *παιδείας* ſunt, ſeu *perpetua*, ſeu *temporaria*. Nam tanquam in tabula univerſum laboris Theologici curſum impræſens vobis delineaturus acceſſi. Ante omnia vero quibuſdam quaſi *progymnaſmatis* tingendus ornanduſque animus eſt, ut ad altiora paretur, juxta Hebræorum adagium התקן עצמך בפוזדור כדי שתכנס לטרקלין *Para teipſum in veſtibulo, ut intres in triclinium.* Neque enim primo ſaltu quis in ipſum Sacrarium involat, ſed in atrio inter *συνιςαμένοις* purgatur prius, atque levioribus initiatur exercitiis, & curis, quibus ad ſolidiora provehitur futurus myſta, levita ante ſacerdotem: quomodo Iidem aliis quidem verbis, at ſenſu eodem dicunt, *Qui parat in veſpera Sabbati, comedit in Sabbato.*

Illa vero progymnaſmata facimus tria: *litterarum*, præſertim trilingue, *Latinæ*; *Gra-*

Græca, & *Hebraa*: hactenus ſaltem, ut uterque Sacrorum codex ſuo ſermone intelligi, abſque interprete poſſit, & lectio ejus reddatur vulgata ac familiaris. Deinde *Philoſophia*: cujus uſu, *Logica* imprimis, & *Metaphyſica*, pro formando & firmando intellectu, in difficillimarum rerum perveſtigatione ac examine, tum ob Adverſarios, carere neutiquam poteſtis. Tertium & proximum ſtudio Theologico locum tenet *Catechetica*, quæ uti varios ſortitur gradus & claſſes, pro futuro Theologiæ ſtudioſo intelligitur ſupremi ordinis quæ eſt, ut ne communia ſaltem religionis themata ignoret noſter, vel magno ſuo cum dedecore minus ſcientiæ Theologicæ adferat, quam ex vulgo aliquis, cui nequaquam animus adſpirat ad gradum, quem ille præ ſe fert. Et mirum dictu, quantum hinc ſtudiis paſſim oriatur impedimentum, quod non parati ad Theologica veniant Studioſi à lectione Scripturæ, & Catecheſi: quorum iſtud facit ne vulgariſſima, & prima religionis στοιχεῖα cognoſcant τὰ τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγου; illud, quod nec ſcire poſſint, vel iſtorum aliquid tueri aut confirmare. Et tamen hæc diſcendenda aliquando ſunt, ſed quia non ſuo loco, id eſt ἐν παραθύρῳ docta, magna moleſtia diſcentem

fati-

fatigant, & aliis feliciter progredientibus ille in principiis aſſiduo hæret & fatiſcit. Atque ita eum ordinis initio [illegible]lecti pœnas dare haud iniquum eſt.

Ipſius nunc *ſtudii* Theologici, quando plenis velis mari huic cymba committitur, alia ſunt *perpetua*, alia πρόσκαιρα & quæ pro ſtudiorum ætate ac gradibus *variant*. Illa nunquam omittenda, ſed à carcere ad calcem uſque religioſe & diligenter obſervanda, & omnibus, quovis loco, ac tempore: quæ tria ſunt, Scripturæ aſſidua *lectio*, congrua *meditatio*, & ad Deum, pro impetrandâ ejus in omnia benedictione, ſancta atque indefeſſa *oratio*. Hæc nunquam deponenda aut arma ſunt aut exercitia, nunquam ab iis feriandum, vel relaxandus in totum animus: ſed iis nunquam non occupatos eſſe decet per totum vitæ, ſtudiorum, atque miniſterii ſpatium. Namque ut in ſacra & ſalutari cognitione progrediendum ſemper eſt, *etenim ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetarum*, ſic in illum finem nobis ſuppeditat Deus Verbum ſuum, ex quo ſalutaria & divina petamus: hoc autem, uti inſtrumento lectionis fit & auditionis, *auditus verò per verbum Dei*, ita iſtud ſeriâ meditatione animo committitur, infigitur, fovetur.

tur. Accedit his, immo præcedit fervens precatio, ut in veritate ſua Deus nos ſanctificet, quoniam verbum ejus eſt veritas. Fruſtra eſt lectio, ſine meditatione; meditatio autem ſine lectione, etiam noxia; qualis fere coctio ſtomachi abſque ingeſto cibo: ſed pia oratio & hanc & illam reddit ſalutarem ac proficuam. Atque hic animæ cibus eſt, hæ veræ, quia ſpirituales & divinæ, lætitiæ, opus Theologi genuinum & perpetuum.

Alia pro tempore variant, nempe ſtudium primò *Inſtitutionum* Theologicarum; deinde *controverſiarum*; ſequitur *practicum*; denique *hiſtoricum*. Hi gradus laborum veſtrorum, & quaſi claſſes, in quibus pro neceſſitate primum ſtudiorum, tum pro animi etiam lubitu verſemini. De controverſiis alibi diximus, eaſque ſumus partiti in tres ordines, *Infidelium*, *Hæreticorum*, & *Sciſmaticorum*. Praxis Theologica duplex eſt; *vitæ*, quæ tradit & *Practicam* generalem, de quâ in Theologia practicâ; & *Caſus* conſcientiæ ſingulares ad hæc aut illa religionis capita & officia: deinde *Regiminis* vel politiæ Eccleſiaſticæ, quæ eccleſiam bene gubernari docet. Poſtremo hiſtoria occupatur in lectione *Patrum*, ſive veterum Theologorum; vel *Annalium* eccleſiaſticorum; qui ex

ex illorum aliorumque ſcriptis hiſtoriam *geſtorum* conficiunt, quemadmodum Patrum ſcripta conſuluntur imprimis, pro fide *doctorum* & creditorum. Jam videte, quid, quo ordine, agendum vobis ſit, & quibus pergendum gradibus. Nam hæc ſumma operis, cujus fundamenta jaciuntur in curſu Academico, ipſum vero omni tempore magis excolitur, perficiturque. Saltem ſcopum videtis, quo collimare oporteat, ne vel in vanum operemini; vel inani φιλαυτίᾳ nimis facile putetis factum ſatis, & ad metam vos perveniſſe, vixdum principiis defuncti. Ars longa, longior ſapientia, præſertim vera illa, quæ noſtra eſt; vita brevis, ſed quæ bene diſponenti multum patet. Diſpoſitio mater ordinis, cujus inventio pater, Sapientia utroque orta, *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

Porro quo felicius areas iſtas vel ſtadia percurratis, præter publicas, privatæ accedunt inſtitutiones & *Collegia*, ſingulis ſtudiorum partibus inſervientia, non quæ publico obſint, vel fontium aquas in privatas ciſternas cogant & occludant, ſed quæ nihil aliud ſint quam *manuductiones*, eo familiariores, quo privatæ, & ſingulorum captui accommodatæ, quibus non intermittantur alia, ſed juventur, & paratus

tus, reddatur animus alacriorque ad obeunda & frequentanda ſingulorum ordinum officia, & legendos, conſulendos, pervolvendos quarumcumque claſſium auctores & ſcripta. Quare incipientibus magis neceſſaria, quam provectioribus, nedum ut iis ſolis quis perpetuo & totus, tanquam cochlea teſtæ ſuæ, inhæreat: ſive illud ſit *Scripturarium*, & pro *linguâ* utraque ſacrâ, & *lectione* ipſius Dei Verbi excolendâ, ut quomodo legi, & intelligi, & quæ inter legendum obſervari debeant, ſemel addiſcatur: ſive *Inſtitutionum*, quibus ſolis, ut multorum pravus mos eſt, detineri æquum non eſt, utpote ubi poſitiva modo traduntur & communia, indicatis duntaxat principalium Controverſiarum capitibus, non tractatis: unde ad alterum enitendum, ipſarum nempe Controverſiarum *elencticum*; ſeu *commune*, adverſus errores quoſcunque in genere; ſive *ſpeciale*, & ordine adverſus ſingulos. Jam & *Concionatorium*, pro formandis dicendiſque concionibus; & *Practicum*: ſi altiora, *Hiſtoricum* adit, juxta ſtudiorum ſeriem ſupra delineatam. Alia ſunt, quorum poſuiſſe fundamenta, & guſtum aliquem in Scholis cepiſſe, juvat; alia, non leviter attigiſſe, ut quæ ad munus Theologi cumprimis & ubique neceſſaria. Neque indi-
cta

cta volo aut neglecta exercitia *Philoſophico-Theologica*, ad Theologiam accedentibus: quia utut illius ſæpe non exiguus ſit abuſus, à quo nos dehortari Apoſtolus neceſſum duxit, ſc. quæ ad inanem deceptionem adhibetur, *videte ne quis ſit qui vos deprædetur per philoſophiam & inanem deceptionem.* Col. II. 8. attamen & rectum illius uſum magni, cum in aliis omnibus ſcientiis, artibus, totaque hominis vitâ, ita & in doctrinâ Theologicâ, adjumenti eſſe omnes & veteres, & recentes, ſuo exemplo & uſu comprobarunt. Sunt hic, uti in rebus quibuſque aliis, ſui limites, quos ultra citraque conſiſtere rectum nequit. Qui res fidei ad philoſophiæ placita exigere, regulas ejus valere in Theologiâ æque ac in naturâ arbitretur, vel acumine, ſubtilitatibus & diſtinctionibus utatur ad jejunam & frigidam ſpeculationem, ad contentiones & vanam gloriam, næ is facit intelligendo, ut nihil intelligat: interim qui non etiam mentem philoſophia æque ac linguam litteraturâ ornandam cenſeat & acuendam, qui nolit ſermonem mentis internum, quemadmodum externum oris arte dirigi & perpoliri, vel cui quid male ſonet ideo quod ex philoſohiâ provenit, non minus in errore verſari mihi quidem videtur.

Quamvis enim non eadem ratio, dignitas, neque neceſſitas ſit philoſophiæ ac Theologiæ, tamen in formandis exprimendisque conceptibus, penetrandis rerum & quæſtionum ſubtilitatibus, redarguendis Adverſariorum ſtrophis, multum juvat illâ non omnino deſtitui. Uſum mediocrem Philoſophiæ in Theologicis requirimus, dominio penitus interdicimus. Scite Lutherus, in Diſp. de Dei ſimplicitate, & Perſonarum in eo Trinitate: *quod Dialectica arguit, hæc ſuis regulis non quadrare, dicendum eſt ei, mulier taceat in Eccleſiâ.* Patres utuntur ſimili Hagaris ancillæ, quæ jubetur domo expelli, quando petulantius ſe gerit, & dominam habere cupit pro arbitrio. Quando imperioſius inſurgit in Theologiam, & dictaturam quærit, vel ſuis cancellis & regulis arctare auguſtiſſimam veritatem annititur, explodenda; & ad contentiones qua parte vergit, modeſte declinanda. Quippe veritas, ubicumque, hoc habet *primum ut caſta ſit, deinde pacifica* Jac. III. 17. quæ vero ζῆλον πικρὸν ἔχει καὶ ἐριθείαν, appelletur σοφία, ſed terrena, carnalis & Diabolica eſt Apoſtolo. Clemens Alexandrinus, Stromat. lib. 7. *ὑπὸ δοξοσοφίας τοίνυν ἐπηρμένοι inani ergo ſapientiæ opinione elati, perpetuo litigant, aperte oſtendentes ſe magis curare ut videantur philoſo-*

loſophi, quam ut philoſophentur. Certe rixari non eſt philoſophicum, minus Chriſtianum. Cum Eraſmo dixero, lib. 2. Epiſt. ad Bovillum: *peſtilens quædam res ſit oportet philoſophia, ſi tales reddit. Inefficax ac diluta, ſi tales non mutat.* Et in Ciceroniano, quam eleganter? ſub finem: *Videmus enim hujuſmodi peſtes nondum prorſus extinctas, ſubinde meditari repullulaſcentiam, ſub hoc fuco veteres hæreſes, ſub alio Iudaiſmum, ſub alio paganitatem. Sic ante complures annos factiones oriri cœperant apud Italos, Platonicorum & Peripateticorum. Faceſſant hæc diſſidiorum cognomina, ea potius inculcemus, quæ & in ſtudiis, & in religione, & in omni vita concilient, alantque mutuam benevolentiam.* Sat rerum eſt, extra partium infrugifera ſtudia & pugnas, quod agatur, & doceatur. Sed illa vitia ſunt non artis vel ſcientiæ, ſed hominum, eâ, in ſuam aliorumque perniciem abutentium. Unde illa nota inuſta aliquoties Philoſophis, quaſi non optime ipſis cum Chriſtianiſmo conveniret. Tertullianus, in Apologetico: *quid adeo ſimilis philoſophus & Chriſtianus? Græciæ diſcipulus, & Cæli? Famæ negotiator, & vitæ? verborum, & factorum operator? rerum ædificator, & deſtructor? amicus, & inimicus erroris? veritatis interpolator, & expreſſor? furator ejus, & cuſtos antiquior om-*

bus ni fallor? Quidquid ſecularis eſt litteraturæ aut diſciplinæ, ſi vel remotius habeatur à religione, & ſibi nimis applaudat, vel importuniùs in eam ingeratur, peccat utrimq;. Gentiles à verâ Dei notitia, & cultu alieni errarunt quando præcipuam vel unicam felicitatem ſuam in Philoſophiâ conſtituerunt: Chriſtianorũ vitium, quod eodem ibicine plus quã oportet remChriſtianam fulcire velint vel adornare. Quum modice & prudenter valde ad Theologiæ myſteria applicari debeat, & Chriſto ſubdi, quidquid rationis humanæ eſt vel ſcientiæ, & uti Apoſtolus, prius μωρανθῆναι. Lutherus, in Diſp. an. cIↃ IↃ xvIII. Heidelbergæ habita, *Qui ſine periculo volet in Ariſtotele philoſophari, neceſſe eſt ante bene ſtultificetur in Chriſto.* Scholaſticorum, qui vulgo nominantur iſtud fuit flagitium, quod plus æquo philoſophiam miſcerent cum Scriptura, Ariſtotelem cum Chriſto, imo quibus Ariſtoteles fere viſus Deus aliquis, ut, qui illa optime novit, idem Lutherus, in ſcripto contra Angliæ Regem, Henricum; & in altero adverſus Catharinum, ingenue: *ego*, inquit *plane illud verum, nunc video, Thomiſtam purum, eſſe aſinum verum, ſive ſit Italus, ſive Germanus.* & Melanthon, in Apologiâ pro Luthero, contra Pariſienſes, de Sorbona, *Chriſtum inter fabros citius,*

tius, quam in iſto genere reperias; Alterum eorundem vitium hoc exſtitit, quod ad otioſas, vanas & curioſas quæſtiones acumine ſuo paſſim fuerint abuſi, non quæ neceſſaria aut proficua ſectantes, ſed ſpinoſa & foliis diſputatiunculis fæcunda, ut ex multis quæſtionibus ſæpe vix articulum bonæ frugis elicias, vel ex magna aliquando ſumma unam magni momenti concluſionem. Quod viderunt ipſi jamdudum Pontificii, & qui inter ipſos erectioris animi palam redarguerunt. Inde integri libri, Chriſtophori à Capite Fontium, *de neceſſaria correctione doctrinæ Scholaſticæ*; & Ludovici Carbajali, *de Reſtituta Theologia*; aliu'que ejuſdem, *Theologicarum ſententiarum*, æmulatus titulo Magiſtrum ſententiarum; libri non contemnendi, quorum ipſa fronte Auctor profitetur, ſe annifum, Theologiam ad veros & vividos fontes revocare, & à Sophiſtica ac barbarie repurgare. Ne alios ejuſdem ſententiæ ex medio Papatu teſtes adducam, quorum aliquos videre eſt apud Johannem Gerhardi in eximio contra Papiſtas opere, *Confeſſionis Catholicæ lib. 1. part. 2. cap. 15.* Interim, quamvis illorum caſtigemus ſupervacuam curioſitatē, neq; aut Alexander Ales nobis ſit *Doctor irrefragabilis*; aut Thomas, *Angelicus*; aut Bonaventura, *Seraphicus*;

Henricus de Gandavo *Doctor ſolemnis*; Joh. Duns Scotus, *Subtilis*; Ægidius Romanus, *Fundatiſſimus*; Franciſcus Mayro, *Illuminatus*; aut Johannes Bacon, doctor *Reſolutus*, non ſunt tamen omnes paris aut nullius omnino pretii, præſertim prima, in quæ reliqui commentantur, ſcripta, ſive *Sententiarum*, ſive *Summæ*, cæteris omnibus præferenda. In quibus cum judicio verſanti, fructus non contemnendus ſæpè provenit, tum ad acuendum ingenium, & diſputationibus aſſuefaciendum, ubi opus, tum ad res penitus ſecandas, introſpiciendas, examinandas; & præſertim Adverſarios ſuis armis contundendos, ac ſubtilitatem alia meliori & veriori revincendam. Qui enim ex veritatis & Eccleſiæ hoſtibus acrius diſputant, & acutis argumentationibus in rebus arduis freti, Jeſuitæ, aliique Πελαγιανίζοντες, hinc armati omnes prodierunt, quos quo intelligamus, tum refutemus felicius, neceſſe eſt in illis non planè eſſe hoſpitem, quin & propria ex ipſorum officina in eos jacula retorquere, atque ea quibus alii in eadem Scholâ contra ipſos quandoque utuntur, uſurpare, vitio vertendum non eſt. Similis ratio Scholaſticæ, cum Rabbinica & Talmudica: in hac quot obſecro quantique nævi, fœditates, nugæ? & tamen etiam nonnullius uſus,

uſus, forte ad convincendos Judæos, aut illuſtrandas Hebræorum antiquitates. Sic & in Scholaſticâ fateor nugarum ſatis, non quidem referendis fabulis, quibus deſtinarunt locum & Lectiones alias, ſed plurimis infrunitis & veſanis quæſtionibus: at & auri non nihil ex illo ſtercore legi poteſt, & uſus fieri ſive in rerum arduarum penitiori indagine, ſive explicatione commoda & ſignificanti, terminis nativis & propriis. Quod non ignorarunt Theologi noſtri & Reformatores, qui Scholaſticam orthodoxam & caſtigatam meditati, eam in ſcriptis ſuis adhibere haud fuerunt veriti. Videre mihi Franciſcum Junium, virum ſupra quam dici poſſit, in omni ſcientiarum genere verſatiſſimum, Scholaſticæ autem Theologiæ & diſputationis peritiſſimum. Danæus in Magiſtrum Sententiarum commentarium edidit luculentum, Trelcatius Junior plane Scholaſtico modo ſcripſit eximiam Theol. inſtitutionem, ſubjunctis ad ſingula capita, in parte ἀνασκευαστικῇ, neceſſariis loco diſtinctionibus. Quid Gomarum dicam, Rivetum, Spanhemium? ne alios quam veſtrates vobis exhibeam: qui in ſcriptis & diſputationibus ſuis quo loco Scholaſticam habuerint, oſtendunt. Quis autem contra illud hominum genus crebrius acriuſque diſpu-

tavit Theologorum omnium maximo Calvino? & is in ipſis ſuis Inſtitutionibus, admirando & divino opere, noti verſus Pauli Thurii,

Præter Apoſtolicas poſt Chriſti tempora chartas,

Huic peperere libro ſæcula nulla parem.

Ille inquam, iſto in libro etiam nonnulla à Scholaſticis mutuatur, & bene dicta ac explicata prædicat. Lib. 1. cap. 16. ubi arduam tractat & in Scholis agitatam quæſtionem de providentia Dei concilianda cum cauſarum ſecundarum contingentia, ad eam rite explicandam, *non temere* ait, *in Scholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundum quid, & abſoluta: item conſequentis & conſequentiæ.* Paulo ante neceſſitatem adhibendarum diſtinctionum ſignificarat: *quoniam longe infra providentiæ Dei altitudinem ſubſidit mentis noſtræ tarditas, adhibenda eſt, quæ eam ſublevet diſtinctio.* Alibi in eandem rem, *obtinuit in Scholis diſtinctio, quæ triplicem libertatem numerat; à neceſſitate primam, ſecundum à peccato, tertiam à miſeria. Hanc diſtinctionem ego libenter recipio, niſi quod illic neceſſitas cum coactione perperam confunditur.* l. 2. c. 2. in margine annotat. Lombard. l. 2. diſt. 25. Et lib. 4. cap. 17. *Trita eſt in Scholis diſtinctio, quam me referre non pudet. Quamvis totus*

Chri-

Chriſtus ubique ſit, non tamen totum quod in eo eſt, ubique eſſe. Atque utinam Scholaſtici ipſi vim hujus ſententiæ probe expendiſſent &c. Aliaq;ex eodem proferre ſimilis commatis cuivis cum cura cum legenti promptum eſt. Melanthon poſt Locos Theologicos adddidit *Definitiones multarum appellationum* ſeu terminorum & diſtinctionum, *quarum in Eccleſia uſus eſt*. Et Zanchius, ubi pro Calvino reſpondet, ad quæſtionem de Chriſto αὐτοθεῷ, per diſtinctionem hoc in argumento neceſſariam inter Chriſtum ut Deum, vel Dei Filium & perſonam, *Vides* inquit, *frater quantum referat ſcite omnia diſtinguere.* lib. epiſt. 1. Vanas interim & frivolas diſtinctiones, & ipſo ſono horrendas ac incognitas, *cinctutis non exaudita Cethegis*, cum omni ſive philoſophiæ, ſive Scholaſticæ φλυαρίᾳ & ineptiis proſcribimus, ſed veram, maſculam, & ad ſuperiores facultates ac ſcientias juvandas & promovendas factam, quæ pro communi humanarum rerum ſorte nunquam talis eſt aut erit, quin perficienda ulterius ſit, probamus, amplectimur, commendamus. Quæ quantopere ſtudiis conducat & ſit neceſſaria, cum ex aliis diſcite, tum ex Bernenſi Theologo, Ben. Aretio, in Problematibus inter quæ Loc. CXLIX. *Philoſophiam ſtudioſo pietatis non eſſe negligendam.*

Cæterum ita inſtructi, & emenſi, quantum videbitur, progymnaſmata, ipſa toto animi impetu Theologia, ab *Inſtitutionibus*, aggredienda, & optima ſtatim ac primo diſcenda, neque ſubſiſtendum, vel abrumpendum uſquam eſt; ſed quod in belli negotiis, *ſemper nocuit differre paratis*, idem hic uſu venit: quare mox in manus ſumendum opus, & progrediendum ſemper, animoque retinendum probe atque æmulandum ſummi Imperatoris iſtud, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Maximus vero adhibendus delectus eſt in initio, tum rerum, quas agatis, tum Inſtitutionum, quibus animus primum imbuatur: quia non modo quód in limine monuimus, in exordio, & ordine plurimum ſitum, ut hinc ſeqnentis negotii fere curſus pendeat ac ſucceſſus, ſed quia variarum Inſtitutionum copiâ diſtracta juventus incerta redditur, cui ſeſe tradat. Non quod in re adeo illæ diſcrepant, ſed quod in ſeligendis Magiſtris ſtudiorum fere vertatur felicitas. Et tamen omnes habent quo ſe probent, & in aliis alia obſervabitis, quæ commendanda. Provide ac ſapienter ita diſtribuente divina munificentia res ſuas, & dona, ut non omnia omnibus, & non aliqua ſingulis contingant.

Prolixitatem vitandam, & aliquid etiam

etiam lectorum meditationi committendum, ſemper cenſui: epitomes, ut peſtes incipientibus atque plenam rei intelligentiam quærentibus vitandas judico, iiſque plane interdico. Nam & imponunt animo, quaſi brevis & facilis res ſit ſcientiam adipiſci, quæ brevi libello continetur; & coarctant initio mentem, quæ in primâ perceptione dilatari debet, & in novum rerum hactenus incognitarum liberumque campum duci: poſtea demum rebus rite ſubactis & comprehenſis ſeipſam conſtringit, & ut oculi pupilla immiſſo novo ac fortiori lumine, comprimit, facitque ſibi ipſa rerum perceptarum ſummarium. Adeoque in fine, non initio, locus eſt ſcriptorum volvendis compendiis. Qui vero ex adverſo, vel ſemper, vel initio epitomis ſe aſſuefaciunt, ne compendio maximum ſibi ipſis faciunt diſpendium. Quare in acquirendarum ſcientiarum veris & plenis Inſtitutionibus, animo nimirum ad illas percipiendas adulto, præſtat copioſius inſtrui quam parcius, ut quid abundet quam deſideretur, & rerum varietate mens alliciatur, quam deterreatur inopiâ. Interim quoque ne ſuperfluis redundent prima illa elementa: quod hinc conſtabit, ſiquidem nihil ſit quod commodè poſſis demere. Deinde, quod & ante monui, requiro in

CASPARIS SCIOPPII,

Comitis à Claravalle,

DIATRIBA,

De compendioſa & facili Linguam Hebræam & Chaldæam condiſcendi ratione.

I.

AD facilem, & ſimul ſolidam linguæ Hebrææ addiſcendi rationem, præcipuè requiritur, ut id gradatim fiat & ordine; ne quis vel omnia ſimul, vel poſtrema primùm aggredi præſumat. Paulatim enim oportet ad id quod ſummum eſt pervenire. Nec poteſt promovere ad majora, qui neglectis prioribus pergit ad poſteriora.

II. Qui proinde perfectionem aliquam linguæ Hebrææ ſtudio conſequi, & ad culmen ejus pervenire cupit, is noviſſe debet: quinam hic ſint obſervandi gradus, quâ ratione in ſingulis pes ſit figendus, atque ab uno ad alium conſcendendum. Non enim agimus nunc de levi illo, & ſuperfunctorio linguæ hujus ſtudio, prout id hodiè vulgò à pleriſque tractari ſolet, doctis pariter & indoctis, dum in Conjugatio-

num

num & Declinationum, cæterarumque Grammaticæ partium mediocri cognitione, Radicum Biblicarum inveſtigatione,& Communiorum vocabulorum intelligentia, A & Ω prora & puppis ejus ponitur; ſed de exacta & plenaria ejus notitiâ, quâ & Biblia Sacra, & cæteros Hebræorum libros, quocunque ſtylo, quacumque Dialecto ſcriptos, quis legere, atque ita in penitiſſima Gentis & Linguæ adyta,ac receſſus penetrare,tum etiam genuino & puro ſtylo ſcribendo eos imitari poteſt.

III. Hoc ſtudium, ut latè ſe ad univerſos Judæorum libros, Hebræâ pariter & Chaldæâ linguâ ſcriptos,extendit: ita plures & diſtinctos habet gradus, quorum nullus ſine damno præteriri aut ſuperſcandi poteſt. Gradus autem conſtituo ſequentes: I. eſt *Lingua Hebræa* pura & nativa, prout ea in ſacris Bibliis eſt comprehenſa. II. *Lingua Chaldæa*, ut ea, puriſſimè quidem Danielis & Eſræ capitibus aliquibus minùs purè, differenter tamen, in Targumim ſive Paraphraſibus Bibliorum Chaldaicis continetur. III. *Studium Rabbinicum* vulgare librorum ſine punctis. IV. *Maſora*, ſive Critica Hebræorum ſacra. V. *Studium Talmudicum librorum antiquiorum & ſecretiorum*: quales ſunt *Talmud* utrumque, Babylonicum & Hieroſo-

ly-

lymitanum, *Medraſchim* item ſive Commentarii Allegorici & Cabaliſtici. Hi & quoad res, & quoad ſermoni genus, omnium ſunt difficillimi. VI. *Styli Hebraici exercitium.* De ſingulis his gradibus ordine pauca.

I.

De Lingua Ebraa Studio.

I. PRimum gradum, atque ita fundamentum totius ſtudii pono in cognitione linguæ Hebrææ puræ; tanquam matris cæterarum tum Dialectorum, tum etiam Linguarum omnium. Hujus ſpecimen perefectiſſimum exſtat in Sacris Bibliis Hebraicis, iiſque ſolis. Nam præter illa nullum alium antiquum Judæi habent librum, qui linguâ Hebræâ purâ ſit conſcriptus, vetuſtis ipſorum monumentis omnibus, injuriâ temporum, & gravitate perſecutionum ac exſiliorum, collapſis & deperditis.

II. Linguam Hebræam compendio qui vult diſcere, eum à legendi ratione incipere eſt neceſſe; quæ petenda ex Grammatica. Hic verò ſuadeo, ut quis, quantum fieri poteſt, Grammaticâ utatur unâ, & Autore uno. Nihil enim magis noxium, quàm per multa præcepta, & multos autores volare, præſertim in ipſis initiis. Optimè in hunc

hunc ſenſum dixerunt veteres Hebræi; רלא גממרי מחר רובה לא נתקיה תורתם בידם *Qui non diſcunt à Præceptore uno, in illorum manibus Lex non eſt ſtabilis*, hoc eſt, illi nihil ſolidi addiſcunt, nullam ſolidam acquirunt eruditionem & ſcientiam. Grammaticâ ergo utatur primo vel *Cardinalis Roberti Bellarmini*, vel *Epitome Grammaticâ IOHANNIS BUXTORFII*, impreſsâ Baſileæ apud Ludovicum *König*, in 8. Hac tamen eum potiùs, quam illâ, uti malim ideo; *primò* quia per ſe eſt brevis & valde ſuccincta, captui diſcentium accommodata: *deinde*, quia, ubi ulterius progrediendum erit ejuſdem Buxtorfiii pleniore & perfectiore Grammaticâ uti cogetur, & aliis ejus ſcriptis per univerſum hoc ſtudium. Quantum autem laboris & tædii ſit compendium, ubique eodem Autore, iiſdem præceptis, eadem methodo uti poſſe, ſatis dici nequit.

III. Ad legendi itaque rationem acquirendam, Tyro in hoc ſtudio ex dicta epitome Grammatica memoriæ inſulpet Literarum & Vocalium nomina, figuras & poteſtates, atque ut citiùs imprimantur, & firmiùs inhæreant, calamo ſingulas pingere & effingere poterit. Hinc ad vocales cum conſonis conjungendas, & ſyl-

ſyllabas componendas accedet. Apud Hebræos conſona ſemper inchoat ſyllabam: Vocalis longa cum una litera ſyllabam conſtituit: Vocalis brevis duas conſonas conjungit. Inde ſtatim ad lectionem tentandam perget. Ad hoc repetenda ſunt quinque priora Grammaticæ capita.

IV. Exercitatio lectionis fiat conjunctim in formis Conjugationum in Grammatica, & in Sententiis Mercurii Quadrilinguis. Nam, cum utraque ſint à Tyrone ediſcenda & memoriæ infigenda, tantò facilius deinceps id fiet, ſi exercitatio hæc lectionis in dictis argumentis præceſſerit. Primum tamen omnium tentamen velim eſſe in Conjugationibus; *primò*, quia ibi legendi modus eſt facilior, quùm eædem literæ & voces repetantur, unâ duntaxat aut altera ſyllaba immutata. 2. quia facilitatem ſtatim ſequitur aliquis profectus. 3. quia profectus iſte amorem ſtudii generat, & continuationem urget: 4. quia utilitatem aliquam ſimul affert, ad tanto minore cum labore Conjugatione ediſcendas.

V. Exercitatio hæc lectionis, ſive privatim fiat à diſcente ſolo, ſive præſente præceptore, fiat clara voce, non per meditationem aut confuſam muſſitationem, ut conve-

veniente pronunciationi rectiùs aſſueſcat, & linguam tanto expeditiorem ad peregrinam linguam proferendam reddat; *deinde* ſit continuata, quotidiè minimùm per horam, nec dies ullus ſine exercitio abeat: *tertiò* fiat tamdiu, donec habitum aliquem lectionis adeptus fuerit, neque priùs ulteriùs progrediatur. Tota hæc exercitatio intra menſem ad ſummum perfici poterit.

VI. Promtitudine aliqua in Lectione adeptâ, ulterius pergendum, Lectio in ſententiis continuanda, & cum ea conjungenda ſententiarum duarum, trium vel quatuor interpretatio, pro diſcentis vel captu, vel diligentiâ; accedendum quoque nunc ad Conjugationes verborum memoriæ mandandas.

VII. Quamprimum itaque Tyro ad interpretationem acceſſerit, ſimul quoque incipiet Paradigmata verborum memoriæ mandare, quotidiè unam ad minimum formam, initium faciendo à verbis perfectis. Has ubi tenuerit, ſtatim præceptor, ex lectis & expoſitis ſententiis, Verba omnia perfecta ſeliget, atque ad paradigmata applicare docebit, quo ipſo omnia accidentia, & ipſam radicem, diſcipulus uno momento perfectiſſimè cognoſcet. A verbis perfectis ſimilis progreſſus fiet ad verba imperfecta; quotidiè eas radices ex ſenten-

tentiis excerpendo, & examinando, quarum formas & paradigmata diſcipulus memoriæ jam commiſerit. Cum hac continuatione accreſcet paulatim ſententiarum exponendarum numerus. Notandum autem, in primo hoc curſu Verba tantum nuda & ſimplicia eſſe conſideranda, non cum Affixis Pronominibus conjuncta.

VIII. Circulo conjugationum abſoluto, & oſtensâ nudorum Verborum ad paradigmata applicandorum, & reſolvendorum ratione, explicabit deinde præceptor quoque Pronominum cum Verbis rationem; Nominum item & Pronominum doctrinam tractabit, oſtensâ primùm, juxta Præceptorum doctrinam, nudâ ipſorum de numero in numerum declinatione, prout varietas formæ ſingularis id admitit. Si Pronomina adjuncta fuerint, ea ſeparabit; & Nominis formâ abſolutâ inventâ, Nomen flectetur per numerorum differentiam. Voces indeclinabiles, quia paucæ ſunt, nudo tantùm indicio indigent.

IX. Atque ad hanc exercitationem ſufficient dicti duo libelli, Mercurius ſcilicet quadrilinguis, & Epitome Grammatica. Hunc autem curſum ubi abſolverit, & generalem linguæ cognitionem aſſecutus fuerit (ſive totum Mercurium abſolverit,

ſive

ſive, non: quamvis ſatius eſſet, ut totum abſolveret cum curſu Epitomes Grammaticæ) ſuadeo, ut ad Libros Biblicos legendos ſe accingat. Nam hic totius hujus ſtudii eſt finis, ut Verbum Dei eâ linguâ exaratum intelligere queamus. In his ſolis totius linguæ Hebrææ puritas, elegantia, & nitor conſpicitur. Hi omnium rerum Hebraicarum, omnium ſtatutorum, rituum, dogmatum, &c. principium ſunt & fundamentum Ad Biblici ſtyli normam ſolam ſtylus, ſi quis in eo excellere cupit, formandus eſt & fingendus.

X. In libris Biblicis initium fieri poterit, ut communiter ſolet, à Pſalterio. Hîc verò jam plures difficultates & anomaliæ, vocesque irregulares ſe offerent, quam in ſententiis, ubi analogia Grammatica ſervata. Harum rationem cùm aliquo modo perceperit, ad vocum quoque conjunctarum explicationem erit pergendum, Syntaxis examinanda, Hebraiſmi explicandi, Anomaliæ quælibet enucleandæ, Accentuum diſtinguentium ratio, & quicquid ad abſolutam Grammaticæ tractationem facit, exquiſitè tractandum.

XI. Ad hæc autem pluribus & plenioribus jam opus eſt ſubſidiis & inſtrumentis. Requiritur perfecta Grammatica,

ca, quæ hæc omnia perſpicuè & perfectè tradat: requiruntur Lexica commoda, in quibus Radices inveſtigari, & ſignificata vocum addiſci poſſint. *Grammaticam* autem hactenus nullam vidi pleniorem & perfectiorem, quàm *Theſaurum Grammaticum IOHANNIS BVXTORF-FII*, editum Baſileæ apud Ludovicum *König*, in 8. In eo enim cùm vocum ſingularum natura & proprietates, omneſque anomaliæ ſpeciales, exactiſſimè & minutiſſimè explicantur, tum Vocum conjunctarum ratio & elegantia ita accuratè & copiosè pertractatur, ut vix quicquam intactum relictum videatur, quod deſiderari, vel diſcentem remorari poſſet. *Lexica* ſunt varia; Commodiſſimè tamen ab initio adhiberi poterunt ejuſdem BUXTORFII Lexica; & primò quidem ejus *Manuale Hebraicum* in 12. in quo omnes Voces tam Primitivæ quàm Derivativæ, quotquot in Sacris Bibliis exſtant, cum nudis illarum ſignificationibus proponuntur: deinde ejuſdem *Lexicon Hebraicum* in 8. in quo Vocum ſignificata inſuper exemplis copiosè illuſtrantur, & plurima loca difficilia ex Hebræorum Commentariis explicantur. Hoc Lexico vel propter Mercurium eſt opus; quia adjunctum eſt ei Lexicon bre-

ve Rabbinicum, communiora Vocabula continens,quæ in Rabbinorum Commentariis paſſim occurrunt. Fieri autem non potuit in Mercurio, quin plurimæ ex Rabbinis & Chaldæa etiam lingua ei inſerantur voces, ob varietatem materiarum & vocabulorum, quæ ex Lingua Hebræa, ut in Bibliis eſt comprehenſa, omnes peti minimè potuerunt. Præter hæc vero ſunt & alia Lexica utiliſſima & optima, magisque prolixa atque copioſa, ut *Theſaurus linguæ Sanctæ Pagnini, editus Lugduni in fol.* Item, *Arca Noæ, ſive Theſaurus linguæ ſanctæ Marci Marini, edita, Venetiis apud Iohannem Degaram*, Anno 1563. (Hæc duo Biblicas tantùm voces continent & explicant:) *Lexicon Pentaglotton, Hebraicum, Chaldaicum, Syriacum, Talmudico-Rabbinicum & Arabicum, Valentini Schindleri*, edit. Hanov. 1612. Hoc Lexicon debitâ ſuâ laude nequaquam defraudandum: ſed quam mancum, mutilum & imperfectum ſit in Chaldaicis, Talmudicis & Rabbinicis, docebit *Lexicon Chaldaicum, Talmudico-Rabbinicum IOHANNIS BVXTORFII.*

XII. Hæc ſtudii Hebraici exercitatio tamdiu continuabitur, donec quis ſacra Biblia ſine hæſitatione Grammaticè intelligere, & mediocriter, atque majori ex parte, interpretari poſſit. Nam ineffabile

eſt,

eſt, quantum in totius Linguæ, & ſequentium partium ſtudio, adjumentum afferat, ſi quis bonus ſit Grammaticus, & bonus textualis. Unde Judæi ſupra omnes eum efferunt, qui bonus eſt *Baal paſuk*, ut ipſi loquuntur, hoc eſt textualis & Grammaticus. Proinde, licet quis ad linguam Chaldæam & Rabbinos accedat, nunquam tamen hoc ſtudium deponendum & abjiciendum.

XIII. Nullam autem certam periodum huic ſtudiō aſſignamus & determinamus hac vice; id vel Præceptoris prudentiæ, vel Diſcentis diligentiæ committentes. Ab hoc autem gradu, ubi quis ſufficienter in eo confirmatus fuerit, proximum eſt, ut ſcandant ad ſecundum, Linguæ ſcilicet Chaldææ ſtudium.

I I.

De Lingua Chaldæa.

I. Linguæ Chaldææ ſtudium, Linguæ Hebrææ ſtudioſo ideò quoque eſt neceſſarium: primo, quia capita quædam in Daniele & Eſra hac linguâ ſunt exarata, quæ lectu & intellectu æquè ſunt neceſſaria, atque cæteræ Bibliorum ſacrorum partes: deinde, quia multi utiliſſimi atque adeò antiquiſſimi & præſtantiſſimi Hebræorum libri eâ ſunt ſcripti: tertiò, quia

etiam

etiam vulgares & recentiores Rabbini ſubinde ſcriptis ſuis multa Chaldæa inferunt; unde ad illorum lectionem nemo feliciter unquam accedet, qui non Chaldææ quoque linguæ cognitione tinctus & imbutus fuerit.

II. Habet Lingua Chaldæa easdem Literarum & Vocalium figuras cum lingua Hebræa, eandem etiam legendi rationem ferè ſequitur: unde hic de ejus exercitatione potiſſimum agendum.

III. Primum hujus linguæ tentamen ſit in Daniele & Eſra, quia in his lingua pariter eſt facillima & puriſſima: cum interpretatione & uſu conjungantur Præcepta Grammatica, eodem modo & eadem methodo, ut in Lingua Hebræa, à Verbis incipiendo, & ad reliquas Orationis partes progrediendo. Præcepta hîc nec ſunt tam multa, nec tam difficilia, ut in Lingua Hebræa, Anomaliæ pauciores, unde ipſa Lingua quoque facilior.

IV. Propter conformitatem autem ſuadeo, ut hîc quoq; utaris *Grammaticâ Chaldaica & Syriacâ IOHANNIS BVXTORFII, editâ Baſileæ, apud Ludovicum König*, quæ eandem habet methodum, eadem præcepta cum Grammatica Hebræa, unde longè faciliùs eam intelliges, eique aſſueſces. Ad Danielem & Eſram legendum ſuf-

ſufficiet ejusdem Lexicon Hebraicum & Chaldaicum in 8. cujus antea facta mentio. In his duobus libris omnia Vocabula explicata invenies, quæcunque in Daniele & Eſra occurrunt. Modum exercendi docebit te tertius liber dictæ Grammaticæ, qui Praxin hujus linguæ oſtendit, & exemplis illuſtrat.

V. A lectione Danielis & Eſræ tranſitus fiet ad Targumim, ſive Paraphraſes Bibliorum Chaldaicas. Harum auctores præcipui ſunt Onkelos & Jonathan, quorum ille quinque libros Moſis, hic Prophetas, tranſtulit: uterque paullò ante tempora Chriſti floruit. Hagiographorum auctores ſunt obſcuriores, recentiores, & his quoque impuriores. In omnibus autem linguæ priſtinus nitor multùm à Danielis & Eſræ puritate deflexit. Unde pluribus quoque obſervationibus Grammaticis ad Paraphraſtas legendos eſt neceſſe. Initium fiat ab Onkelo, tamquam facillimo, & qui præ cæteris omnibus Textûs Hebræi literam preſsè ſequitur. Poſt Onkelum ſequatur Jonathan, Prophetarum Paraphraſtes. Hunc Hagiographa, quorum auctores ſunt diverſi, ſtylo quoque & ſermonis genere differentes: in quibus omnibus & ſingulis, dialecti differentias obſervare decet.

VI. Nam. ut hoc obiter hoc loco moneatur, Chaldaicæ linguæ dialectus triplex eſt: Babylonica, Hieroſolymitana, & Syriaca in ſpecie ſic dicta. *Babylonica*, quæ in florentiſſimo Babyloniæ regno floruit, & puritatem elegantiamque ſummam adepta fuit, ita ut reliquarum dialectorum meritò ſtatuatur norma, amuſſis & fundamentum. *Hæc vel eſt Prior & Antiquior, vel Poſterior*. *Prior* ſive antiquior, quæ tempore exſilii Judæorum in Babylonia viguit, in qua Daniel & Eſra Prophetæ, magnam ſuæ hiſtoriæ partem conſcripſerunt, quam etiam Jeremias tenuit, ut ex particula iſta Epiſtolæ Syriacæ liquet, quam ad Judæos, in Babylonico exſilio viventes, conſcripſit, Jer. 10. 10. *Poſterior*, quæ aliquot annis centenis poſtea, tam in Babylonia quàm in Judæa, inter reduces Judæos uſitata fuit, ac longè à priori nitore receſſit, propter regnorum ac diverſorum populorum commixtionem. *Eſtque vel Targumica vel Talmudica. Targumica*, quâ Targumiſtæ, id eſt, Paraphraſtæ & interpretes Chaldaici Veteris Teſtamenti uſi ſunt in Tranſlatione Chaldaica; Onkelos quidem in Legem, & Jonathan in Prophetas priores, poſteriores, & duodecim minores. *Talmudica dialectus eſt*, quâ Talmud Babylonicum in Babylonia conſcriptum eſt. Fieri

hoc

hoc cœptum 500. annis poſt vaſtatum Templum ſecundum, ab illis Judæis, qui poſt captam Urbem Hieroſolymam à Tito, in Babyloniam fuerunt profugi, & Legem Judaicam ibi in Scholis publicè docuerunt. Abſolutum fuit illud opus circa annum 500. poſt Chriſtum natum. Interea Babylonia quoque inſigniter vaſtata, turbata, & ex variis populis mixta ac confuſa fuit, veluti vicinis Ammonitis, Moabitis, Perſis, Arabibus, Ægyptiis, & aliis, per quos priſca illa Babylonica ſeu Chaldæorum lingua ſic corrupta fuit, ut veſtigia duntaxat ejus in Opere Talmudico appareant. *Hieroſolymitana* dialectus eſt, qua uſi fuerunt Iudæi Hieroſolymis, & in terra Iudææ, poſtquam ex Babylonia fuerant reverſi. *Eſtque vel ſimpliciter Hieroſolymitana, vel Syro Hieroſolymitana, qua & in ſpecie Syriaca, vel Syra-Comagena, ſeu Antiochena dicitur.*

Simpliciter Hieroſolymitana eſt, quâ Targum librorum Hagiographorum, ut Iobi, Pſalmorum, Proverbiorum, & quinque *Megilloth* ſive libellorum, nempe Ruth, Threnorum, Cant. Canticorum, Eſther & Eccleſiaſtes conſcriptum eſt. Tum etiã ſpeciale Targum in quinque libros Moſis, quod in ſpecie Targum Ieruſchalmi ſive Hieroſolymitanum appellatur; item aliud

eorundem librorum Targum, quod Jonathanis nomen præfert, qui verò nequaquam eſt Jonathan ille priſcus, qui Prophetas interpretatus eſt. In his tamen ipſis quædam locutionis differentia eſt, & maximè in rebus ipſis, ut plures & diverſi ipſorum auctores omnino fuiſſe videantur. Targum Iobi & Pſalmorum antiquius eſt, ut & in rebus, reſpectu reliquorum, purius. Targum Proverbiorum ab his eſt differens, & multos habet Syriaſmos, i d eſt, Verba & phraſes cum Syriaca Antiochena ex æquo convenientes. Targum in quinque Megilloth ſeu libellos his omnibus poſterius eſt, &c. Hæc dialectus pleraque ex parte cum Babylonicá poſteriore convenit, in quibuſdam tantùm diſcrepat. Habet & plura vocabula Græca & Romana, quam priores paraphraſtæ. Ad hanc quoque dialectum pertinet Talmud Hieroſolymitanum, liber Zohar, quædam Medraſchim, &c. *Syriaca in ſpecie* ſic dicta eſt, quæ etiam Syra Comagena ſive Antiochena dicitur, quæ ex Antiocheno tractu in reliquas Syriæ partes propagata, ampliſſimum poſt reliquas dialectos uſum obtinuit. Eâ Novum Teſtamentum, poſt Apoſtolorum tempora, deſcriptum eſt. Sed hæc ſufficiant de dialectis linguæ Chaldææ, quarum differentia paſſim in Gram-

Grammatica Chaldaica & Syriaca BUXTORFII indicatur, atque ſub finem ejus in praxi ipsâ exemplis demonſtrantur.

VII. Quia verò Paraphraſtarum horum tranſlatio, in ordinatâ & confuſâ punctatione ab imperitis punctatoribus & librariis inſigniter deformata eſt & perturbata; ideò haud parum intereſt, quanam editione in lectione Paraphraſtarum utaris. Editiones Venetæ in fol. quotquot prodierunt omnes, corruptiſſimæ ſunt, & infinitis mendis plenæ. Malo huic doctiſſimorum virorum ope medela afferri cœpta eſt in laudatiſſimo illo Opere Bibliorum Regiorum. Sed præterquam quod exemplaria nunc ſint rara, non cujuſvis eſt tam carum & pretioſum opus comparare, neque etiam omnia in eo caſtigata ſunt & emendata. Suaſerim ergò, ut quis utatur Bibliis Buxtorfianis editis in fol. Baſil. anno 1620. apud Ludovicum Regem, ſub titulo; *Biblia Hebraica & Chaldaica, cum Maſora qua Critica Hebræorum ſacra eſt, magna & parvâ, ac ſelectiſſimis Hebræorum interpretum Commentariis, &c. In his nunc primùm, poſt quatuor editiones Venetas, Textus Chaldaicus à deformitate punctationis, & pravitate vocum innumerarum vindicatus, &c. Studio fido & labore indefeſſo IOHANNIS BVXTORFII, &c.*

VIII. Ad lectionem horum Targumim commoda quoque exſtant ſubſidia, quæ noviſſe & adhibere, magnum laborum eſt compendium. *Subſidia iſta ſunt vel Generalia, vel Specialia. Generalia* ſubſidia voco Lexica Chaldaica huc facientia, qualia ſunt, *Lexicon Chaldaicum & Syriacum IOHANNIS BVXTORFII* F. quo Voces omnes tam primitivæ quàm derivativæ, quotquot in univerſis V. T. librorum Paraphraſibus Chaldaicis, & N. T. Syro exſtant, explicantur, &c. Editum hoc eſt Baſileæ in 4. apud Ludovicum Regem, anno 1622. Hoc ad Paraphraſes legendas ſufficiet abunde: nulla enim vox occurret, cujus explicatio illic non exſtet. Poterit tamen quis etiam adhibere antè commemoratum *Lexicon Scindleri*; ſed in eo haudquaquam omnes voces reperiet. *Specialia* ſubſidia ſunt ſequentia; *Interpretatio Paraphraſium Chaldaicarum Latinarum* ſi haberi poſſit. Exſtat autem in Opere Regio. Librorum quorundam particularium interpretationem ediderunt nonnulli cum notis, quæ non carent ſuo fructu. *Paulus Fagius Latinè vertit Paraphraſin Chaldaicam Onkeli in Legem, annotationibusque illuſtravit,* edit. Argentorati, anno 1546. *Iohannis Mercerus, Profeſſor Regius, Lutetiis, edidit duodecim Prophetas minores Chaldaicè*

cum

cum Verſione Latina, & Notis Pariſiis apud Carolum Stephanum, anno 1557. *Oſvvaldus Schreckenfuchſius edidit Canticum Canticorum & Eccleſiaſten Salomonis Chaldaice cum Verſione Latina*, Baſileæ apud Henric. Petri, anno 1553. Ejusmodi libri ſi qui alii quoque prodierint, & prodeant, diligenter ab hujus linguæ ſtudioſo ſunt conquirendi. Plurimum etiam adjumenti adferet ad Paraphraſes Chaldaicas IOHANNIS BUXTORFII Lexicon Chaldaicaicum majus, quod nunc ſub prælo, & ejuſdem Commentarius propediem, Deo dante, edendus, ſub titulo; *IOHANNIS BVXTORFII Babylonia, ſive Commentarius Criticus in Vniverſas Paraphraſes Chaldaicas, quo non ſolùm infinita menda & corruptelæ, quæ in Targum Editionum Venetarum occurrunt, ſub cenſuram revocantur, & ex Analogia Grammatica, ex ipſius linguæ naturâ & fundamentis, ex locorum denique collatione emendantur, ſed & variarum editionum Venetarum. Bibliorum Complutenſium, Regiorum, &c. differentiæ conferuntur & examinantur, &c.*

Hac viâ in linguâ Chaldaicâ procedens, & his ſubſidiis inſtructus, breviſſimo temporis ſpatio, DEO benedicente, magnos progreſſus faciet.

III.

De Studio Rabbinico.

I. Fundamentis in utraque linguâ, Hebræâ & Chaldæâ, bene jactis, tutò quis accedere poterit ad Rabbinorum ſcripta legenda. Et quò confirmatior in illis fuerit, eò celeriùs & felicius hîc quoque proficiet. Nam qui bonus eſt Grammaticus, & ſermonis quoque mediocrem notitiam in ſignificatis & idiotiſmis intelligendis poſſidet; is, viſâ aliquâ ſententiâ ſine punctis ſcriptâ, facile ſenſum ejus divinabit, &, ſenſu cognito, puncta ſecundum leges Grammaticas adjiciet.

II. Hic verò per Rabbinos, non intelligimus veteres illos Talmudicos & ſimiles, qui ſermone magis Babylonico quàm Hebraico, eoque corrupto & difficillimo, uſi ſunt. Sed vulgares & recentiores, quales ferè ſunt Commentatores Biblici, Philoſophi, Hiſtorici, Theologi. Ab his, tanquam facilioribus, incipiendum in ſtudio Rabbinico. Nam communiter uti ſolent ſermone Hebraico, in paucis tantùm idiotiſmis ab eo recedentes, & peculiaribus vocibus utentes, ut in ſequentibus videbimus.

III. Hujus ſtudii exercitatio inſtituatur præeunte Præceptore vel vivo, vel mu-

muto. Nos hic breviter utrumque modum delineabimus.

IV. Præceptor, qui diſcipulum rationem legendi ſine punctis vult docere, lentè procedat & ſequenti utatur methodo. Primò omnium ſententiam unam & alteram ſine punctis diſcipulo proponat, ſenſum ejus ei latinè exponat, ſi aliqua à Biblico ſermone differentia, vel peculiaris ibi vox Rabbinica lateat, ſignificet, & declaret, exinde jubeat diſcipulum ſententiam illam ſcribere, & calamo puncta ei addere ac denique eâdem ſine punctis iterum exhibitâ, legere & interpretari. Ubi diſcipulus in punctando erravit, præceptoris erit ei errorem indicare, & ex Grammatica rationem ei demonſtrare & inculcare. Continuetur hoc per aliquot dies.

V. Ubi guſtum aliquem in ſententiis punctandis perceperit, ad continuum aliquem textum, & ſcriptum Rabbinicum deveniat. Hic ante omnes ſuaſerim eligere Commentatores Biblicos, quales ſunt R. Salomon Jarchii, R. Abraham Aben Eſra, & R. David Kimchii, & ex his initium fieri à R. D. Kimchio, qui ſimpliciſſimus eſt & puriſſimus. Commodiſſimi autem ad hoc inſtitutum ſunt Commentarii in Prophetas minores. Ex his ſeligatur unus, iſque breviſſimus, ut eſt Obadias vel

 Jo-

Jonas, & ut in primo tentamine dictum, explicet Præceptor diſcipulo quotidiè aliquot lineas, quæ declaratione opus habent declaret, jubeat iterum ea quæ explicavit ſcribere, punctare, & tum eadem ſine punctis ex libro legere & interpretari. Continuetur hoc per aliquot ſeptimanas in uno & altero Propheta.

VI. Incredibile dictu eſt, quantum hoc punctationis exercitium, cùm ad confirmationem præceptorum Grammaticorum, tum ad certam & ſolidam lectionem Rhabinorum momentum adferat. Nam quotieſcunque in punctatione dubium eſt & hæſitatio, ad præcepta Grammatica eſt recurrendum, ratio ibi inveſtiganda, quo ipſo fit, ut quæ hoc pacto memoriæ impreſſa ſunt, nunquam excidere poſſint. Ad certiorem etiam & ſolidiorem Rabbinorum lectionem, mirum quantum conducat hoc exercitium. Qui ex uſu rationem hanc legendi acquirunt, ut Judæi, nunquam ita correctè & emendatè legunt, ut ii qui artem hanc ex fundamentis Grammaticis addiſcunt. Hinc ex centum Judæis vix unum reperies, qui emendatè & ſecundum artem poſſit legere. Communiter enim ex uſu tantùm linguam addiſcunt, & Grammaticæ ſunt imperiti. Ita qui ex Chriſtianis laborem hunc ſubterfugiunt,

&

& ſine præjactis fundamentis hiſce ſine punctis legere velle præſumunt, nunquam promti & expediti fiunt in hoc ſtudio, ſed ad primam quamque vocem difficiliorem impingunt, &, ut mus in pice, hærent. Sine pennis volare eſt difficile.

VII. Cum Præceptor viderit, diſcipulum correcte ſatis punctare poſſe, tùm labore hoc eum ſublevare poterit, & ſinet eum illa, quæ ei interpretatur, domi ſolùm repetere, & deinde in præſentia ipſius reddere, ut antea.

VIII. A lectione R. Davidis Kimchii, qui Grammaticus eſt, poterit etiam accedere ad Aben Eſram, qui Philoſophus eſt & Aſtronomus præcipuè, ab Aben Eſra ad R. Salomonem, qui Theologum agit, & ſubinde Talmudicorum expoſitionis adducit; unde ille omnium eſt difficillimus, ac proin poſt cæteros tractandus. Hujus generis Rabbini, præter tres commemoratos, ſunt quoque R. Levi ben Gerſom, R. Saadias, & alii: Libri item Hiſtorici, & Philoſophici, &c.

IX. Atque hæ ſunt generales cautiones, quas Præceptorem vivum obſervare decet, in formando Rabbino Chriſtiano. Quod ſi verò quis vivo ductore deſtituatur, adhibeat præceptores mutos, hoc eſt, exerceat ſe omnium primò in iis legendis,

quæ in Chriſtianorum libris, abſque punctis effata, & Latinè reddita, reperiuntur. Ex Latina interpretatione de ſingulis vocibus facilè judicabit, ſi formâ ipſarum accuratiùs inſpectâ, dignoſcat, quæ cuique ſignificatio conveniens ſit: Ut ſi in Latina verſione habueris Nomen aut Verbum, videndum quæ vox Nominis aut Verbi vim exprimat; ſi adſit Præpoſitio aut Pronomen, an voci alicui adhæreant, an verò ſeparatim poſita ſint, quæ omniâ quâ formâ legenda ſint, Præcepta Grammatica te ſufficienter inſtruunt. Atque hîc in genere tenendum, quod literæ, &, præter uſum proprium, quem in Bibliis habent, apud Rabbinos ſæpiſsimè mediis vocibus inſeruntur, ad certiorem ipſarum formam indicandam, quæ abſq; iis aut eſſet obſcurior, aut ambigua, ו ſæpiſsime index eſt vel Vocalis Kametzchatuph aut Kibbutz; י ſimplex index eſt ſæpe Chirek brevis, vel Tzere. Vav & Jod in media voce geminantur, ut indicetur, eas eſſe pro conſonis mobilibus legendas, ſive per ſe, ſive propter Dageſch: Sic Vav ab initio, interdum geminatur, quando pro conſona, & quidem radicali, ponitur, ut ſic diſtinguatur à Vav copula. Uſitatiſsimum etiam fuit Chaldaicæ linguæ ſcriptoribus, י Affixum plurale, aut quodcunque antecedente Pathach,

geminare, vel ipſi præmittere literam א Vocalis Pathach indicem; ut, אמריי Verba mea: זכאי Innocens, pro, זכי &c. Sed hæc obiter. Pergamus ad generalia monita.

X. Diximus, eum qui vivo Præceptore eſt deſtitutus, mutos debere in auxilium vocare Præceptores, & primò quidem ea obſervare, quæ in Chriſtianorum libris ſine punctis ſcripta inveniuntur, & Latinè reddita. Ad hoc inſtitutum accommodatiſſimæ ſunt *Epiſtolæ Hebraicæ IOHANNIS BVXTORFII*, in quibus poſt quinquagenam punctatam, & Latinè verſam, quædam ſtudio ſunt relictæ ad hoc exercitium ſine punctis, cum Latina tamen verſione, & notis. Deinde indagandi & conquirendi ſunt integri libri Rabbinici à Chriſtianis editi, & Latinè verſi. Neceſſe enim eſt, ut incipiens primo ea intelligat, quæ vult legere; deinde ex intellectu & ex ſenſu rationem legendi eruat: aliàs fruſtra ſudabit & ungues arrodet. Tales libri, quia non in omnium ſunt notitiâ, haud abs re erit hîc quoſdam nominare & notare:

Iohannes Mercerus edidit Commentarios in quinque Prophetas minores, quibus adjunxit Commentarios R. Salomonis, Aben Eſra; & Davidis Kimchii, *Latinè verſos*, Pariſ. in fol.

Simeon de Muis. Hebraar. literarũ Profeſſor Re-

Regius in Acad. Pariſienſi, edidit Commentar. Hebræo Latinos R. David Kimchii & R. Salomon. Iarchii in Malachiã, Pariſ. 1618. in 4.

Idem ibidem edidit Pſalmum CXII. cum Commentario R. D. Kimchii, in 4.

Idem Latinè vertit Commentar trium Rabbin. Salomonis Iarchii, Aben Eſra & D. Kimchii in Pſ. 19. *Pariſ apud Ioan. Libert.* 1620.

Itinerarium Benjaminis prodiit nuper cum Verſione & notis, ex officina Elzeviriana.

Ionas Illuſtratus, per Paraphraſin Chaldaicam, Maſoram magnam, & parvam; & per 3. Præſtantiſ. Schelemonis Iarchi, Abrah. Aben Ezra, Davidis Kimchi, Textum Rabbin. punctatũ per notas Philologicas, auth. Ioh. Leuſden, Ling. Sanct. Prof. in Acad. Vltraj. prodiit Trajecti ad Rhenũ. apud Gisbertum à Zÿll 1656.

Ejusmodi libros alios Tyro ſtudii Rabbinici indagabit, & ſibi comparabit; atque ex illis voces & locutiones Rabbinis proprias, ſtudioſè annotabit & obſervabit.

XI. Horum adminiculorum uſu confirmatus non nihil, ſine cortice nare diſcet, & ad reliquos quoque Commentarios proprio marte legendos & intelligendos accedet, ſuaſque in iis experietur vires. Requiritur autem hic attentiſſima diligentia, ut ſcopum & propoſitum, ſubjectamque materiam diligenter obſervemus, atque videamus, quomodo ſingula eò accommodari

dari poſſint. Quod ſi etiam interdum hæreamus in vocabulo aliquo vel phraſi integrâ; non ſtatim ideò ſubſiſtendum: ſed pergendùm, & videndum, num forte ex ſeqq. quæ iterum nobis ſunt faciliora, præcedentium quoque ſenſum elicere queamus. Ita ſæpe, quæ in primo acceſſu nobis videbuntur difficillima, in proceſſu ſponte ſuâ reddentur facillima & planiſſiſima.

XII. Ad totum autem hoc ſtudium Rabbinicum promovendum commoda quoque, & quæ ad manus ſunt, ſubſidia ſunt adhibenda, & in auxilium, in occurrentibus difficultatibus, vocanda.

XIII. Præter modum generalem loquendi, cum ſermone & ſtylo Biblico conveniente, habent Rabbini multa propria & peculiaria, atque à ſermone Biblico diverſa. Hæc itaque explicatione & declaratione indigent. Explicatio iſta ſic poſſet inſtitui; ut diverſitas flexionis vocum ſingularum ad Etymologiæ præcepta, tum ſtructura vocum conjunctarum ad Syntaxeos regulas, modosque examinaretur, ac linguæ Ebrææ præceptis in ſpecie ſubjiceretur, ut ſic univerſalis quædam inſtitutio Grammatica, tam ad Biblicum, quàm Rabbinicum ſermonem intelligendum, conformaretur. Aliquid hic conati ſunt olim Munſterus, Angelus Caninius, & poſt

hos

hos Giſbertus Genebrardus, Hebræarum literarum Profeſſores quondam: ſed accuratior requiritur induſtria. Qui tamen habere poteſt Genebrardi *Iſagogen ad legenda & intelligenda Hebræorum ſine punctis ſcripta, edit. Pariſiis apud Ægidium Gorbinum, anno* 1587. non ſine fructu eâ utetur. Exſtat etiam in prima editione Theſauri Grammatici BUXTORFII *Instructio brevis ad Lectionem Rabbinicam abſque punctis vocalibus.* Qui diligens & ſtudioſus fuerit, is ipſemet ſibi hæc talia poterit colligere, & annotare. Ea quæ Rabbini ex Chaldaiſmo habent, ex Grammatica Chaldaica quoq; (de qua ſuprà) peti poſſunt, in qua ſparſim multi Rabbiniſmi explicantur.

XIV. Deinde uſurpant Rabbini in ſuis ſcriptis multas voces, quæ in Bibliis non exſtant, ſed ex populari ipſorum ſermone petitæ ſunt & deſumtæ: multa etiam vocabula Chaldaica, aut locutiones integras, ad ejus linguæ Dialectos conformatas. Hic opus eſt ſpeciali & ſufficienti Lexico. Hac in re deſudârunt olim Sebaſtianus Munſterus, David de Pomis Judæus in Italia, Guido Fabricius in Opere Regio Hiſpanico, peculiari Tomo, qui Lexica quatuor continet, & recenter Valentinus Scindlerus in Lexico Pentaglotto. Sed horum librorum exemplaria hodiè ſunt

ra-

rariſſima, ac præterea infinitos defectus & errores continent. Qui ergo his libris deſtitutus eſt, ei ſuaſerim ut primo utatur Lexico Hebraico IOHANNIS BUXTORFII in 8. Ei enim ad finem adjectum eſt Lexicon breve Rabbinicó-Philoſophicum, communiora vocabula continens, quæ in Commentariis paſſim occurrunt, cum aliquot utiliſſimis Obſervationibus ad Rabbinicum ſtudium ſpectantibus. Deinde comparet ſibi, quamprimum prodierit, *Lexicon ejuſdem Chaldaicum, Talmudicum & Rabbinicum*, de quo paulò poſt in Studio Talmudico.

XV. Tertiò creberrimi ſunt Rabbini in Scriptura Sacra citanda. Id ita ſolent facere, ut nec Characterem varient, nec libros vel capita indicent; ſæpe etiam nullâ præmiſsâ formulâ, lectorem de allegato loco monente. Hinc ſæpe difficultates quoque & tenebræ. Hic neceſſariæ ſunt Concordantiæ Hebraicæ, ad loca illa quærenda & inveſtiganda. Prodierunt olim *Primò* omnium Concordantiæ Hebraicæ Venetiis, apud Danielem Bombergum, an. Chriſti 1523. in fol. *Secundò*, Baſileæ apud Ambroſium Frobenium, an. 1581. in fol. *Tertiò*, an. 1621. Romæ quoque prodierunt Novæ Concordantiæ Hebraicæ, cum interpretatione locorum Latinâ ad latus po-

poſitâ, Auctore R. P. Doct. F. Mario de Calaſio, ord. Min. Obſerv. Prov. Romanæ, Linguæ Sanctæ Profeſſore. *Quartò*, denique nuper editæ ſunt Concordantiæ Hebrææ à Johanne Buxtorfio Baſileæ, anno 1632. Duarum priorum editionum exemplaria jamdudum ſunt diſtracta; Romana editio pretii & molis eſt nimis grandis, ut non à quovis comparari poſſit; neque ad ſcholaſticum uſum ita ſit accommodata; quatuor enim integros tomos in folio conficit. Methodum præterea habet eandem cum duabus primis editionibus. Per cætera opus ſplendidiſſimum, laborioſiſſimum & utiliſſimum. Ad Scholarum uſum accommodatiſſimæ ſunt *IOHANNIS BVXTORFII Concordantia, novâ & artificiosâ methodo diſpoſita, in locis innumeris depravatis (in prioribus nempe editionibus) emendata, deficientibus plurimis expleta, Radicibus antea confuſis diſtincta, & ſignificatione Vocum omnium Latinâ illuſtrata.* Methodus earum tota eſt τεχνικὴ & artificialis, Radices ſecundum varietatem Conjugationum, Modorum, Temporum, Generum, Numerorum, Perſonarum, &c. cum Præfixis, Affixis, &c. pariter nomina ſecundum differentiam numerorum, & cæterorum accidentium, diſpoſita: radicibus ſive primitivis, omnia derivata ordi-

dine & methodicè ſubjecta. Sic in Concordantiis his compendioſiſſimè, primò Locus quæſitus momento, & facillimo jucundiſſimoque labore invenitur. deinde Lexici Hebraici, omnibus vocibus flexilibus completi, forma abſoluta proponitur: denique Maſora ſive Critice perfecta, quoties, qua formâ, quo libro, cap. & verſu unaquæque vox declinabilis in textu Hebræo invenitur, numeratò traditur. Acceſſerunt etiam ad hanc editionem ſeparatim, eademque methodo, Novæ Concordantiæ Chaldaicæ omnium vocum Chaldaicarum, quæ in Daniele & Eſra continentur. Infinitum & inæſtimabilem hic liber habet uſum quoque in legendis & explicandis Bibliis Hebraicis, dum omnia loca, in quibus unaquæque vox reperitur, conjunctim ſtatim ad oculi intuitum conſpiciuntur; ita ut illorum etiam, qui non adeò profundè in Rabbinorum ſcripta penetrare cupiunt, nemo hoc libro, ſiquidem tum habere poſſit, carere debeat, atque inter eos quoque ſint cenſendi; qui ad primum hujus Studii Hebraici gradum utiles ſunt & neceſſarii.

XVI. Quartò uſitatiſſimum eſt Rabbinis abbreviatè ſcribere, & voces plures, in certas literas contrahere, quas appellant *Raſche te vos*, Capita dictionum. Capita-

les

les enim ſive initiales vocum literæ ſumuntur, & conjunctæ, duobus apicibus ſupernè notantur, ut inde conſtet, eſſe abbreviaturas: ut זכרונו לחי חעולם הבא pro זלהה: *Memoria ejus ſit ad vitam ſeculi venturi.* Sine harum abbreviaturarum cognitione nemo poterit in ipſorum ſcriptis ſine offenſione progredi. Mediocrem earum Catalogum recenſuerunt Munſterus & Mercerus: ſed omnium copioſiſſimè Johannes Buxtorfius in peculiari libello, quem ſcripſit *de Abbreviaturis Hebraicis*, edit. Baſileæ apud Ludovicum *König*, in 8.

XVII. His in Rabbinorum ſcriptis animadverſis, hisque ſubſidiis adhibitis, planum expeditumque, meo judicio, erit iter in vulgares Ebræorum ſcriptores, quales ſunt Commentatores Biblici, Hiſtorici, & Philoſophi, & fontes Iſraëlis inter hos Chriſtianos quoque puram tanquam manabunt. Ad Philoſophos, quorum ſtylus pro materiæ varietate intricatior eſt & difficilior, magnum adminiculum adferet, ſi quis legerit librum R. Moſis Majemonidis, quem Hebraicè vocat *More Nevochim*, hoc eſt, Doctorem perplexorum, & cum Hebræo, contulerit *Verſionem Latinam IOHANNIS BVXTORFII, F. quæ edita eſt Baſileæ, anno* 1629. *apud Ludovicum König, in* 4.

IV.

IV.

De Studio Maſorethico.

I. A Studio Rabbinico, ſuadeo Linguæ Hebrææ Candidato, ut in Maſoram quoque penetrare, ejusque legendi rationem addiſcere ſtudeat. Maſora eſt doctrina critica, à priſcis Hebræorum ſapientibus, circa textum Hebræum Sacræ Scripturæ, ingenioſè inventa: quâ verſus, voces, & literæ ejus numeratæ, omnisque ipſarum varietas notata, & ſuis locis cum ſingulorum verſuum recitatione indicata eſt, ut ſic conſtans & genuina ejus lectio conſervaretur, & ab omni mutatione aut corruptione præſervaretur & validè præmuniretur.

II. Habent Maſorethæ in hac ſuâ arte ſtylum Chaldaicum, eumque valdè nervoſum & conciſum; habent peculiares terminos & vocabula, abbreviaturas & decurtationes vocum ſingulares: unde ſine doctore & ductore commodo vix quisquam Maſoram legere poterit ac intelligere. Quæ cauſa fuit cur hactenus pauciſſimi, tam inter Judæos quàm Chriſtianos reperti fuerint, qui ejus veram aliquam notitiam habuerunt.

III. Ex Hebræis unicus Elias Levita, genere Iudæus, gente Germanus ſuperio-

riori ſeculo, ſuis hanc viam præivit, edito libro Maſoreth Hammaſoreth. Ejus exemplaria, tam inter Judæos quàm Chriſtianos rariſſima hodie pares cultores habent. Inter Chriſtianos eo etiam rationes, quod latinè nunquam liber iſte ſit converſus.

IV. Ex Chriſtianis unicus quoque eſt JOHANNES BUXTORFIUS, qui artem hanc Chriſtianis aperuit, & omnia ejus myſteria pandit & revelavit. De hac materia agit liber ipſius, cujus titulus: *Tiberias ſive Commentarius Maſorethicus triplex; Hiſtoricus, Didacticus, Criticus; quo primùm hiſtoria Maſoretharum Tiberienſium, ſive, à quibus Maſora conſcripta ſit, excutitur: quid item tractet, quæ ejus methodus, & quo fine inventa ſit, amplè explicatur: Secundò, Clavis Maſoræ traditur, per quam ad maxima & minima Maſoræ penitiùs cognoſcenda, facillimus datur aditus. Tertiò Caſtigationes innumerorum mendorum per univerſam Maſoram proponuntur.* Baſ. apud Ludovic. *König*, in folio.

V. Si itaque hiſtoriam Maſoræ, ejusque, ut compendio dicam, cauſam Efficientem, Materialem, Formalem & Finalem noviſſe cupis, primam dicti commentarii conſule partem. Si rationem eam legendi, voces ejus decurtatas, abbreviatas, vocabula denique Maſorethis peculiaria

&

& propria cupis intelligere, ſecundam adi partem, & Clavem Maſorethicam adhibe, quæ hæc omnia tibi perſpicuè & methodicè explicabit, aditumque à primis ad intima & magis abſtruſa Maſoræ penitùs cognoſcenda, facillimum & planiſſimum reſerabit. Si modum exercendi & praxeos ſcire cupis, invenies ſub finem dictæ Clavis, Analyticam Maſoræ magnæ & parvæ in primum caput Geneſeos explicationem, unde ad eam diſcendam ceu manu duceris.

VI. Exſtat autem Maſora hæc tantùm in Bibliis Venetis majoribus, à Daniele Bombergo olim excuſis, & in editione Baſilienſi BUXTORFII; quæ ideò Venetis præferenda, quòd in ea loca innumera Maſoræ in Venetis editionibus tranſpoſita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, ſubſidio diverſorum exemplarium & Concordantiarum Hebraicarum, repoſita, reſtituta & conciliata ſint, ut ex tertia dicti commentarij Maſorethici parte, critica videlicet videre eſt.

VII. Ad hoc ſtudium, Concordantiarum Ebraicarum inevitabilis eſt neceſſitas. Nam quando Maſorethæ loca Scripturæ numerant & adducunt, nullius libri mentionem faciunt, ſed verba duntaxat recenſent. Atque hic inprimis Buxtorfianarum Con-

Concordantiarum uſus & utilitas eluceſcit, ubi formæ ſingulæ, more Maſorethartum, accuratiſſime ſunt diſtinctæ, ejuſdem formæ vocabula ſub uno titulo & tabella comprehenſa & repræſentata; unde labor loci inquirendi compendioſiſſimus & jucundiſſimus.

VIII. Hoc ſtudium quamvis initio videatur difficillimum, intra pauciſſimarum tamen ſeptimanarum ſpatium, adhibito commentario hoc Maſorethico & Concordantiis, abſolvi poterit.

V.

De Studio Talmudico.

I. Studium Talmudicum ultimum eſſe jubeo, quia omnium eſt difficillimum. In Talmud enim omnes Hebrææ & Chaldææ linguæ dialecti, quaſi in Oceano immenſo, concurrunt, infinita vocabula & loquendi modi, nuſquam alias occurrentes, rerum ſubtilitas & difficultas maxima. Unde qui ad lectionem Talmudis, & ejus ætatis ſcriptorum, vult accedere, bene inſtructus & præparatus accedat, neceſſe eſt.

II. Quid Talmud ſit, quidque in eo contineatur, non eſt neceſſe hîc commemorare. Adeat, qui hoc noſſe vult, *Operis Talmudici recenſionem, quam* IOHANNES BUXTORFIUS *adjecit ad Tractatum de abbreviaturis Hebraicis.* Ibi enim non

ſuum

tantum in genere exponit, quid ſit Talmud Judæorum, quæque illius apud recutitam gentem auctoritas: ſed & omnes libros & capita Talmudica, cum ſingulorum argumentis, recenſet. Hujus generis & ſtyli libri, ſunt quoque Zohar, Mechilia, Rabbos, qui vel circa tempora Chriſti ſunt conſcripti, vel non ità diu poſt, dum adhuc lingua Chaldæa, ſed corruptiſſima Judæis erat vernacula.

III. Talmudis editiones exſtant tres: *Prima* excuſa eſt Venetiis à Daniele Bombergo, chartâ elegantiſſimâ, & characteribus nitidiſſimis: *Secunda* prodiit Baſileæ, ab Ambroſio Frobenio, anno 1588. In hac editione exſecta ſunt operâ Marci Marini ea, quæ contra Chriſtum & Chriſtianos erant dicta, & hujus rei causâ quoque integer omiſſus Tractatus, qui *Avoda Sara* appellatur, hoc eſt, *De Idololatria*. Econtra habet hæc editio hoc præ editione Veneta, quod libri & capita locorum Scripturæ, in Talmud allegatorum, in margine ſunt adſcripta; quod magnum præſtat in legendo compendium. Quod ſi etiam locus idem vel materia eadem, in Talmud alibi quoq; exſtet, loca illa parallela iterum ad marginē ſunt appoſita. *Tertia* prodiit Cracoviæ, ante non ita multos annos. In hac editio-

ne ſunt reſtituta ea, quæ in Baſilienſi exemplari expuncta.

IV. Talmud duplex eſt, Hieroſolymitanum & Babylonicum, illud collegit. R. Iochanan, Anno Chriſti 230. Editum eſt Cracoviæ. Alterum eſt Babylonicum, quod colligere cœpit Raf Aſſe, Anno Chriſti 367. & laboravit in eo per annos ſexaginta. Ipſi ſucceſſit Maremar, Anno 427. & tandem à R. Avina abſolutum Anno Chriſti 500.

V. Dividitur utrumq; Talmud in Miſchnam & Gemaram. Miſchna conſtat ferè Dialecto Hebræa: Gemara autem Dialecto Chaldæâ impuriſsimâ, cui infinita vocabula peregrina, Græca, Arabica, Perſica, Latina, &c. ſunt immixta; ob Judæorum inter has gentes deportationes, & exſilia, à quibus ſingulis aliquid retinuerunt, & linguæ ſuæ admiſcuerunt.

VI. Hujus ſtudii duæ præcipuæ ſunt difficultates: *primò* Dialecti linguæ peculiares; *deinde*, Voces & phraſes Talmudicis propriæ quamplurimæ. Utrique commodis remediis eſt obveniendum.

VII. Prima difficultas tollitur explicatione Dialectorum & idiotismorum Talmudicis propriorum, quod pertinet ad Grammaticam. Pauci autem ex Chriſtianis hactenus hic aliquid præſtiterunt;

quia pauci fuerunt, qui cum judicio & intellectu Talmud Judæorum legere potuerunt. Aliquid hic quoque præſtitum eſt in Grammatica Chaldaica JOHANNIS BUXTORFII, in qua paſsim dialectus Talmudica per Etymologiam & Syntaxin inſerta: ſub finem etiam in tertia parte, quæ praxin continet, exemplis ex utroque Talmud, libro Zohar, & aliis, illuſtrata. Sed & hæc ampliùs augeri, & pleniùs deduci poſſent.

VIII. Alteri difficultati medebitur Lexicon, quod omnia vocabula & loquendi modos continet, Talmudicis uſitatos. Hoc quidem aliqui hactenus tentârunt, Münſterus, David de Pomis, Guido Fabricius, & Valentinus Scindlerus, ſuprà quoque à nobis citati, ſed nequaquam ſufficienter, infinita prætermiſerunt, & poſterorum diligentiæ reliquerunt, quam plurima malè explicarunt: voces exemplis nullis illuſtrarunt, qui non exiguus eſt defectus. Nam exemplis voces illuſtrant, & vox una eademque in diverſis phraſibus adhibita variam quoque ſæpe habet vim & ſignificationem. Omnibus his ſuccurrere conatus eſt iterum *IOHANNES BVXTORFIVS in Lexico Chaldaico, Talmudico & Rabbinico*, quod in trigeſimum uſque annum preſſum, nunc in lu-

cem prodit. In eo cæterorum Lexicographorum defectus abundantiſſimè ſupplentur, errores corriguntur, maculæ eluuntur, locutiones & phraſes Talmudicæ apponuntur, & exemplis ſelectiſſimis illuſtrantur, elegantes ſententiæ & adagia paſſim inſeruntur, hiſtoriæ & ritus veteres multi, è Rabbinorum tenebris & latebris in lucem producuntur, atq; ex his omnibus ad uſum hujus ſtudii demonſtrādum paſſim Sacrorum Scriptorū & aliorum authorum loca quamplurima declarantur, illuſtrantur, emendantur, omniaq; ea copioſè explicantur, quæ ad ſtudium hocce ſcitu neceſſaria, & utilia videntur. Quinimo propter magnam exemplorum copiam, eorumque dilucidam interpretationem & expoſitionem, ea omnia hoc Lexicon ſupplebit, quæ in Grammaticis deſiderantur & deficiunt. Sine hoc gubernatore nemo unquam feliciter vaſto illi mari Talmudico ſe committet. Nequaquam enim ad ſecretiora hæc Hebræorum ſcripta legenda ſufficit, Vocabulorum duntaxat notitiam habere; multarum præterea rerum, hiſtoriarum, fabularum, dogmatum, rituum, conſuetudinum & ſimilium peritia requiritur, quæ in hoc uno libro, velut in Cornucopiæ ditiſſimo, reperiuntur, & una cum ipſis vocabulorum

ex-

explicationibus proponuntur, annotatis ubique librorum, unde ſingula petita & deſumta ſunt, nominibus, foliis & columnis, immenſo & incredibili laboris exemplo. Quanto autem majoris laboris, temporiſque longioris fuit, iſta congerere & comportare, tantò minoris laboris & tædii erit in poſterum ea addiſcere, & uſibus accommodare.

IX. Præter hæc generalia inſtrumenta, utile & è re erit, ut ſuprà in vulgari Rabbiniſmo monuimus, ſpecialia quoque ſi quæ ad manus ſunt, adhibere: qualia ſunt ea, quæ à Chriſtianis è Talmude in linguã Latinam ſunt translata, Atque ab his, ſi quis talia nanciſci poterit, initium hujus ſtudii poterit facere, maximè, ſi vivo præceptore ſit deſtitutus. Ita *Conſtantinus l'Empereur edidit Talmudis Babylonici Codicẽ* Middoth, *ſive, de Menſuris Templi, una cum verſione latina & notis, Lugd. Batav. apud Elzevirios, an.* 1630. Sic prodierunt Amſterdami, apud Joh. Janſonium, an. 1629. *Duo Tituli Talmudici Sanhedrin & Maccoth: quorum ille agit de Synedriis, Iudiciis ſuppliciis capitalibus Hebræorum: Hic de pœna falſi teſtimonii, exſilio & aſylis, flagellatione.* Et hoc ipſo tempore, ni fallor, prodierunt, vel prodibunt proxime, quidam alii ſimiles tractatus Lugd. Batav. à Conſtantino l'Empereur.

Exſtat quoque caput ultimum Tractatus Sanhedrin, quod vocatur *Chelek*, Germanicè verſum à Chriſtiano Gerſon, Judæo-Chriſtiano. Atque hujus generis, ſi qui alii exſtent, cultor hujus ſtudii ſedulus diligenter indagabit & comparabit. Magno enim cum fructu & ſucceſſu verſiones iſtas cum originali linguâ conferet.

X. Quia verò ad hujus ſtudii majorum perfectionem conſequendam, jam ipſi Hebræi quoque ſunt conſulendi, qui etiam peculiares libros ſcripſerunt ad Talmudis intelligentiam, proderit & horum librorum notitiam aliquam habere. Talis eſt ספר הליכות עולם *Sepher halichos olam*, quem recenter Latinè vertit Conſtantinus l'Empereur, Lugd. Batavor. cum titulo, *Clavis Talmudica*. Exſtant & alii. Cum verò nimis prolixum foret hic omnes commemorare, brevitatis causâ remitto eum, qui hos & alios libros Hebræorum ſcire cupit, & copiam eorum ſibi comparare, ad *Bibliothecam Rabbinicam* IOHANNIS BVXTORFII. in qua libri Rabbinici quotcunque tum indagari potuerunt, ordine alphabethico in aciem ſunt diſpoſiti cum ſingulorum argumentis, & locis impreſſionis. Edita eſt autem hæc Bibliotheca Baſil. unà cnm abbreviaturis ejuſdem.

XI. Permultum etiã juvat hoc ſtudium,

co-

cognitio Rituum Judaicorum. Rebus enim præcognitis, tanto facilior quoque evadit verborum ſenſus & intellectus. Hinc & iſtiusmodi libri ſunt comparandi, qui res Judæorum Eccleſiaſticas, Politicas, & OEconomicas tractant. Tales ſunt, *Caroli Sigonii de Republica Hebræorum*: *Cornelii Bertrami liber de Politia Judaica tam Civili quàm Eccleſiaſtica*: *Petri Cunæi de Republica Hebræorum*, Lug. Batav. an. 1617. *IOHANNIS BVXTORFII Synagoga Judaica*, qua tota fides Judaica, cum omnibus ipſorum ceremoniis, ritibus, ſtatutis, &c. abſolutiſſimè deſcribuntur. Hæc edita eſt germanicè Baſileæ: & latinè Hanoviæ. His adde eos auctores, qui contra Judæos, ex ipſorummet libris, ſcripſerunt & diſputarunt, ut eſt Petrus Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis*: quamvis hic omnia ſua, (ſuppreſſo tamen nomine) deſumſerit ex libro *Martini Raymundi*, quem vocat, *Pugionem Chriſtianorum, ad impiorum maximè Judæorum perfidiam jugulandam*, qui auctor ante 400. circiter annos vixit. Ejus libri exemplar manuſcriptum exſtat apud Buxtorfium Baſileæ. In his & ſimilibus libris multa etiam ex Talmud & aliis libris paſſim citantur, & latinè vertuntur, quæ Hebraiſmi ſtudioſus in ſuum uſum poteſt convertere.

VI.

De Stylo.

I. VErbum addam etiam de ratione & modo ſtylum formandi & exercendi. Quæ enim præceſſerunt, ea conſiſtunt in Analyſi & lectione auctorum Hebraicorum. Ex iis Geneſis, hoc eſt, novi operis ſcriptio eſt petenda, & ad illorum normam confirmanda.

II. Stylus ab Hebræis is maximè commendatur, qui quàm proximè ad puritatem linguæ primævæ accedit. Hæc autem, cùm in ſolis libris Sacris permanſerit; ideò ii quoq; doctiſſimi in ſtylo judicantur, qui ad imitationem locutionum Sacrarum ſermonem ſuum formant, atq; adeò locutiones ejusmodi artificiosè ad ſuum propoſitum & res familiares applicare norunt.

III. Prout autem oratio eſt vel ſoluta ſive proſa, & ligata; ita qui hîc vult excellère, anniti debet, ut in utroque aliquid præſtare queat.

IV. Solutæ orationis modi docentur in Syntaxi: elegantia autem & nitor diſcendus ex bonis auctoribus. Hujus ſtyli uſus hodie potiſſimum eſt in ſcribendis epiſtolis Hebraicis. Quodnam autem Hebræorum in conſcribendis Epiſtolis familiaribus & eruditis ſit artificium, quomodo illæ formandæ, quis ſtylus obſervandus, nemo inter Chriſtianos hodie oſtendit præter

Johannem Buxtorfium. Qui itaq; id noviſſe cupit, legat libellum ejus, cujus titulus; *Inſtitutio epiſtolaris Hebraica, ſive, De conſcribendis epiſtolis Hebraicis liber, cum epiſtolarum Hebraicarum centuria, ex quibus quinquaginta punctata, latinè explicata, & notis illuſtrata ſunt: Acceſſit appendix variarum Epiſtolarum R. Majemonidis & aliorum ejus ſeculi excellentium Rabbinorum, Baſ. apud Ludovicum* König.

V. Ligatæ orationis partes ſunt duæ, *Metrũ & Rhythmus. Metrum* eſt, quod vel certum ſyllabarum numerũ tantùm, vel certæ menſuræ pedes, certis locis collocatos, ſimul cõtinet. *Rhythmus* eſt numerus poëticus, certum ſyllabarum numerum, certis clauſulis terminatũ, continens. Hujus ligatæ orationis artificium & elegantiã apud Hebræos qui noviſſe cupit, adeat & hîc *IOHANNIS BVXTORFII Tract. de Proſodia Hebr. qui Theſauro ejus Grammat. eſt adjectus.*

VI. Poſt hos, ſi quis linguæ Hebraicæ in ſcribendo nitorem, elegantiam, puritatem, & ſplendorem videre & imitari ulterius cupit, legat *Hakdamos*, id eſt, Præfationes librorum Judaicorum. In iis enim quiſq; author eloquẽtiæ ſuæ vim oſtentat, & omnimodum cultũ orationis ſtudioſiſſimè ſectatur. Sed & ab his virtutibus inſigniter præ aliis omnibus commendatur

liber qui vocatur בחינת עולם *Bechinath olam*,qui cum illuſtri commentario eſt editus, & de vanitate mundi agit; Hunc Judæi legunt, quotquot eloquentiam ambiunt. Ab hac virtute laudatur & liber משל הקדמוני׳ *Meſchal Hakkadmoni*,ad vim, virtutem, uſum & elegantiam linguæ Hebrææ oſtendendam,præcipuè conſcriptis. Ex his utile erit, elegantes phraſes excerpere, & in locos communes redigere, ut, cùm uſus ipſorũ eſt,inde depromi poſſint.

VII. Sed ſufficiant iſta quoq;in genere de ſtylo Hebraico. Potuiſſent quidem ſingula fuſius explicari,& exemplis etiam illuſtrari. Sed propoſiti noſtri hac vice duntaxat fuit,Generalem σκιαγραφίαν & delineationẽ hujus ſtudij proponere,& inſtrumenta neceſſaria indicare. Hoc conſilio & his inſtrumentis qui uſus fuerit,is brevi temporis ſpatio haud pœnitendos fructus reportabit. Vidi, qui hac methodo intra vertentem annum mediocria fundamenta in omnibus ſex hujus Studii partibus jecerunt,& eouſq; ſunt progreſſi, ut proprio marte ulterius progredi, ſeq; ipſos, adhibitis ſubſidiis,commodè juvare potuerint. Si præter indicatos in hoc conſilio autores, alii ſint vel æquè commodi,vel cõmodiores,qui ad meã fortè notitiã non devenerunt,eos quilibet iſtis adjicere & conjungere poterit.

Deo Gloria!

HEN-

HENRICI MOREELSE JC^{ti}.

DISSERTATIO.

DE

MANUDUCTIONE STUDIOSI JURIS

Per Academiam ad Rempublicam.

QUA

Poſtquam in ſupremam Provinciæ Trajectinæ Curiam conſcriptus eſſet, Profeſſionem juris in Academia ibidem depoſuit.

ANnus ad finem properat decimus, Auditores, cum ex Duodecimviratu Urbano ad profeſſionem Academicam ab ampliſſimo urbis Magiſtratu, paribus votis, evocatus ſum: quo tempore, inaugurali ex hoc loco præmiſſa diſſertatione, De Jurisprudentiæ Romanæ uſu hodierno, deinceps ſtudioſam juventutem in ipſa artis noſtræ penetralia, qua poteram plana & perſpicua via, manu ducere, omnibus ingenii viribus contendi. Quo in negotio dum totus ſum, placuit Illuſtribus & Præpotentibus Provinciæ Trajectinæ Ordinibus, pro benigno, quò me, ſtudiaque mea proſequuti ſunt, judicio, in

ſupremam Provinciæ Curiam, unanimi ſuffragio, me conſcribere. Quam ob cauſam, petita & impetrata à Senatu Urbano miſſione, officii mei eſſe exiſtimavi, quo modo Profeſſorium ſuſcepi munus, eodem deponere: ut publice conteſtarer, me ſtationem mihi concreditam non deſerere, ſed juſſu Imperatoris evocatum, eam cum alia, juſtitiæ utique miniſterio devota propius, legitime commutare. Imitaturus igitur diſcedentium morem, quo donarivum aliquod conſignare iis ſolent, quibus impenſe favent, in gratæ memoriæ & benevolentiæ teſſeram: eodem erga vos officio, nobiliſsimi & præſtantiſsimi juvenes, qui undique in hanc Academiam ad capiendum ingenii cultum conceſsiſtis, in præſentiarum defungi propoſui: diſſertaturus de Manuductione Themidi ſacratæ juventutis, per Academiam, ad Rempublicam. Confidens non ingratam eorum auribus futuram, quibus egregia flamma in pectore creſcit, ut legitimo opere perfecto, rempublicam, in partibus ejus ſibi credendis, recte poſsint gubernare; gloriamque ac famam & merita optimorum juriſconſultorum, in omni hiſtoria, antiqua, media, & hodierna, præclaris radiantia elogiis, aut æquare aut ſuperare. Formare igitur inſtituens juriſconſultum
ideam

ideam ejus præmitto, & deſcribo: Virum bonum, ſtudiis humanitatis primo edomitum, dein ſacri, publici, & privati juris peritia inſtructum; qui conſilio, oratione, & ſtylo, juſtum ab injuſto ſeparando, æquum ab iniquo diſcernendo, Dei, populi, & privatorum jura, ſarta tecta tueri, lapſa erigere, & fatigata poſſit reparare; qui quamcunque in republica politicam aut juridicam ſortietur perſonam, eam decore ſuſtinere, & ad publicam omnium, ac privatam ſingulorum ſalutem & tranquillitatem dirigere poſſit & velit. Neutiquam illi mihi jurisconſulti ſunt, qui vix rude triviali donati, & humaniorum diſciplinarum præſidiis deſtituti, nil niſi cauponariam intendentes cauſidicinam, privati juris ſcita perfunctorie deguſtant, crudaque & immatura ſtudia in forum propellentes, iras & verba locant, multiplicandis & intricandis potius, quam diluendis litibus: adeo ut quibus mercenarii hi rabulæ jurisconſulti cluent, iis vera rerum vocabula excidiſſe, Catoniana indignatione, liceat exclamare. Veriſſime namque elogio Tulliano, non ſcientia juris, ſed ignoratio litigioſa eſt. Præmiſi hanc deſcriptionem, ut in ipſo limine monerem ſtudioſum, ad quem finem curſus juridicus dirigendus ſit, qui ſcopuli evi-

evitandi; neque animum huc conferendum eſſe rixoſum, procacem, & vafrum; ſed ad honeſtatem, juſtitiam, & pietatem compoſitum. Deinde ut, pulcherrimo & honeſtiſsimo propoſito fine, flagrantem in animis diſcentium inſtillem amorem, quo alatur, & generoſo impetu excitetur induſtria & alacritas; tædiaque & difficultates, quæ in ſtudiorum tractu myſtas ſubinde oppugnare ſolent, & ſine amoris validiſsimo incétivo ſæpe expugnare, pertinaci labore & perſeverantia ſuperentur.

Hac ſtudioſo noſtro, in matriculam Academiæ recepto, propoſita meta, pauliſper eum in ipſo veſtibulo adhuc morari placet, & ſerio monere, ne abſque decenti præparatione juriſprudentiæ fanum ingrediatur. Sed in iis diſciplinis, quibus efferati hominum animi, & agreſtes mores, cicurantur & emolliuntur, politiorique litteratura, hiſtoriis, philoſophia, atque arte imprimis oratoria guaviter ſeſe exercendo, ad omne decorum & honeſtum ſeſe formet & firmet: animum, ad univerſalem juſtitiam in omnibus vitæ actionibus cum omni prudentia & manſuetudine exerendam; affectus ad rectæ rationis dictamen flexibiles & obſequentes; mores ad decoram elegantiam & civilitatem; vultum ad modeſtiam cum hilaritate & venuſtate

ſtate temperatam ; Sermonem ad vere-cundam parrheſiam & gratioſum acu-men; ſtylum ad nitorem, ubertatem, & perſpicuitatem ; totum corporis ſtatum & cultum, ad omnem condecentiam & ingenuam gravitatem ; converſationem ad benignam comitatem, probitatem & affabilitatem: cuncta ſub obedientia veritatis Chriſtianæ. Præcipua jurisprudentiæ futura & ornamenta, & adjumenta ad quælibet negotia, intus ac foris; feliciter & honorifice tractanda & pertractanda: ſive cauſa in foro dicenda, vel in judicio ventilanda & decidenda ſit ; ſive in politico conſeſſu bonum reipub. ſuadendum, malum diſſuadendum ſit ; ſive finitimæ aut exteræ nationes fœderibus devinciendæ, concepta odia placanda ſint. Quod tamen de philoſophiæ ſtudio monui, id cum Enniano philoſopho paucis fieri velim, ut ea, tanquam inſtrumentali veritatis indagandæ arte, per rectam mentis ratiocinationem, ad veram ſapientiam aditus juventuti pandatur: neutiquam ut, quod proh dolor ! fieri quandoque ſolet, verſatili ludificationum calliditate ab ea abducatur. Satis enim naturæ noſtræ depravatio à juſtitia & veritate averſa eſt, ut omni arte & ſtudio à deceptionibus & fallaciis divertenda, non meandris & gryphis ſophiſticis

ad-

adjuvanda ſit. Multum itaque ac diu philoſophicis implicari diſputationibus, magnam partem circa terminorum & logomachiarum tricas occuparis, toto ut diſſuadeam animo, magnos auctores habeo. Nam, uti inani ac ſeductrice illa philoſophia (quam à vera ſejungo) depravandam Dei cognitionem & cultum, prophetico ſpiritu, prævidit gentium Apoſtolus, maximoque ſuo malo per Scholaſticos doctores experta eſt Chriſti Eccleſia; adeo ut infelici plane rerum & Chriſtianiſmi ſorte theologis ſophiſtis non ſolum inferiores, ſed & deſpectui habiti ſint theologi biblici & ſcripturarii. (Quod vitium ne in ipſam quandoque reformationem oſtentionali eruditionis intemperantia prorepat, omnibus bonis ſummopere annitendum eſt) Ita conſimiliter eandem ſubiiſſe tempeſtatem proximam Theologiæ Juriſprudentiā, jure meritoq; cōqueritur pragmaticorum interpretum princeps, & fori Gallici decus & ornamentum, Carolus Molinæus. Atq; ut Jurisconſulti id emendarent, jam ſuo ævo optavit & hortatus eſt qui literatorum errores, & perſonatas, ſub ſpecie reconditæ eruditionis, impoſturas vidit, pervidit, & bono publico detexit, ſplendidum Belgii ſidus Deſiderius Eraſmus. Nec præterire quoque poſſum,

quin

quin in arte quam ſuaſi oratoria, rei optimæ uſui ſaluberrimo peſſimum ſummatim opponam abuſum. Id velim omni ſtudio intendat myſta noſter, ut gravi & perſpicua oratione, quæque naturali ac decora pulchritudine exſurgat, & verecunda venuſtate, rem tractandam, veris, non fucatis depingat coloribus, bonum & æquum ſuadere, malum & iniquum diſſuadere addiſcat: eoque velut, dulci Muſarum cantu, facilem & pronum in veritatem & juſtitiam aſſenſum ab omnibus impetrare. Illud vero vatiniano execretur odio, ut unquam mellitis verborum globulis, dictiſque quaſi papavere & ſeſamo ſparſis, velut faſcinantibus Sirenum vocibus, non mulceat ſolum aures, ſed & decipiat; ut unquam inſidioſa, turgida, ac inani loquacitate, de malo prædicando bonum, & de bono malum; tenebras pro luce, & lucem pro tenebris ſtatuendo, veritatem & juſtitiam & ſemet prodere ac perdere attentet. Frequenter enim in hac palæſtra vitia induere perſonam virtutis; falſitas veritatis ſimulachrum amat repræſentare, ac imitamentis ſimpliciores & incautos ludificare.

De Theologiæ ſtudio pudor eſt dubitare Chriſtianum, quin cum omni arte & diſciplina, non in curſu ſolum Acade-

demico, ſed omni tempore vitæ ſit conjungendum. Quærentibus primum regnum Dei cætera adjicere promiſit Servator: & timorem Domini initium eſſe ſapientiæ, jam à tenella & balbutiente ætate didicimus. Indignum itaque quolibet viro literato, in Dei cognitione non ſupra vulgus ſapere. Indigniſſimum futuro juriſconſulto, quippe cuſtodiæ utriuſque divinæ legis tabulæ præficiendo, quemque reipublicæ admorum Eccleſiæ nutritium eſſe voluit Deus. Nunc ita præcultum & præmonitum juvenem ad ſacra Themidis meritiſſimò admitto, tradens ipſi in manus inſtitutionum Imperatoriarum libellum, jugi atque aſſidua lectione verſandum, à quo tyrocinio prolixiores amoveo commentatores, notulas breviuſculas admitto, imo commendo, inter quas ſane perquam ſuccinctæ, & ſimul nitidæ ſunt, quibus Arnoldus Vinnius libellum adornavit. Nec minus tyroni meo commendo, ut, ductore Julio Pacio, ſingulos paragraphos analytice aſſueſcat reſolvere: huic enim reſolvendi arti & conſuetudini, ita velim, imo pervelim, aſſuefieri ſtudioſum, ut omnium, quæ in ulteriore ſtudii, imo vitæ literatæ curriculo lecturus vel auditurus eſt, ſtatim, ſponte ſua, analyſis aliqua animo judicio obverſe-

ſetur, magno futura adjumento in rebus, inopinato ſæpe in foro ac curiis emergentibus, promptè, ordinatè & perſpicuè tractandis, intelligendis, refutandis; prudenti tamen artis adhibita occultatione, ne pedantiſmum, ut loquuntur, redoleat. Sub hoc initium utiliter puto ſubſicivum aliquod deſtinabitur tempus, titulis de Verborum ſignificatione, & de Regulis juris ediſcendis, ſumptis diebus ſingulis binis aut ternis legibus, pro captu & memoria cujuſque, continuandum, donec ſingularum definitio & ſententia memoriæ inhæreat. Inſtitutionibus in ſuccum & ſanguinem converſis, ad Pandectas, Codicem & Novellas Conſtitutiones ſtudioſum meum deduco: conjungo hoſce libros, quia non ordine ſucceſſivo hic procedi placet, ne fruſtraneum impendat laborem, addiſcendo in prioribus libris, quod in poſterioribus dediſcendum ſit: ſed conſonantes materias, & parallelos titulos ſimul velim tractari, præcedaneo ductu aut Cujacii, aut Pacii, Azonis, Weſembecii, Perezii, noſtratis Zoeſii aliorumve, qui methodica partitione, ſummas materiarum, & titulorum paratitla elucubrarunt: in hiſce enim libris, quia rubricis ſubjectæ leges, non ordinate diſpoſitæ, ſed tumultuarie conge-

ſtæ

ſtæ ſunt, non ab ipſo textu, uti in Inſtitutionibus initium faciendum cenſeo. Atque in hoc curriculo nolo ſtudioſum meum jure controverſo,& quæſtionum altercationibus multum involvi, aut per multos auctores vagari, ſed uni aut alteri ex probatioribus, velut glebæ adſcriptum, credula cura, & ſedula diligentia, immorari deſidero: ut eorum manuductione inveſtiger, memoriæque infigat omnium juris materiarum fundamenta, definitiones, diviſiones, proprietates, requiſita: hactenus enim Platonicum illud mihi placet. Tantum quemque ſcire, quantum memoria tenet. Hac ſynoptica totius juris cognitione, poſtquam imbutus erit diſcipulus meus, accuratam prædictorum exigo repetitionem, junctis quotidianis præcipuarum materiarum quæſtionibus & controverſiis. In qua ſtudiorum periodo myſtæ meo, paucis huc uſque adſcripto auctoribus, libertatem concedo per quoſcunque bonos auctores exſpatiandi, ut ex iis optima atque exquiſita quæque excerpat, & in locos communes referat. Horum enim omnino hoc tempore initium fieri deſidero, facta diſpoſitione, pro cujuſque libitu, vel artificioſa methodo, vel inartificioſa alphabeti ſerie, quæ mihi novis ſubinde titulis adjiciendis accommodatior videde-

detur:opus toto ſtudiorum,imo vitæ tempore ſine intermiſſione continuandum,futurumq; & penuarium & promptuarium, unde totius vitæ peracti labores depromi, & rerum occurrentium actibus feliciter poſſint impendi. Fræna quoque hic laxo privati ſtudii,crebrasq;cum profeſſoribus, creberrimas cum commilitonibus, publice privatimque velim inſtitui collationes,diſputationes,diſſertationes : nunc opponentis, nunc defendentis, nunc arbitrii, nunc diſcentis, nunc docentis partibus fungendo. Quibus ſine exercitiis, quantumlibet ſecreta cuiquam contulerint ſtudia, quantumlibet muſeo perdiu & pernox quis immoratus, & tantum non immortuus fuerit; minime tamen ſedulitate iſta ſatis ſe firmatū & inſtructum ad capeſſenda fori & reipublicæ negotia deprehendet. Quiq; inter mutos circumſtantes magiſtros, velut ex tripode oracula pronunciare poſſet, eidem, in rebus, publico in cœtu,peragendis, circumſtrepente populo, intentoq; ora tenente, vox faucibus ſæpe hærebit: animoq; ac corpore tremulus ita quandoque obſtupeſcet, ut, velut Terentiano Chremeti,exequias illi ire tempus eſſe videatur. Adeo ut huic duorum alterum ſæpe eveniat, ut vel ad ſegne otium,lucifuga, deflectat,magnifico, ſcilicet,

cet, eruditionis nomine velandum; vel, cum magno labore, tergiverſante pudore minime ingenuo, atque obſtrepente continuo diffidentia, ad ſtudia patriæ & concivibus impendenda ſerius perducatur. Sectetur autem myſta noſter, in omnibus ſtudiorum publicis privatiſque ſpeciminibus & exercitiis, veras & ſolidas juſti atque injuſti rationes & diſcrimina; argutas vero ineptias, & vanas ſubtilitates, formulas umbraticas atque logomachias, velut evanida falſæ ac fictitiæ eruditionis ludibria, fugiat & averſetur. Sapientes exiſtimans, cum Iſocrate, non eos, qui de rebus minutis curioſe rixantur, ſed qui de maximis rebus egregie dicunt. Aſſueſcat ex Connani monito quæcunque in jure civili leget, non ad quandam ſubtilitatem artis, ſed ad naturæ bonitatem dirigere: ut ad eam rectis contendat ſtudiis, quam legum inſtitutorumque omnium finem poſtremum ſibi propoſuerit.

Adjicio porro juris Canonici per decretalium paratitla ſummariam repetitionem, junctis eorum lucubrationibus, qui utriuſque juris differentias compilarunt; quique in hoc jure æque ac in ejus conditore, multa ab Euangelica veritate devortia animadverterunt. Nec enim epiſcopo Chriſtiano legiſlationem politicam, ſed diſ-

diſpenſationem myſteriorum & gratiæ Dei concreditam legimus ; non dominatum in Eccleſiam Chriſti, aut imperium, ſed miniſterium injunctum non utroque accinctum gladio, ſed ſolo ſpirituali, id eſt, verbo Dei vivo & efficaci, ac quovis enſe ancipiti acutiori, quod penetrat uſque ad diſſectionem animæ & ſpiritus, compagumque & medullarum: & judex eſt cogitationum conſiliorumq; cordis. Tempeſtivum quoq; hic puto indagare, quibus in juris articulis, moribus hodiernis, à Quiritium jure receſſum ſit; quid abrogatum; quid ſubſtitutum; ſummaria tamen & generali cognitione, quam compendio ſuppeditabunt juris cujuſque patrii epitomatores: veluti inter Belgas Grotius, Groenewegius, Gudelinus, Zypæus; inter Gallos Imbertus, Bugnonius, Fonſius, Baro; inter Germanos, Schneidewinus, Fachſius, Schultzius & ſiqui ſunt ſimiles. Idque ne ſine hoc ſubſidio in forum productus doctorandus noſter in alium terrarum orbem ſe tranſlatum putet: utque ea præparatoria diſpoſitione imbutus, ex Imperatoris placito omnia porro apertius & perfectius, à quotidiano judiciorum uſu, & fori diſputatione, in ipſis rerum documentis cognoſcere queat. Veriſſime enim Quintilianus: Quan-

Quantumlibet, inquit, ſecreta ſtudia contulerint, eſt tamen proprius quidam fori profectus, alia lux, alia veri diſcriminis facies. Hoc tertio ſtudii legalis curſu abſoluto, confeſtim, ſine ulteriori cunctatione, myſtam meum doctorali laurea inſigniri, & in forum produci deſidero. Diſplicent qui hic obtentu maturioris ſtudii, aut obfirmatioris frontis, commorari ſuadent. Sæpius videas in iis, qui hic cunctantur, langueſcere impetum, & ſtudia retro ſublapſa referri: Forenſis vero ſtudii novitate, novas vires, novam accipere alacritatem. Et aut honoris, aut meſſis aureæ exſpectatione (quæ Stratoclis & Dromoclidis apud Græcos mutua fuit invitatio) de integro vehementer exſtimulari. Minime tamen eſt, quod quis exiſtimet, me cuiquam hic auctorem eſſe præpropere diſtringendi immaturam frontem: quò fundamenta jaciantur impudentiæ, & quod ubique eſt pernicioſiſſimum, præveniat vires fiducia. Sed fructum ſtudiorum viridem, & adhuc dulcem promi volo, dum & venia, & ſpes eſt, audere non dedecet, benignumque ac favorabile judicium præſto eſt. Differendo vero tyrocinium forenſe, quotidie metus creſcit, majuſq; ſemper ſit, quod auſuri ſumus. Et cum conſiſtente jam ætate primâ ingenium

ac

ac vocem exerimus, rigidius judicium metuendum eſt, nec ita in promptu excuſatio eſt & venia. Advocationi vero forenſi omnes velim initiari, in eaque ſtatione, pulchra ſatis & decora, perſeverare, donec inde ad politicum aut judiciale reipublicæ regimen evocentur, utrumque præhabitis exercitiis condecoraturi: in tantum, ut & cui alias integrum eſſet magiſtratum capeſſere, ſatius, puto ei foret (quod tamen vix perſuaſerim) honorem iſtum, tanquam ſibi & reipublicæ immaturum, tantiſper declinare: moram, in advocatoria exercitatione & præcultura, cum amplo fœnere utilitatis publicæ, meritique ac dignitatis propriæ penſaturo. Peritus enim & ſubactus in forenſi jurisprudentia advocatus aptiſſimum lignum eſt Apollini formando. Neque eſt, quod quiſquam, natalium ſplendore aut nobilitate, militiam hanc forenſem inferiorem putet, in qua juventutem ſuam, aliquo ſaltem, exerceat tempore: niſi quis dignitate ſua inferius cenſeat, glorioſæ vocis munimine, laborantium ſpem vitam ac poſteros defendere; ſuæque defenſionis viribus in rebus publicis ac privatis lapſa erigere, fatigata reparare; eoque pacto non minus providere humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam

parenteſque ſalvaret, quæ Imperatoria advocationis forenſis eſt deſcriptio. Ac fortaſſis contemptor hic animus ſtatu ſuo dignius, ſcilicet, arbitretur, in venatione, aucupio, equis domandis, aut arboribus plantandis ætatem agere: ne adjiciam otio, torpore, atque luxu diffluere. Qui pravus ſenſus, utinam non quoſdam generoſiſſimorum majorum degeneres poſteros occupaſſet! Therſitas, non immerito dixeris, Achillæis atque Cecropidis licet natos parentibus; nanos licet Atlante progenitos: quibus inſtar omnium, virum principem Germanicum, quem contemplentur, in hiſtoriæ Romanæ theatro exhibeo, promeritum populi gratulantis atque undique concinentis voces, *ſalva Roma, ſalva Patria, ſalvus eſt Germanicus.* Cui omnes corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam, contigiſſe, conſtat unanimi principum hiſtoricorum teſtimonio: hunc non puduit, etiam triumphalem, cauſas in foro orare. Monito tamen hic, ut videtur, neceſſario, intentioni meæ congruenter, ad ipſas curiæ valvas ſiſtendus es mi advocate. Velim ut in dicaſteriis, aliquo tempore, aſſiduum auditorem, & curioſum exploratorem potius, quam actorem agas. Viſa & audita cum jure & fori vel curiæ inſtructionibus,

Pro-

Provinciæque edictis, ac ſtatutis municipalibus diligenter conferas; ut antequam Martis forenſis ſubeas aleam, uſum fori à corruptela; ſtylum curiæ à tricis & formulis vitiligatorum; Integros & cordatos advocatos, à mercenariis tabulis, & vulturibus togatis ſcias diſcernere: inde edocendus, quid, & quos imiteris, aut vites. Cave autem unquam, cum vulgaribus & craſſis pragmatellis, ſecure indormiſcas formulario iſti, & rituali fori tractui, ſemper degeneranti in deterius. Sed quotidiana fori experimenta, ſive ordinatoria litium reſpiciant, ſive deciſoria, ex jure patrio & communi, uti & ex anteſignanis ordinationum judicialium & conſuetudinum interpretibus atque arreſtographis æſtimes, diſcernas, judices, probes aut improbes: ea ſemper adhibita cautela, ut ſiquod argumentum ex aliarum regionum moribus, aut deciſionibus in commodum tuum attrahere pares; providenter inquiras, an eadem, an vero contraria, aut diverſa, in eodem argumenti genere, utrique regioni ſint principia, quibuſque ſuffulta rationibus: hic enim, dum imprudentius quidam hallucinantur, ſemet, & cauſam, & veritatem, tenebrarum & ambiguitatum labyrintho ſolent illaqueare. Hoc munitus antidoto, puris manibus, & caſta mente tracta foren-

ſes controverſias; omni virtute tua, omnique ope, quod verum & juſtum exiſtimaveris, clientibus tuis prome; quaſcunque cauſas improbas, vel ex mendacibus allegationibus compoſitas, quocunque litis ſtatu, deprehenderis, ilico cum elogio veritatis clienti reſtitue. Nec unquam vocem, aut ſtylum, multo minus animum compone ad ſtomachum litigatoris, ut inordinatis aut turbidis ejus affectibus inſervias; procul abſit omnis impudentia, & conviciandi procacia; abſit prævaricatio, & calumnia; abſit piratica clientium deprædatio. Quodſi vero ex hac ſtatione ad judicialem magiſtratum te vocari contingat, ita animo ac judicio, præhabitis exercitiis, obfirmato, dignitatem capeſſe, ut nec glaucoma oculis tuis à veteratoribus objici, nec ſtatum cauſæ controverſum impoſturis tibi inverti ſinas: ſed ſollicita & ſyncera indagatione penetrans in cauſæ merita, ex juſti & æqui dictamine, omnimoda cum veritate & legum obſervatione, judicium diſpone: conſtantia animi intrepida, quæ neq; potentia frangi, metu conſternari aut minis terreri; neq; gratia inflecti, precibus expugnari, affectu, odio, aut amicitia abripi; neq; pecunia corrumpi, aut donis excœcari, nec quoquam perſonarum, aut rerum pravo reſpectu, à recto ju-

juſtitiæ tramite transverſa agi, aut adulterari queat. Lyra prophetica intus tibi pſallente, per indoctos & imperitos judices, & qui in tenebris gradiuntur, nutare omnia terrarum fundamenta. Juvabunt te in hoc ſancto & honeſto propoſito,& adverſus humanas fragilitates firmabunt, frequentes ad Deum preces, quibus cor ſapiens ad judicandum, & diſcernendum inter bonum & malum, à cœleſti ſapientia liberaliter impetrari, ſapientiſſimus regum omnibus judicibus exemplo præmonſtravit. Juvabit & continua ſtatus tui in ſanctuario Omnipotentis contemplatio: ubi Dei miniſter, filius excelſi, imo Deus, ſed mortalis civis. Judicium, quod exerces, non hominis, ſed Dei eſſe deſcribitur. Tribunal, quod conſcendis, Dei viventis thronus indigetatur. Ubi qui ſonté abſolvit, & inſontem damnat, abominationi Jehovæ, & gentiũ ac nationũ execrationi ſubjicitur. Qui verò juſte judicat, & juſtitiã promovet, illi vita & beatitudo, terrena & cæleſtis promittuntur. Et fieri nequit, quin intimus in præcordiis tuis monitor, quo judice nemo nocens abſolvitur, inſigne prudentiæ & induſtriæ, continentiæ & integritatis ſtudium indeſinenter tibi ſit imperaturus. Ad politicum vero reipublicæ regimen, ſi juriſconſultus, quem par-

turimus, ex forenſi palæſtra evocetur, velim ut ſtatim, omni ſtudio, cum jure publico communi, jus publicum reipublicæ, cujus clavo admovetur, conferat: Edicta, decreta, & pragmaticas ſanctiones de jure ſacro, politico, & militari; generalia, provincialia, & municipalia. Collegiorum & officialium cognoſcat inſtructiones & juramenta. Contractus itidem, & tranſactiones, vel cum ſubditis, vel inter ipſa imperantium collegia, ordines & officia initas. Fœdera & ſponſiones vetera & nova, cum propinquis & diſſitis nationibus contracta. Regionis ſitum, limites, portus, flumina, cœli ſolique qualitatem. Populi naturam, ejuſque propenſiones, & averſiones. Reipublicæ initia, incrementa, caſus & corruptelas, remedia, conſilia, eventus. Quibus inſtructus præſidiis, ſolicita cura, & politica prudentia, ſed in quam continenter influat ſaluberrimus juſtitiæ & æquitatis ſpiritus, Dei, populi, & privatorum jura conſtanter tueatur & conſervet. Nec unquam cum pſeudopoliticis, & tyrannorum magiſtris, ſanctitatem, pietatem, & fidem privatą bona arbitretur, ſed & præcipue publica. Non in ſumma fortuna id æquius putet, quod validius; aut regnandi gratia jus violare licere, in cæteris, ſcilicet, colendo pietatem. Non ſcep-
tro-

trorum vim perire, ſi pendere juſta incipiat; quaſi precario regnetur, ubi honeſta tantum dominanti licent. Sed fidem, juſtitiam, & æquitatem perinde publicæ, atque privatæ beatitudinis, & tranquillitatis cuſtodes & vindices eſſe: imo iis tanquam vitali ſpiritu vegetari, ſine quo præcipiti exitio utrique cadendum ſit. Rationem ſtatus, ut vocant, fidei & juſtitiæ ſubordinet, nunquam præferat: qui enim eam ſummam & illibatam legem, & arbitram publicæ adminiſtrationis ſtatuunt, verendum eſt, ne, aut Deum non eſſe, aut res ſuas agere, humana non curare exiſtiment; aut Omnipotentem cœli & terræ creatorem, ſine injuſtitia, perfidia, & improbitate populi cujuſque beatitudinem politicam non poſſe tueri. Quæ impia & blaſphema ſunt, atque è diametro ori veritatis contraria, quod juſtitia firmari ſolium pronunciavit, imitante id Syracidis ſapientia, cum regnum de gente in gentem transferri propter injuſtitias, contumelias, & dolo partas opes vaticinatur. Porro juriſconſultus noſter nequidem in politico ordine, aut ſtatu quocunque, ſibi, aut cuiquam mortalium plenitudinem arroget poteſtatis in ſolo Deo, bonitate, ſapientia, ac juſtitiâ ipſa cum timore, tremore, atque humillima obedientia vene-

randam: ſed in homine mortali uſurpante eam, atque ad libidinis ac liberæ voluntatis, aut beneplaciti ductum, imo impetum ſæpe, eam vibrante tyrannicam deteſtetur ac deploret tempeſtatem. Si altius aſcendere geſtiat animus, gloriæ cupidus, neutiquam eo contendat, ut eminenti & laticlavia purpura conſpicuus, aut faſcium terrore metuendus, per ora aliorum, ſuperba dominatione tumidus, & procaci licentia ferox, incedat; quæ vana & falſa gloria eſt. Non per aliorum injurias & calamitates, multo minus reipublicæ; quæ deteſtanda emergendi eſt ſemita, qua qui graſſatur turpiter ſuo tempore eſt detegendus, imo ſæpe deturbandus. Non per factiones; in quibus, autore Salluſtio, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quiſque potentia certant; quæque, Liviano ſenſu; fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive, quæque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertunt; quarumque, definitione Tulliana, non alius ſolet eſſe exitus, nisi aut univerſus interitus, aut victoris dominatus & regnum. Sed honeſta ambitione, virtutis & optimorum meritorum via progrediatur: ut reipublicæ, ut eccleſiæ, ut amicis omnibusq; civibus, omnibus deniq; mortalibus,

pa-

paratior utiliorq; ſit, propius poſitus. Nec enim quiſquam populum aut rempublicam, peculium ſuum, ſed ſe, utriuſq; peculium agnoſcat. Denique quocunq; in loco, ordine, aut tempore virtutem & induſtriam exerturus eſt Juriſconſultus, hoc ſibi catholicum & apoſtolicum dogma ſemper habeat ante oculos: imo intimis animi penetralibus infixum, ne quicquam faciat per contentionem, aut inanem gloriam; nam in utrumque, aut alterutrum, frequenter impingere ſolent eruditorum non pauci. Hac juriſpudentiæ, tum Academica, tum forenſi, ac curiali ſemita, quicunque proceſſerit inculpatus Themidis ſacerdos, juſtitiæ finẽ aſſequetur, jus ſuum cuiq;, reipublicæ, eccleſiæ, proximo, ſibi, publice ac privatim tribuendo: atque hoc pacto, ut concludã verbis Imperatoris noſtri Juſtiniani, divinas & humanas res bene diſponet, atq; omnẽ expellet iniquitatem. Hæc ſunt nobiliſſimi & præſtantiſſimi Juvenes, patriæ ſpes, parentũ deliciæ, familiarũ & amicorũ exſpectatio, quæ hoc ultimo profeſſorii muneris actu, vos amice monere propenſus erga vos amor, & enixum cõmoda veſtra promovendi ſtudiũ, à me exegerunt. Hæc ſunt, ut & hic palam, coram frequentiſſima auditorum omnium ordinũ & dignitatum corona, ratio conſtet geſtæ

JOHANNIS HEURNII
DE
STUDIO MEDICINÆ
BENE
INSTITUENDO,
DISSERTATIO.

I.

Quibus præceptoribus utendum ad medicinam, & quibus auctoribus incumbendum.

VT rectè formentur ſtudia, loctum contubernium plurimum valet: optimique viri illud Reipublicæ debent, ut ſuâ conſuetudine juvenum animos rectè ad artes effingant. Propterea Hercules præclaris ſplendens virtutibus (χαλκικάρδιος ob animi fortitudinem dictus) diligentiam in educatione Hylæ ſummam adhibuit: qui tamen parte Theodamante paupere, δρυτόμου natus fertur. Plato, Ariſtoteles, & Plutarchus ſæpe accinunt: Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν δὲ κακοῖσι ξυμμιγῆς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον. *à bonis quidem bona diſces; ſi verò malis converſare, priſtinam quoque mentem perdes.* Præceptores non adſcriptitia quadam benevolentiâ, ſed ex unguibus ament diſci-

pulos: & ut coloni ſæpes arbuſculis circumponunt, ita præceptores curam habeant, ut rectiſſima eruditionis germina pullulent. Hos juvenes ſæpe accedant; nam ſodalitium ad benevolentiam & amorem excitat. Peleus Achilli Phœnicem junxerat, ut edicendi & agendi ductor foret atque magiſter, ut canit Homerus. Horum imitatione præceptores eligatis medicinæ peritos, & benevolos, ac tales qui ad amicitiam proni ſunt, & ante omnia doctos: nam difficilis hæc ars. Ita Apollo (ut cecinit Pindarus) voluit à Chirone ſingulari doctrinâ ſplendente filium ſuum Æſculapium doceri, ubi ait:

καί ῥά μιν Μάγνητι φέρων
πόρεν Κενταύρῳ, διδάξαι
πολυπήμονας ἀν-
θρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

Illum Magneſio adducens commiſit Centauro, ad docendum multinocuos hominibus ſanare morbos. Cùm electi fuerint, eos ſequere; ac citra pertinaciam concertationes cum illis moveto, ut tuis rationibus in re dubiâ, cum illorum judiciis collatis, quantum à vero abſis intelligas, & memoriæ altiùs hoc modo rem immittas. Hinc veteres Palladem non ſine operâ operoſi Dei Vulcani (cujus etiam organa αὐτόματα in opus) ex cerebro Jovis armatam prodiiſſe fingunt:

ocu-

oculis torvè unum in ſcopum collimantem: quod concertatione artes optimè inſculpantur ac retineantur. Non moveant graves quæſtiones, antequam totam medicinæ formam animo complexi fuerint: alioquin hippocentauros proferent, ac inaniter, ut implumes ciconiæ ſubſultantes, alas vibrabunt. legant & relegant primum medicinæ auctores. cedant libenter rationibus: non ſolum enim vincere, ſed etiam vinci ſcire pulchrum eis, in quibus victoria detrimentum adfert. Vinci non vis? pulcherrimum eſt inter differendum à nulla vinci pertinaciâ aut iracundiâ. Domi libris opus eſt, non ut illos poſſideas, ſed ut exercitatio & uſus in illis ſit. Sed quibus? Quemadmodum ζωγράφοι, cum imaginem ab imagine pingunt, identidem exemplaria ſpectantes, illorum characteres ad ſuum φιλοτέχνημα transferre ſtudent; ſic, qui ſe ſtudet omnibus doctrinæ partibus excolere, conari debet, ut quaſi ad ſimulacra eruditionis (hominum doctiſſimorum ſcripta dico) ſuum ſtudium convertat, & quod in illis præclarum eſt, propriũ ſibi reddat per imitationem. Quapropter in medicina non uſque deque cuncti auctores ſunt eligendi, ſed probatiſſimi, & qui longis ſeculorum ætatibus interire non potuere. Nullus pictor non malit Appellis, aut Parrhaſii

Zeu-

Zeuxisve vel Leucippi exemplar, quam quid hujus ævi, αἱ γὰρ ἀοιδαὶ εἰς ἔτος ἐξ ἔτεος γλυκερώτεραι εἰσὶν ἀείδειν. Eſt enim tempus probatæ doctrinæ index; cunctorum quæ vana nec magni ſunt momenti, vaſtator. Plurimi hoc ævo magnâ auctoritate ſcribunt; verùm tempus judicium feret, num quid perpetuitate dignum gerant: profecto inter mille ſcriptores, vix unus ſeculum agnoſcit. Sint itaque veſtri auctores doctorum manibus triti, & eorum applauſu probati: ni enim probi fuiſſent, jam diu manibus excuſſi contabuiſſent. Veteres ſanè dexterius de rebus judicârunt; quàm nos αὐτῶν ἀπόγονοι extrema fæx & amurca mundi, ut à Platone in Philœbo dicitur. Verum dixit Baſilius τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδέσιμον. *quod vetuſtate excellit, honore majori dignum eſt.* Si enim neotericis quis ſtare vellet, cum infiniti fere ſint, & cuncti ex Hippocrate & Galeno hauriant, illud incommodè illi eveniet, quod gregarii illi infinitum tempus poſtulant, cum interim duos hos brevi tempore perlegere poſſit. cumque vetuſtatem illam cæteri non trahant cinctam auctoritate, eo loco ſemper ſtabit hinc hauſta doctrina, unde facile dimoveri poſſit. Longa temporum ſeries plurimos celebres Græcos: quoſdam Latinos, nonnullos-

los que Arabes. Græci medicinam pepererunt, diviteque ſuppellectile locupletârunt, ac ſplendido ornatu noſtræ artis famam toto terrarum orbe fuderunt. Quare nuſquam minus violatam hanc reperiemus, quàm apud ſuos parentes: hic patrima & matrima. Hanc itaque ex materno gremio pudicam virginem vobis proferet divinus ſenex Hippocrates, & ejus enarrator Galenus. *Hippocrates* verus medendi dictator habitus ſemper. hujus ſcripta tanquam oracula,& non humanæ linguæ verba, tota amplectitur antiquitas, tanquam ducem & auctorem omnium diſciplinarum. qui, ut ait Celſus, vir fuit arte & facundiâ clarus: quique ut ſcribit Macrobius, tam fallere, quàm falli neſcit. In hoc, verborum preſſa proprietas, ſententiarum conciſa ſubtilitas, ſermonis veneranda antiquitas, artificii commendabilis dignitas: in cujus ſcriptis nihil ſuperfluum, ociofum nihil; ſed argutâ brevitate rotunda omnia, & ſignificantia. ita ut ubertas & amplitudo rerum, verborum numerum longe vincat. Hæc genuina & propria ſunt Hippocrati, cujus tanta fuit benignitas, ut nihil ſciverit quod nos neſcire voluerit: tanta autem ſollertia & ſapientia, ut nemo poſt eum ſciverit, quod ipſe ignoraverit. In eo enim cuncta medi-

cinæ ſemina animadvertas: quæ tamen in facienda medicina meliùs, quàm ex commentariis ad eum ſcriptis animadvertes. Hujus enarrator fidiſſimus eſt *Galenus*; qui ſcribitur à quibuſdam vixiſſe annos centum & quadraginta. Hic cunctis philoſophis & philologis utilis, loquitur ubique puro, eleganti, ſimplici, & nunquam affectato ſermone, non ſine magnâ vocum & ſententiarum ſuppellectile: adeò, ut nullâ ſatietate lectorem offendat; ſed ubique progrediendi cupidum, rhetorico artificio demulceat; homo ad eloquentiam factus. In hoc præcepta quædam philoſophica rara & eximia, magiſq; illuſtria quàm apud ullum alium ſcriptorem invenias. Nihil obtrudit lectori, quod non firmis rationibus demonſtret, ac ejus contrarium refutet. quin moralia habet perpulchra, affectibus moderandis. Ambitionem & avaritiam præcipuè inſectatur, & de qualibet re doctè & eleganter diſſerit. Nullis non ad ingenii cultum ejus lectio utilis. Sunt alii, minoris gentis; Aretæus, Aëtius, Paulus Trallianus, Oribaſius, Caſſius; Dioſcorides de materia medica, & ejus Euporiſta, & ex recentioribus Actuarius, Damaſcenus, Theophilus de urinis, Philaretus de pulſibus, Simeon Sethi, Nonus. Animi cauſâ inſpicias etiam in-

interdum Geoponicos,& Hippiatros. Geoponica ſcripſit Dionyſius Caſſius Græcè; Latinè verò Cato, Columella, Palladius, Conſtantinus. Sextus ſcripſit medicinas ex animalibus. Latinos inter medicos primus eſt *Cornelius Celſus*; ſed prudenter legendus; nam in multis Aſclepiadem methodicum ſectatur, ut fatetur ipſe. hujus cote ſtylum ſubigemus,& pluris latinitatē ejus, quam medicinam faciemus. Plinius etiam perluſtrandus, qui Græciam & Latium uno volumine concluſit. Accedat his Scribonius Largus, Q. Serenus,& Cælius Aurelianus. ſed hic cū magno judicio legendus: nam is ſcripta Sorani Epheſii Latina facit, qui methodicæ ſectæ addictus fuit. *Marcellus Empiricus* politæ dictionis ſcriptor etiam inſpiciatur. & inter hos *Theodorus Priſcianus*, cujus ſcripta quinti Horatiani titulo circumferuntur. Scripſit ad Timotheum fratrē Phænomenων euporiſtων librum unum, cum Logico ejus, & Gynæciis, apparet eum methodicæ ſectæ ſtudioſum fuiſſe. Exſtant etiam ſcripta de acutis & Chronicis,& de occultis phyſicis remediis. His adde Conſtantinum Aphrum. Inter Arabas præcipui ſunt Avicenna, Rhazes, Averrhoës, Avencoas, Meſue, Serapio, & Alſaharavius. Qui delectātur fuſa & polydædala varietate remediorum, Avicennā

am-

amplectantur: cuncta enim hujus ævi remedia ex eo manant. At Razes utilis illis, qui efficacem & contractam medicinam amant. hic centum annos medicinam fecit. hunc Veſalius paraphraſi eleganter decoravit. Hi utiles ſunt ex quibus excerpas remedia quædam Græcis olim ignota: nam ſcribendi illorum ratio, cum ſine demonſtratione fluctuet, à doctis improbatur. quare his non inhærendum. Unum ex hujus temporis ſcriptoribus his addo, doctiſſimum *Fernelium*: qui Arabum ductum non ſine Græcorum demonſtrationibus ſecutus fuit. Ejus lectionem laudo, modo eum jam dictis auctoribus conferatur; locaque annotentur ex quibus ſuos rivulos traxerit: optima enim ex cunctis ſelegit, ſed ſtare ejus auctoritati non potis eſt, niſi ubi firma demonſtratione ſuâ ſtabilivit. Quare in antiquos ſuos fontes ſi refundi poſſit, ſanè limpidiſſimam, firmamque ſcientiam pareret. Sed totus eò abduci nequit, ut qui ſponte interdum declinat & abit. Quid tunc agas? litem dirimet antiquorum demonſtratio, collata cum hujus rationibus; & uſus: hæc ſi vicerint, excutiantur nova tanquam amentatæ haſtæ: ſin Fernelius quid melius, retineatur, & gratiæ illi adſcribantur, ut qui pomœria medica auxerit. Sed gravis hic eſt auctor,

nec

nec in primo medicinæ limine ponendus: ſed à Galeno hoc potiùs utendum. Qui tamen compendioſam medicinam nimium amat, hunc legat cum judicio: is enim, ut verum fatear, Græcam & Barbaram medicinam fere uno in volumine concluſit, & propriis locis philoſophiam medicinæ intulit: ut non ſit neceſſe aliam phyſicam uſibus medicis quærere, cum ex latiſſimo naturæ ambitu fecundè medicum campum rigârit. Hos ſequuntur myriades pragmaticorum intermediorum, & nuper natorum: qui volumina per ſingula hominis membra digeſta fabricarunt, mirâ remediorum varietate. Inter hos medios, maximè excellit *Arculanus*, qui Razis nonum ad Almanſorem, & Avicennæ ad librum de febribus commentatus eſt. in hoc remedia certa & efficacia. Aliis placet *Gradius*, qui prò Nicolai breviario eſt. quidam conſilia malunt (& non ſine ratione) qualia *Montagnana* tunc edidit. *Gattinaria* nonnullis arridet; nam placida & uſitata remedia ſuggerit. Nonnulli *Varignanam* conſulunt, quod euporiſta & uſu comperta pharmaca adferat. Sunt qui *Guainerium* cæteris his præferant. Quidam ſe addicunt *Savonarolæ*, quo adſtantibus mulierculis ſatisfaciant. Sed nulli ſe mancipare præſtat; verùm quoſdam ex his inſpicere, cum

cum intermedica verſamur opera. Et qui unum pragmaticum perluſtravit,aut mille, imò omnes legerit. nam unam tantum aut alteram indicationem medendi proſequuntur cuncti, ductam ac evocatam à cauſa morbifica, & parte afflictâ: cæteras ſuſque deque habere videntur. Sine cæteris tamen indicationibus curatio rite non abſolvitur: nam nullus morbus omnium eſt idem; nec ullum remedii genus eandem vim habet in omnibus. diverſæ enim ſunt morborum ideæ: & iidem modò dextri, modò ſiniſtri judicii; concoctu ac excretu difficiles,aut faciles. Et quantum in hominibus temperierum diſcrimen! quàm variæ partium temperies! modò proſtratæ jacent in eodem morbo vires,& aër aut flagrante Sole torretur, vel algore riget: quin ætatis vis quid non remedii evertit aut perfert? omitto jam conſuetudinem, peculiarem cujuſque naturam, ſexus diſcrimen, vitæ genus in quo æger enutritus, morbi motum. Quare ut in tanto fluctuum ac ſcriptorum remediorum Oceano portum facili curſu collimarent medici,quæ medicamenta prolixè profuderant pragmatici in tam numeroſa morborum turbà, in unam methodum ad praxin redegi: ut inde, accedente methodo medendi verâ, uno veluti intuitu,maxima remedio-

rum

rum varietas, per cunctos morbos complecti poſſit, & cuique propria ex his promœriis methodo decerpere ut liceat.

II.

Qua ratione cum certa utilitate dicti jam auctores ſint legendi.

Non ſatis fuerit compertum habere, quinam legendi ſint, ſed etiam quo modo non citra utilitatem in iis verſandum ſit, explorandum. In omnium auctorum lectione ſemper hæreat animo quod apud Platonē dicitur ἀρετὴ ἀδέσποτον: ut nos hoc ad ἀλήθειαν. Moneo itaque ut ab eorum ſcriptis abſtineatis, qui ab antiquorum ſententiâ temere abeunt. Plato in Epinomide plebejos quoſdam Deos cum referret, ἀνοργιάστους hos appellabat. neſcio an eo nomine quid aptiùs adaptari his innovatoribus poſſit. Utinam eâ mente omnes ſcriberemus jam, quâ olim Hippocrates, & poſt eum Galenus! ſtudio nimirum juvandi. Nunc neque hoc facimus plerique; & bene à veteribus etiam excogitata & ſcripta demoliri, ac rebus claris tenebras affundere conamur; receptiſſimorumque auctorum auctoritatem elevamus, ut reponamus noſtram, dubiam ac titubantem pro exiſtimatiſſi-

tiſſima. Si quis reclamet, illico nos inter nos (qui conſpirare contra externos debeamus) domeſticum bellum depugnamus: ac χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν. *funeſta bella fraterna.* Novus medicinæ myſta in primis perlegat Inſtitutiones medicinæ. Illæ enim ideam quandam totius medicinæ animo immittent: & ex illis ordinem totius ſtudii medici, & ſubtegmen firmum cui intexi omnium auctorum ſcripta poſſunt, perſpiciet. Sunt enim Inſtitutiones medicæ nihil aliud, quàm ex omnium ſcriptorum medicorum deliciis ac medullis condita placenta: aut, ut meliùs dicam, ex electiſſimis quibuſque floſculis compoſitum mellificium. In lectione auctorum cura adſit, ut eorum percipiatur ſententia: dein, ut retineatur. Percipietur ſententia auctoris, ſi perſpectus fuerit ejus dicendi modus, & peculiares ſignificanteſque ejus dictiones ſi intellexeris. Maximè in Hippoctatis lectione ad hæc collineandum. Ut enim ἀναδυομένην illam nemo perficere potuit, & obliteratos ejus colores aliquot deteriore purpuriſſo reconcinnarunt; ita nullus eo acumine ſcribendi medicinam ab Hippocrate productam abſolvere potuit. Eſt ſane is, inter homines, maximus medicinæ auctor: in quo ſparſa medicinæ totius ſemina animad-

advertas. Sed ex ſucco ſolo excerpta hæc non germinant, vel tenuiſſimè enaſcuntur, aut non in frugem ſurgunt. animi ſenſa ſua divina ob conciſam brevitatem latitant, ni verba ejus ſignificantia & dicendi modus fuerit cognitus. Quare (quia huic immoriendum) Lexica comparanda erunt Erotiani & Galeni, Julii Pollucis, Rufi Epheſii, Suidæ, Heſychii, Gorræi; ſed ante omnia Oeconomia Hippocratis Anutii Foëſii. Auctorem quem evolvis, intentâ mentis acie, non raptim (ne quid fugiat) perleges. Si ſalebris difficilibus impliceris, ne hæreas, enarratores aut præceptores conſule. Si nec explicent hi, notandus locus, & pergendum, dum tempus & lectio emolliant hanc difficultatem. Nec turpe quædam ignorare. Aut ſi moræ impatiens fueris, ad aliorum auctorum judicia hæc examina. ſi idem cuncti, ratum ſit: ſin abeant in diverſum, vide num in gratiam redire poſſint: vel illi qui potiſſimâ ratione utitur, ſubſcribe. Indices loca auctorum dicent. Commmentariographos prolixos fugite; diſcendi enim libidinem exſtingunt: ſed ubi involvimur difficultatum ſalebris, id ſolum agendum, ne nimis ingenium fatigetur, & tandem expugnetur. Galeno maximè utemur pro Hippocratis enarratore, quo illè rectè intelli-

ga-

gatur, utque memoriam exerceamus cum fœcundâ quadam utilitate: nam rerum, quæ diſcuntur per cauſas, demonſtratio apud eum luxuriat: quibus ad eruditionem nullus felicior campus aperiri poteſt. nam ſcire, eſt per cauſas cognoſcere. His opibus illi fraudantur, qui apoteleſmata ſolum amplectuntur: tenues ſemper eruditione, præ inopiâ rerum ac argumentorum. Sed hæc omnia fruſtra, ni Muſarum matri memoriæ, tanquam penuariæ cellæ doctrinarum, inſerantur. Sæpius itaque lecta repetantur: ac ut cibos manſos ac prope liquefactos dimittimus, quò facilius digerantur; ita lectio non cruda, ſed multâ iteratione mollita, ac velut confecta, ſæpiusque perpenſa, memoriæ tradatur. Sed an non naturæ, hoc eſt, ſummi Dei beneficium memoriæ vis eſt? Fateor. & cuncti à ſummo numine ea afflati ſumus. non æquè? cultu effingatur: conſueſcat exercitiis; hoc obliviosos memores reddet. Sit animus cæteris ſolutus curis, ac earum ideis vacuus: affectus ſileant, qui in ſuam factionem totam mentem rapiunt, ita nullam characterum impreſſionem renuet mens. Et ſæpe, menti immiſſa ad phantaſiam revocentur, ac cum voluptate hæc tunc memoriæ redde: ita jucundè ejus uſu fruetur, ac lætitiâ quadam ſe

laxans,

laxans, ſimulacra rerum fideliùs imbibet. Ad memoriam ſtabiliendam, nonnihil opus pollicetur ipſa medicina & medici, ac ſecundum hos Marſilius Ficinus. Ariſtoteles libro de memoria, oſtendit ob varias cauſſas illam labefactari: vel, quia ſpecies rerum non ſuſcipiuntur; vel, quia non detinentur: utroque enim opus eſt. Propterea mollem & ſtabilem à Summo Deo ſubſtantiam obtinuit cerebrum, ut mollitie rerum characteres admitteret, ut eos ſtabilitate retineret. Inde eſt quod ajunt, memoriam firmari calido & ſicco temperamento: calor enim modeſtus mollit cerebri ſubſtantiam; & ſiccitas eam ſtabilem reddit. nam ex madido fluxoque cerebro, ſimulacra rerum effluunt. his querelis remediantur medicinæ. Sed inter cuncta confert perpetua vitæ ſobrietas: nam crapula & ebrietas, ut ingenium hebetant, ita memoriam prorſus eluunt. Officit etiam tumultuaria diverſorum voluminum lectio: ita in ſenibus multitudine rerum memoria exſtinguitur. Præterea ordo in diſcendis rebus plurimum ad memoriam facit: imò Plato ordinem, memoriæ animam appellat. Quare in auctorum lectione, ſemper de ordinis filo quod trahunt, ſolliciti ſitis: cuncta enim quæ ordinem habent,

διμνημόνδυτα ſunt. Cum ad Galenum ventum eſt, ejus ſcripta pedetentim, non ſaltuatim legantur: conſtanter, non faſtidioſe: ordine, non tranſſultorio modo. In primis ſeſe offert Galeni liber, inſcriptus *Exhortatio ad artes*; dein quoque medicus philoſophus, & de ſectis ad novicios, de optima ſecta, de conſtitutione medicinæ. Tunc anatome, deinde venarum, arteriarum, nervorum, matricis ſectione. Poſtea libri de uſibus partium, de naturalibus facultatibus, de placitis Hippocratis & Platonis, quod animi mores corporis temperiem ſequuntur, de affectibus animi caſtigandis, an ſanguis in arteriis, de odoratus inſtrumentis, de motu muſculorum, de cauſis reſpirationis, de ſemine, de fœtuum formatione. De elementis, de temperamentis, de medicamentorum facultatibus, de optima corporis conſtitutione, de optima habitudine, de inæquali intemperie: hi tres libelli ligantur inter ſecundum & tertium librum de temperamentis: κατὰ γένη κατὰ τόπους: vel legat hos poſtremo. De antidotis, euporiſta; de purgantium vi, quos, & quando: de ptiſana; De Theriaca ad Piſonem & ad Pamphilianum: ſed hos doctiſſimus Julius Alexandrinus (quem hic ſequimur) adulterinos falséque Galeno adſcriptos demonſtravit. Dein ſunt libri

de

de ſanitatis natura, de morborum differentiis, de morborum cauſis, de ſymptomatum differentiis, deque horum cauſis, de plenitudine, de tumoribus præter naturam, de atra bile, de tremore & palpitatione, de tabe, de locis affectis, de febrium differentiis, de pulſibus, de ſpirandi difficultate, de pulſuū uſu, de ſpirandi uſu cauſiſq; : de morbi totius temporibus de temporibus morborū, de criſibus, de diebus judiciariis, de typis, de prænotione, de dignotione ex inſomniis, quo modo deprehēdantur ſimulantes, ſe ægrotare. Ars medica, de ſanitate tuenda, methodus medendi, de facultatibus alimentorum, de cibis boni & mali ſucci, de attenuante diæta, de parva pila, de curatione per venæ ſectionem, & contra Eraſiſtratum, de comitiali pueri affectu, Glauconi ſcripta ad Thraſybulum. Quantum ad commentaria Galeni ad Hippocratem. Signis adnumerari poterunt Prognoſtica & Prorrhetica: Curationi verò, de victus ratione acutorum, de articulis, de fracturis. Reliqui ejus Commentarii ad Hippocratem, veluti ſuorum ſcriptorum epitome ſunt. Pragmatici cæteri, quos ante recenſui, nonnunquam tangendi, ubi jam Hippocratis ſcriptis aſſueviſti, exacuendi palati gratiâ, cibi nimiâ bonitate languentis: ſed id ſaltuatim & fruſtu-

 la-

latim. Ita nec totum perlegemus Paulum, Aëtium, nec Trallianum, aut Oribaſium vel Raſem, neque Meſuem, nec Haliabbarem, Avenzoarem, vel Alſaharavium. Et ita cum cæteris agemus: nam eadem cuncta apud Græcos felicius invenias. Actuarius fere totus legi poterit; & Avicenna, ſi reſtitutus eſſet; & Averrois ſcripta medica, modò id fiat cum judicio. Sed dices, Arabes felici plenâque manu remedia jucunda ac facilia fundunt. Ita eſt: ſed ea pauca, quæ non apud Græcos. At eſto! ſint ab illis! inſtrumenta aucta: ſed non in cithara bene pulſandi ars eſt, quamvis ſine ea non ludat citharœdus. Arabes ex Græcia colonias duxere: ſed fruſtra quæras apud hos, quod non apud Hippocratem & ejus enarratorem Galenum invenias. Laudo ſuppellectilem remediorum promtam paratamque; & utinam ut Dædalo ſua, & Vulcano tripodes cæteraque animata omnia, juſſa adeſſent; vel potius per ſeipſa, quamprimum ſui opus eſſe ſcirent, ad opus accurrerent, ac id (quod jam φλυαρία quorundam ſibi perſuadet) conficerent ultro, quod nos cum delectu. Delectu magis militum, quàm innumeris copiis, & iis veteranis potius quàm tyronibus ingentia bella conficiuntur: Ita nos ſeligemus ex cunctis optima

&

& uſu firmata; his ſtabimus. Veteres illi pictores nobiliſſimi, quatuor tantùm coloribus tam eleganter pinxere. nec excludimus ſeram ætatem, quæ coloribus quid adjecit. Ita veterana remedia extollimus, non relegamus nova, quæ felicia in opus: quin pomœria agri medici lubenter proferemus. Commoditas hinc fiet major: ſed artem non variat inſtrumentum. Ars perpetuò poſſedit tantum roboris & venuſtatis, quantum ſatis cultui eſt. Hoc ſemper artis fuit, artis modum loco adhibuiſſe. Mutandorum remediorum nunquam meta erit: ſed ni ars finem ſuum accipiat, deſinet eſſe ars: nam perfectè facere promittit. ſed illa habitum habet in intellectu, faciendarum cum ratione rerum. Hæc facili, attamen efficaci, remediorum copia inſtructa, tanquam Macedonicâ phalange, audacter cum morbis concurrit. tum quæ remedia nomina nondum dederunt uſui, nec ſacramento adhuc huic militiæ ſacra, excludis de cohorte; niſi præclaris editis facinoribus gloriâ ſplendeant, ſuumque genus certis notis aperuerint. Non alenda copia iners: paucitati operoſæ præſtat confidere. Sit tamen juſtus exercitus; & bene notus tibi, beneque inſtructus. Excute ergo laſcivientem varietatem, tanquam inutilem

& imbellem, copia, quantam uſus capit, ſuffecerit. Contende tu potius ad artis penetralia, ubi arcana rerum cognitio, ut his paucis & fortibus paratiſque, κατὰ καιρὸν loco & tempore utaris. Veterum cum tam multiplici rerum varietati memoria par eſſe nequeat, arte eam juvabimus; locosque communes fabricabimur; quibus, ut certis thecis, memoriæ egregiè digna inferamus: ut, cum opus fuerit, tanquam ex divite penu, illico promere has opes poſſitis. Age cum Lucretio, floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant. Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta. Poterunt loci hac ideâ effingi: Accipiat paginæ frons quæque trium locorum titulos, juxta poſitos. tergus verò folii, nudum ſit ab inſcriptione, quo nova charta ſemper addi poſſit. Volumen hoc chartaceum contineat ſeptem vel octo libros chartæ. Cunctæ itaque varietates his locis inferantur, & difficiles deciſiones: nam perenni inſcriptione memoria firmabitur; &, ſi quid exciderit, facili viâ revocabitur, cum ſit ad manus & in mente is locus unde petas. Sed non cuncta quæ legitis locis importabitis, ſed ea quæ maximè memoratu digna, & rarò obvia, de quibus videberis periclitari, ne tibi excidant. Et totarum hiſtoriarum capita tribus, ut ajunt, verbis tantùm, cum nu-

numeris annotentur in locis,ut ſcias à quo auctore, cum uſus erit, repetas, & in ipſo auctore, puncto nota te id in locos retuliſſe: ut ſi poſtea locum petas, illico adſit oculis; & ne iterum; ſi evolvatur denuo à te auctor, is locus inſcribatur. Sed nonnunquam quædam ancipiti ſignificatione ſeſe offerunt, ut neſcias,in locos ſi referas, unde rectè repetas: propterea conſulo ut etiam Alphabetarii loci alii ſtruantur, quo,inde facilius quæ peti poſſe videntur, eò reponantur. Sed priores etiam jam dicti loci indice egent. Sed cautio adſit, ne nimium his locis fidatis, indeque memoria inculta perdatur. non enim ſatis eſt in ſcriptis rem habere, ſed memoriæ una inſcribi debet. Hac ſerie inſcriptiones vel tituli locorum poni poterunt. Deus remediorum, curationis, & ſanationis auctor. Per quos homines uſibus humanis medicina illata fuerit, de auctoribus medicis, & de medicinæ origine. Clinice & Jatraleiptice; & quando primum. Vitia medicinæ & medicorum. Sectæ medicæ: dogmatica,methodica,empirica & Paracelſica; Sophiſtica & ſophiſtæ. Dignitas medicinæ, laus ejus, & præmia medicorum. Quales medici eſſe debeant corpore & animo, miniſtri,finis medicinæ,objectum medicinæ, ejus partes, officium medici. De natura,

quæ ad medicinam attinet. diſcrimen phyſici & medici. De elementis. Quid elementum, & quo modo differat à principio: ejus materia & forma. Quot elementa. ignis, aër, aqua, terra. formales differentiæ elementorum. Miſtione elementorum ut fiant corpora. formarum in miſtione origo. Proprietates, & effectus elementorum. Qualitates ex elementis ortæ. elementorum ſitus. Quid mixtio, & ejus cauſæ. in miſto elementorum ſubſtantiæ. An elementa in mixtis ſecundum ſuas formas, an ſecundum potentiam ſuam. Elementorum contemplatio quam utilitatem adferat medico. De temperamentis, & iis quæ à temperamentis fiunt. Quid ſit temperamentum. quid differat à calido innato. Temperamentorum origo. Homo omnium animalium temperatiſſimus. partium ſimilarium & diſſimilarium vis. Temperamentorum differentiæ quot & quales. Ad pondus, & de Pulchritudine: ad juſtitiam. Signa temperamentorum. Partium ſingularum temperies. Calidum, frigidum, humidum, ſiccum, quot modis aliquid dicatur. An calidum elementare in omni vivente excedat. Ætatum temperamenta & differentiæ: infantia, pubertas, adoleſcentia, juventus, virilis ætas, ſenium duplex. An juvenum & puerorum

idem ſit calor. Anni temporum temperies, ver an temperatum, æſtas, hyems, autumnus. Regionum temperies. An ſub æquatore temperatiſſima regio. Qualitates ſecundæ: Color quid, & ejus differentiæ, & cauſæ. Odor, & ejus differentiæ, cauſæque. Sapor, inſipidus, acidus, acerbus, auſterus, adſtringens, dulcis, amarus, ſalſus, acris. Tactiles qualitates; molle, denſum, grave. Utilitas quæ ex notitia temperamentorum. Cutis temperata. Partes calidæ, frigidæ, humidæ, ſiccæ. De humoribus: quid humor, quor, quales, primi, ſecundarii, excrementitii, alimentarii: quomodo & unde fiant: duo excrementa humorum: Sanguis: Pituita, dulcis, ſalſa, acida, vitrea, gypſea, tenuis, craſſa; ſigna ejus. De bile, vitellina, porracea, æruginoſa, glaſtea, flava. De melancholia, & ejus differentiis; ſigna atræ bilis. Uſus humorum: fibræ ſanguinis, copia morum, mutatio humorum. Ichor humorum; & ſigna cujuſvis. Motus humorum. Utilitas doctrinæ humorum. De ſemine, & quid ſemen, utriuſque ſexûs ſemen. An ſemen ut opifex, an ut materia fœtui ſerviat: ſemen mulieris. Cauſæ & origo ſeminis teſtium vis, ſanguis menſtruus quid, & ejus origo. Conceptio, inſtrumenta procreationis, geſtatio & motus fœtûs, membranæ

fœtus: hepar num ante cor procreetur: ſigna maris & fœminæ; partus, ſuperfœtatio, fœtus tempora, ſeptimeſtris, &c. abortus, fœtus mortuus. Similitudo filiorum cũ parentibus, & phyſiognomonica. Monſtra, mola, androgyni: fœminarum in mares mutatio. Utilitas cognitionis ſeminis & materni ſanguinis: ſterilitatis cauſæ. Anatome: an unum tantum princeps membrum: cur ſeminales partes ſectæ non regignantur. Caput, cerebrum, frons, partes caput veſtientes, partes in capite contentæ: partes à cerebro ortæ, partes cerebro aſſiſtentes, oculi: quomodo fiat viſio: lacrymæ: aures, nares, os, muſculi, ligamenta. Thoracis coſtæ, ſternon, muſculi, mammæ, lactis procreatio, diaphragma, tunica coſtas cingens. Partes quæ in thorace continentur, cor, &c. aſpera arteria, lingua, ſermo ut fiat. Ventris inferioris, umblicus, & continentes partes: contentæ, ventriculus, &c. meſenterium, hepar, fel, lien. Partes ab hepate ortæ: partes ſerum attrahentes & ſuſcipientes, renes, veſica, &c. Partes procreationi dicatæ, teſtes, paraſtatæ, &c. uterus. Conſenſus uteri & mammarum. De manûs partibus & ſtructura, de crure, oſſium ſtructurâ. Calidum innatum, & ſpiritus, quid ſit, & cauſſa ejus, effectus; præſtantia; quotuplex;

mu-

mutatio ejus. Spiritus quid, & quot: naturalis, vitalis: humidum primigenium. De animæ facultatibus: & earum actionibus. quid anima, & quot: quid facultas animæ: procreatrix, nutrix, attractrix, retentrix, excretrix; nutritio, auctio, coctio, fames, excrementa. Sentientis animæ facultates, viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, ſenſus communis, phantaſia, cogitatio, memoria, motus, appetitus, vitalis vis. De ſanitate tuenda. Quid ſanitas. ſigna temperierum totius; ſigna cerebri temperati, & intemperati: pilorum cauſæ variorum: oculorum temperatorum varia ſigna: pulmonis temperaturæ notæ; hepatis, ventriculi, teſtium. Aëris qualitas varia, regionum varietas, ventorum vis: anni tempora. Cibi boni vel mali, medicamentoſi: victus puerperarum, victus melancholicorum, &c. Quantitas cibi; modus utendi. Conſuetudo: cœnandum an prandendum liberalius: occaſio cibandi. Potus, aqua, vinum, cereviſia; mulſa, quantitas potûs, ebrietas. Balnea, dulcia, thermarum, modus eorum, aëreum. Alvi dejectio urina, ſudor, vomitus, menſium & hæmorihoidum profluvium, venus, motus & quies: frictiones, animi motus. Semina cerealia, triticum, ſiligo, &c. Panis & placentæ, pultes & polentæ, legu-

mina, fructus, alimenta ex herbis. Quadrupes, lacticinia. Aves, piſces, ſucci, condimenta. Differentiæ & cauſæ morborum. quid morbus, genera morborum, intemperies; manifeſti, occulti, venenati, contagioſi: organici; ſolutio continui: primarii, per ſympathiam ſimplices, compoſiti; acuti, longi, &c. Cauſæ morborum, agnata, antecedens, continens, externa. Faſcinum, philtra, incantationes. Signa morborum; & quid ſignum, pathognomonicum, epigenomenon, & epiphænomenon. In excrementis, actione læſa, qualitate mutata: doloris idea, ſitus. Differentiæ & cauſæ ſymptomatum: quid ſymptoma. In motu: tremor, rigor, horror, tuſſis, ſternutamentum, oſcitatio, pandiculatio, palpitatio, ructus, ſingultus. vomitus, nauſea: ſtridor dentium. Læſio actionis principis cerebri; ut phantaſiæ, cogitationis, memoriæ vigiliæ, ſomnus. naturalis facultatis, ut attractio &c. Qualitatis mutatæ, viſibilis, &c. dolor. Excrementorum ſymptomata, in ſubſtantia, qualitate, copiâ, tempore, & excernendi modo. Prognoſtica. Quid ſignum prognoſticum. Signa cruditatis & coctionis ſigna mortis vel ſalutis, & quæ ad melius & deterius: ſigna quæ ad ſpeciem & ad tempus criſis apparent. Tempus morbi: quid principium,

pium, augmentum, vigor, declinatio. Paroxyſmus, periodus. Prognoſces in urina, dejectione, ſure, expectorato, menſtruis, vomitu, hæmorrhagiâ, pure. Criſis quid. criſis bona, mala, fida & quando futura. Dierum decretoriorum naturæ & cauſæ: unde certus naturæ in his ordo. Luna cauſa adjuvans. Qui dies decretorii: dies ſextus: & ſingulorum dierum vires. Criſes ſingulorum morborum. Septimanarum ratio Abſceſſus. Dies & hora mortis. Quo affectu quiſque peribit. De pulſuum ſignificatione. quid pulſus: Diaſtole, ſyſtole: duplex in pulſu quies. differentiæ pulſuum. De reſpiratione, quid ſit, unde fiat: inſpiratio, exſpiratio, uſus ejus: differentiæ variæ. Urina quid ſignificet, quid ſit: ut fiat urina. ejus colores, ſubſtantia, quantitas, contenta urinarum, enæorema, hypoſtaſis, ſpuma, pinguedo, innatantia corpora, &c. Qualitas urinæ, odor. unde varia urina; ut ex ætate, ſomno, cibo, &c. De febribus hecticis, ephemeris, ſynochis, putridis, continuis, intermittentibus, quartana, &c. Morbi partium, capitis, thoracis ventris, artuum. Victûs ratio in morbis ſervanda, De natura medicamentorum. Quid pharmacum: unde eorum vires: ut in actum ducantur à noſtro calore. primæ eorum qualitates, & ſecundæ ſapores, &c.

Pur-

Purgantia, vomitoria, ſudorifica, urinalia: partibus peculiaria, antipharmaca, venena. Delectus remediorum, quando quæque colligenda: radices, flores, ſemina, ſucci, lachrymæ. Præparantia: corrigentia: menſes ducentia, obſtruentia, aperientia, &c. Externa, repellentia, emplaſtica, anodyna, narcotica, emollientia, attenuantia, trahentia, diſcutientia, maturantia, puſtulas & veſicas concitantia. De compoſitione medicamentorum: de ejus utilitate & neceſſitate: baſis, Coctio remediorum, lavatio, veſtitio, tritura; infuſio, nutritio, mollitio: metallica remedia, & Alchimica. Adjuvantia remedia. Pondera & menſuræ: Sirupi, &c. Methodus medendi. De chirurgia & chirurgo, ejuſque officio. Venenorum natura: ab iis præcautio. Vita num prorogari queat medicina. cur alii aliis longioris vitæ. Mors, ejus cauſæ & neceſſitas. ſenes cur facile moriantur. Mortis hora an prædici poſſit. Ægri deplorati ſæpe ſervantur. Semina ampliſſimum ad medicum campum habetis; vos in meſſem excolite. Qui velit, hæc latius ex Inſtitutionibus medicis & Methodo medendi (nam inde profecta ſunt) pandere poterit: aut (ut varia ingenia ſunt) arctiùs contrahere. Sunt qui breviſſimos velint locos, ad praxin. Hi ſerie hac tranſigant:

gant: In primis ponent morborum definitiones, dein cauſas cujuſque morbi: ſigna unde noſcatur quod ſit talis morbus: Signa differentium cauſarum ejus mali, hoc eſt, differentiæ propriæ cauſarum ut noſcantur: differentiæ etiam communes. Indicationes curativæ: prognoſis num liceat ſatisfacere indicationibus. Præſervatio, curatio, chirurgia; Pharmacia, lenientia, præparantia, purgantia univerſalia, & pecularia. topica: diæta: empirica.

JOAN-

JOANNIS DE RAEI,
L. A. M. ac M. Doct.

DISSERTATIO

DE

Subſidiis, gradibus ac vitiis notitiæ vulgaris in Natura contemplatione, & officiò Philoſophi circa eandem.

AQuo tempore è præceptorum cuſtodia exire mihi licuit, pulveremque Scholaſticum cum amœniori ac liberiori ſtudiorum genere commutare, nihil magis in votis habui, quam ut certam evidentemque rerum utilium ac per ſe ſcitu dignarum notitiam mihi compararem. Cumque pro more Academiarum in Philoſophorum ſcripta inciderem, videremque in iis rerum divinarum humanarumque talem promitti ſcientiam, quæ & utilis & jucunda & propter ſeipſam expetenda eſſet, tanto hujus conſequendæ deſiderio me captum fuiſſe profiteor, ut nullo alio capi poſteà potuerim. Et ſi igitur propter amicorum voluntatem & morem ſeculi ab omni alio ſtudio abſtinere non debuerim, nunquam tamen à philoſophia me avocari fui paſ-
ſus,

ſus, unicam illam veritatis contemplationem, quam profitetur, & ſapientiam, quam promittit, & mihi & ſibi ſat magnum pretium fore exiſtimans. Medicinam quidem cum ipſa conjunxi, ſed longe alia conditione quam fieri plerumque ſolet: Non enim ad curandos ægros idipſum factum à me fuiſſe profiteor, ſed ad profundiorem uberioremque naturæ notitiam, quam quidem ex ſola philoſophia hauriri poteſt.

Fateor tamen non eam mihi hactenus obtigiſſe fœlicitatem, ut omnia quæ in vita occurrunt à tali inſtituto avocamenta tam procul arcere à me potuerim, quin aliquoties ferenda mihi fuerint ad hunc diem uſque. Imprimis enim ſtudia Academica magis ad honores, ad reipub. aut eccleſiæ adminiſtrationem aliudve vitæ munus ac emolumentum, quam ad innocuam illam veritatis & naturæ contemplationem, quæ propoſita mihi erat, inſtituta inveniebam. Græcia olim habuit ſuos Democritos, Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Platones, Epicuros, Ariſtoteles, viros maximam partem illuſtres, & lucri tamen honorumque contemptores, ac ſupra ſapientiam nil quicquam in hoc mundo deſiderantes, quærenteſve. At apud Chriſtianos philoſophia aliorum ſtudiorum ancilla eſt & vile

ſæpe

ſæpe mancipium, neque propter ſeipſam ſed alterius ſcientiæ conſequendæ cauſa doceri ac diſci in Academiis ſolet: ſicque fieri non potuit, quin non negligentius tantùm à nobis excoleretur quam à Græcis exculta fuit, ſed multa etiam contineret, quæ vel inutilia, vel moleſta videri poſſint iis, quibus non tam lucrum, aut honos, aut aliud vitæ commodum, quam unica propriæ mentis cultura ac eruditio omnium laborum finis eſt.

Porrò primi ac præſtantiſſimi eorum qui inter Græcos fuere philoſophati, non publicas privataſve inſtituebant ſcholas, adeòque nullis docendi moleſtiis aut diſcipulorum interpellationibus diſtrahebantur, ſed hoc unum perpetuò agebant, ut vel ex quotidiana naturæ inſpectione, vel ex ſapientiorum ſermonibus, vel ex propria meditatione perficerent eam ſcientiam, quam únicè quærebant. At verò Chriſtiani vix alio fine ſe totos philoſophiæ tradunt, quam ut alios docere eam poſſint. Docendi autem munera multas etiam poſt ſe trahere moleſtias ac graviorum ſtudiorum interpellationes, optime illi omnes perſpectum habent, qui aliquandiu ſaxum hoc volverunt. Et ego tamen, ſive ex tacito genii mei inſtinctu, ſive ex more ſeculi me ad docendum appuliſſe animum

con-

confiteri debeo, nullumque hactenus invenire potuiſſe vitæ genus, quod tranquillius atque ad ſapientiæ veritatiſque ſtudium commodius mihi videatur. Si enim clavo reipublicæ aſſideas, ſi cauſas agas in foro, ſi faciendæ medicinæ fueris intentus, vel mercatura, vel arte mechanica, vel alio vitæ munere impeditus, iis te diſtractum ſentis occupationibus, quibus vel parum vel nihil cum ſapientiæ ſtudio eſt commercii. At nemo ſapientiæ præcepta aliis tradit, niſi ſemetipſum in iis continuò exerceat; nemo abdita naturæ oſtendit ac revelat alteri, niſi ea prius ex veritatis puteo eruerit. Ubi res leves, inanes aut etiam cum vanitate quadam conjunctæ, vel plus ſatis exploratæ docenti inculcantur aliis, vel tempus miſerè conteritur, vel ex non intermiſſa ſatietate ac repletione vigor animi obruitur ac ſuffocatur, tantaque in ejus locum ſuccedit laſſitudo ac rerum ſublimiorum neglectus, ut vix unquam ad altiora aſſurgant verum perpetuò humi repere aſſueſcant mentes noſtræ. Si verò ea quæ docentur alicujus ponderis ac difficultatis fuerint, qualia præ cæteris ſunt quæ veritatis ac naturæ contemplationem ſpectant, aliis illa inſtillare nequis, niſi omnes animi tui conceptus & crudiores cogitationes tam minutim ruminando ac

tot

tot novis coctionibus ſubigendo, ut pingue ac ſolidum bonæ mentis pabulum inde promanet; tumque nec nauſea, nec moleſta ſatietas ac faſtidium, ſed ſalutaris ac pulcherrima animo docentis inducitur. *εὐεξία.* Quibus ſi adſuerit qualiſcunque ad docendum aptitudo cum prona animi inclinatione ad ea quæ noveris aliis communicanda, mirum quantum excitent generoſæ mentis alacritatem, quantum foveant illius robur. Animalium quidem ac plantarum corpora enervari videmus ex uberiori ſeminum defluvio, nec non effœta reddi ac ſterilia poſt frequentes generationes: ſed humanæ mentis longe alia eſt ratio; hæc enim quo enixè magis parere ſtudet ac aliis communicare conceptus ſuos & intelligentiæ fœtus, tanto magis vegeta evadit ac fœcunda.

Sæpius tamen apud animum meum dubitavi, an uti ex privatis quibus hactenus incubui inſtitutionibus, ita etiam ex hoc publico docendi ac diſputandi munere, quod hodiernus dies obtulit, iſta quæ jam recenſui commoda exſpectare debeam. Hæc ipſa enim cathedra, iſti parietes, ac tam denſa auditorum corona neſcio quam novam rerum mearum faciem exhibent. Non jam amplius cum notis tantum ac familiaribus inter privatos parietes

agen-

agendum mihi erit, ſed in hocce theatro, ac inter tot Roſcios perſonam aliquam mihi aſſumendam video, adeoque omni ope annitendum, ut talia doctrinarum fercula auditoribus offeram, quæ non modò exquiſitæ aliquorum eruditioni & delicatis auribus, ſed etiam diverſis variè ſentientium probentur deſideriis, atque una etiam non omninò indigna inveniantur ſeculi ſapientia hujuſque Academiæ celebritate. Quod equidem nullatenus præſtare potero, niſi intendam omnem prorſus nervum, ſimulque huc advocem non exiguam partem illarum cogitationum, quas hactenus, partim ſolitariæ veritatis contemplationi, partim liberiori mentis relaxationi dare fui ſolitus: adeòque aliquantò quàm optarem longius à veteri vitæ inſtituto aberraſſe mihi videor, iiſque ex parte factus ſimilis, qui ob publica vitæ munia ſapientiæ ſtudium negligentius tractare tenentur.

Et iniquiori etiam animo perferrem haſce privati ſtudii per hæc publica negotia interpellationes, niſi jamdudum ex Ariſtotele didiciſſem, perfectam quidem beatitudinem in vita contemplativa conſiſtere, verum eam meliorem eſſe quam hominis ferat natura; non enim, ait philoſophus, qua homo eſt ita vivit, ſed qua di-

divinum quiddam illi ineſt. Quemadmodum igitur prima illa quæ in Academicorum ſtudiorum curſu occurrere diximus diverticula ac inſtituti mei interpellationes declinare prorſus non potui, ac poſteà non admodum moleſtè privatæ inſtitutionis onera ſuſtinui, alacriter etiam aggredior publicos hoſce labores; ſperans iis non minus qnam privatis quibus hactenus me exercui inſtitutionibus, non mea tantum ſed aliorum etiam ſtudia nonnihil poſſe promoveri, atque ad ſcrutandas nobiſcum abditas in naturæ puteo veri cauſas exſtimulari.

Quæ ſpes, ne ſine cauſa à me concepta videatur, exponere inpræſentiarum decrevi, quæ & qualis ſit ea naturæ contemplatio, quam ut ipſemet ſequor, ita & in omnibus iis, qui ſeriò mecum philoſophari & ſupra vulgus ſapere voluerint, exigo. Quod argumentum tam fœcundum quidem eſt, ut plenè hoc loco explicari & pro dignitate tractari non poſſit, ſed quia nec uſus, nec dignitas philoſophicæ contemplationis percipi, neque officium hominis philoſophi aliter intelligi poteſt, quam ex vera differentia, quæ inter vulgarem & philoſophicam conſiſtit notitiam; præcipua quæ ad eam intelligendam ſpectant capita eo uſque ſaltem attingere

gere eſt animus, ut expoſitis *ſubſidiis, gradibus, imperfectionibus & vitiis vulgaris notitiæ*, tantò clariùs *philoſophicæ contemplationis* pulchritudo ſplendeat, omneſque quibus philoſophari eſt animus videre poſſint, quantò utilior, jucundior & generoſa mente dignior ſit profunda illa ac ſolida abditorum naturæ ſcientia, quam promittit philoſophia, quam tenuis illa anguſtiſque limitibus circumſcripta cognitio, quam omnium hominum communem eſſe docebimus.

Inprimis enim in confeſſo eſt, non omnia quæ ſub humanam cognitionem cadunt contemplationis philoſophicæ eſſe propria. Quædam enim ſupra philoſophiam ſunt, neque ab ea aut per eam dignoſci & dijudicari ullo modo poſſunt; qualia ſunt nonnulla eorum quæ Deus vel de ſe ipſo, vel de voluntate & conſilio ſuo, vel de operibus ſuis in Sacra Scriptura revelavit, aut per ſpecialem gratiam internamque mentis illuminationem aliquibus nota eſſe voluit: quorum quia philoſophus non magis capax eſt & particeps, quam quilibet ex vulgo, omnis etiam quæ inde hauritur notitia non ulli humanæ ſapientiæ aut philoſophiæ adſcribi, ſed ſoli divinæ gratiæ accepta referri, nullique, quem Deus ea dignum eſſe voluit, invideri debet.

Si vero aliquæ veritates, uti evenit in multis, non propriis tantum humanæ cognitionis viribus, ſed revelatione inſuper cognoſci queant, manifeſtum etiam eſt, philoſophicam quidem eſſe poſſe hujuſmodi veritatum ſcientiam, ubi ex communi omnium hominum cognoſcendi facultate promanat, ſi vero ex fide & propter revelationem teneantur eædem veritates, non magis ad philoſophiam referri poſſunt, quam alteræ quas ſupra philoſophiam eſſe diximus.

Neque tamen id omne quod ſolis naturæ viribus cognoſcitur à philoſopho pro philoſophia haberi poteſt: quandoquidem plurima eorum quæ cognoſcit ſapiens cunctis mortalibus communia ſunt, ac iis etiam obvia, qui vel mente capti, vel barbari, vel ita ſaltem in ſapientiæ ſtudio exercitati non ſunt, ut philoſophi hoc eſt ſupra vulgus ſapientes dici poſſint. Taliſque maximam partem eſt omnis ea vulgi notitia, quæ *Senſuum experimentis* primam originem, *Memoriæ* conſervationem, *Imaginationi* ac *Diſcurſui* ab uno ad aliud, perfectionem atque incrementum debet. Quiſquis enim homo eſt, non ut lapis, vel arbor ex bruta tantum conſtat materia, ſed *mentem* præterea habet, quæ ad imaginem Dei facta adeoque ſua natura apta nata eſt mul-

multa percipere & intelligere, nec non judicium de iis ferre. Huic menti unitum eſt *corpus*, non una continua ac immota mole, ſed variis conſtans partibus, iiſque tam affabrè factis, ut vel à ſe invicem & à cauſis internis, vel aliunde ſeu à rebus circumſtantibus non nihil commoveri, eamque motionem tali modo recipere atque ad mentem deferre poſſint, ut variæ internorum externorumque ſenſuum inde conſequantur perceptiones, quarum beneficio, & proprii corporis multorumque in eo affectuum, & rerum etiam extra nos poſitarum, citra voluntatis conſenſum certiores reddimur. ſimulque ea quæ commoda nobis ſunt vel incommoda dignoſcimus, & magnam qualitatum, operationum aliorumque accidentium & formarum varietatem, in rebus corporeis detegimus.

Univerſa enim cutis cum carnibus quibus exterior corporis habitus conſtat aliquas nervorum propagines intextas ſibi habet, quæ ubi ſpiritu turgent à pleriſque occurrentium corporum contactibus moveri poſſunt; qui motus, prout vehementes vel mediocres ſunt, aliiſve modis variant, indicant menti quid ſuo occurſu prodeſſe vel nocere queant corpora à quibus procedunt, ſimulque eam in cogi-

tatione excitant ſenſuum varietatem, à qua tot *tactiles qualitates*, quales ſunt calor, frigus, humiditas, ſiccitas, durities ſimilesque denominantur; ſicque tot etiam rerum occurrentium varietates, qualitatum iſtarum nominibus inſigniri ſolitas, iiſdem ſenſuum perceptionibus cognoſcere nobis videmur. Et quia plurimæ interiores partes ſimiles habent nervorum propagines, variæque in ipſo corpore latent cauſæ, quæ afficere eas poſſunt, hinc ſenſus quidam oriuntur quos internos vocamus, eo quod non ad externa objecta, ut priores, verum ad noſmetipſos terminari nobis videantur: taleſque ſunt perceptiones *caloris* & *frigoris ubi in noſtro corpore reſident*, nec non *doloris* & *voluptatis*, ut & *famis* & *ſitis*.

Quia vero lingua ac palatum cute inveſtiuntur quæ tenerior eſt ea quæ habitum corporis ambit, carneque etiam tenella ac ſpongioſa conſtant & nervoſas propagines procul dubio ſubtiliores habent; hæ partes non modo ab integris & craſſis illis corporibus, quæ palpari poſſunt, afficiuntur ſenſu tactus, verum etiam à tenuibus illis, quibus cibi liquidi vel comminuti conſtant, particulis, ita inſuper moventur, ut ſenſus ille *ſaporum*, qui guſtus dicitur, inde exoriatur: qui ſapores ſi grati fuerint, ut plurimum ſignificant commoda nobis

fore

fore ea corpora à quibus procedunt, ſi ingrati, ea tanquam noxia fugienda eſſe docent.

At verſus nares ex cerebro porriguntur duo nervoſi proceſſus, qui nudi incedunt, neque carnibus, aut durioribus membranis, ut in guſtu & tactu fit, inveſtiuntur, adeoque neceſſariò moveri debent à ſubtilioribus illis ac celeriter agitatis particulis, quæ ex corporibus odoriferis exhalantes, cum aëre quem inſpiramus eo advehuntur, ſenſumque *odorum* in mente excitant, eamque cummonefaciunt corpus aliquod adeſſe, quod vel reſpiratione attractum, vel pro alimento aſſumptum, nocere aut prodeſſe nobis queat.

Similesque etiam duo nervi verſus interiores aurium receſſus protenſi excipiunt tremulqs illos motus ac concuſſiones, quibus aër ſæpe agitatur, eamque in mente excitant perceptionem, quam in ſenſu *ſoni* experimur. Quæ ſoni perceptio primariò à natura inſtituta videtur ad remotorum corporum, quæ forte irruere in nos poſſent, impetus cognoſcendos & declinandos; & non contemnendum prætereà uſum præbet in mutua cogitationum noſtrarum, quæ certis vocabulorum ſonis ex communi inſtituto alligatæ ſunt, communicatione.

ſimilibusque aliis patiatur qualitatibus, ideoque nihil præter hujuſmodi perceptiones ad ſenſum ſit referendum, ſi accuratè illum ab intellectu diſtinguere velimus; nihilominus, quia hæ qualitates nec reperiri, nec intelligi poſſunt ſine re aliqua ſubſiſtente, quæ præter ſubſtantiam ſuam corpoream, etiam magnitudinem, figuram, ſitum, nec non motum vel quietem habere ſolet, hæc omnia una cum dictis qualitatibus ſenſu percipere nobis videmur. Et quanquam ſenſus verſari tantum dicatur circa *ſingularia*, ita tamen omnes facti ſumus à natura, ut relictis ſingularibus circumſtantiis hujus aut illius ſubſtantiæ, vel qualitatis, vel magnitudinis, alteriusve attributi, *communem pluribus naturam* libenter & facile contemplemur.

Porrò advertentes, non pro arbitrio noſtræ voluntatis, verum citra animi conſenſum nobis plerumque advenire iſtas ſenſuum perceptiones, eas etiam, non à nobis ſolis effictas, verum à rebus aliis *extra nos exiſtentibus* ſenſui impreſſas eſſe judicavimus: quarum rerum cum nullam aliunde prima ætate haberemus notitiam, quam ex jam dictis ſenſuum perceptionibus, non potuit etiam aliud nobis veniſſe in mentem, quam illas hiſce ſimiles eſſe: ſicque eos ipſos ſapores, odores, calores, ſonos,

nec non ipſa illa quæ ſenſimus lumina, una cum innumerabili in coloribus varietate; ut & magnitudines, figuras & motus extra nos exiſtere judicavimus; atque rem illam ſubſiſtentem, quæ ita colorata, calida, magna, figurata aliisve prædita eſt formis, pro diverſitate formarum quæ ſenſibus ſeſe offerunt, vel ſolis, vel lunæ, vel arboris, vel lapidis, vel aquæ, vel ignis, aliove inſignimus nomine.

Sequitur notitia *effectuum*, *operationum* & *mutationum*, quæ in hiſce corporibus notari poſſunt, & non ita ab ullo alio ſenſu, quam quidem à viſu deprehenduntur. Nam tactus, guſtus, olfactus & auditus ita defixi eſſe ſolent in perceptione earum paſſionum, quas objecta ipſis imprimunt, ut non doceant quid poſſint apud ſeſe res extra nos poſitæ: Viſus eas inſuper mutationes & operationes detegit, quæ rerum quas intuemur ſunt propriæ. Sicque tria diverſa effectuum actionumque genera notamus; vel enim corpus unum videmus agere in aliud, ut cum ignis aliquid comburit & conſumit, ſol omnia vegetat ac movet; vel corpori noſtro aliqua inducitur mutatio, ut fit à medicamentis, aëre, aqua pluribusque aliis; vel denique actionem aliquam in ſe ipſa exercent aliqua corpora, ut cum ignis conſumit ſe ipſum,

cœ-

cœlum in orbem gyrat, magnes ſe dirigit ad polos mundi. Quæ tria mutationum operationumque genera, cum à nullo corpore proficiſci poſſint, niſi vi & facultate quadam fuerit præditum, jam ab ineunte ætate aſſumptum à nobis fuit, præter ſenſibiles qualitates ſenſus noſtros per ſeſe afficientes etiam *naturales* quaſdam à nobis cognoſci *potentias facultatesque*, quibus corpora vel in ſe ipſis operari, vel in corpore noſtro, aut alio quovis mutationem quandam inducere valeant, taleſque ſunt gravitas, levitas, vires magneticæ & multæ medicamentorum, venenorum aliorumque corporum facultates, quæ, quia per ſeſe non afficiunt aliquem ſenſum ut facit calor, verum per opera ſua inveſtigari debent, *occultarum qualitatum* nomine veniunt apud philoſophos.

Denique ſæpe ſimilitudo aliqua reperitur inter hæc ſenſuum objecta, aut unum alterius cauſam, effectum, conſequens aut antecedens eſſe novimus, ſicque notitia unius promovet ac perficit cognitionem alterius. Sæpe etiam ex communi inſtituto, aut conſuetudine, res una alteram ſignificat ac notam facit. Quæ vis ſignificandi in omni eo quod ſenſu percipitur collocari quidem poteſt, ſed commodiſſimè, vel iis quæ movent viſum,

vel etiam ſonis aliquibus alligatur.

Inter *ſigna* autem quæ à ſonis deſumuntur, nulla vel ad uſum vitæ commodiora, vel ad humanæ cognitionis promotionem utiliora hactenus ſunt inventa, quam quæ in *articulatis hominum vocibus & ſermone* conſiſtunt. Etſi enim in vocabulorum enunciatione nihil præter ſonos reperitur, quia tamen jam ab ineunte ætate pleroſque animi conceptus iis alligavimus,& propter continuum loquendi uſum non ad verba tantum, ſed etiam ad eorum ſignificata attendere didicimus, vix quicquam adeò eſt abſconditum in animis hominum, quod non voce aliqua exprimi & alteri hoc pacto communicari poſſit,quod quantum compendii adferat in acquirenda rerum cognitione,nemo non videt.

Signa autem, quæ in viſum incurrunt, multiplicia ſunt: quædam enim res ipſas ſignificant, ut *pictura*,& multa genera *characterum*; quædam non res tantum, ſed noſtras etiam de rebus cogitationes manifeſtas faciunt,ut *geſtus* qui in uſu ſunt apud mutos, nec non *hieroglyphica* Ægyptiorum, ſub quibus multiplex ſapientia condi ſolebat: quædam denique inſtituta ſunt ad notandos hominum ſermones, ut *litera* ſeu *ſcriptura*; ut enim voces ore prolatæ conceptuum, ita ſcripturæ characteres harum

vo-

vocum ſigna ſunt. Et quia, ut jam dictum fuit, æquè de vocabulorum ſignificatis atque de eorum ſonis cogitamus, quoties-cunque ad ſermonem attendimus, fieri non poteſt, quin ſcriptura, quæ ſermonis index eſt, ea etiam, quæ ſermone iſto deſignari novimus, ſimul manifeſta nobis faciat.

Enimverò admodum anguſtis limitibus circumſcripta foret tam multiplex ſenſuum notitia, & forte ne primariis quidem hujus vitæ neceſſitatibus ſatisfaceret, ſi, quam cito ex corporeis motionibus in cognitione noſtra oritur, tam ſubito etiam evaneſceret ceſſante externi organi motione, & abſente objecto à quo illa pendebat. Jam verò ita à natura factum deprehenditur humanum corpus, ut, quamvis peculiaris ſit ſingulorum ſenſuum conſtitutio, & peculiares etiam unicuique organo inſerantur nervi, hi tamen nec oriantur, nec finiantur in iſtis organis, verum ex intimis cerebri penetralibus, tanquam diducta ac prolongata ſubſtantiæ ipſius filamenta, ad omnes fere corporis partes ſint protenſi, ut, quoties bene diſpoſiti ſatiſque expanſi fuerint in vigilia, eam impreſſionem, quam in externo organo recipiunt, ad communem omnium originis ſuæ locum deferant ac deponant: &

quia tales externorum ſenſuum impreſſiones ſæpe redeunt, & quandoque ſatis vehementes ſunt, fieri non poteſt quin in tenella & flexili illa cerebri ſubſtantia, ad quam nervorum interventu pertingunt, aliquod ſui veſtigium relinquant. Atque hoc externæ impreſſionis veſtigium, quod ſpecies & phantaſma dicitur philoſophis, conſervat in nobis rerum abſentium & jam ante à nobis perceptarum *memoriam*, fungiturque vice ipſius objecti ubi de eo abſente cogitamus.

Hæc autem peculiaris cogitandi forma, qua non ad rem ipſam externo ſenſui præſentem, ſed ad ejuſdem imaginem ſeu præteritæ impreſſionis veſtigium mentis obtutum vertimus, *Imaginatio* ſeu phantaſia vocatur: quæ licet initio non tam vivida & expreſſa eſſe ſoleat, quam quidem ipſæ externorum ſenſuum perceptiones, iteratis tamen aliquoties externorum ſenſuum motionibus, & repetita quandoque interna meditatione ita perfici poteſt & confirmari, ut multum adjumenti & perfectionis inde accedat communi iſti, de qua hactenus loquuti fuimus, hominum notitiæ, quæ ex variis ſenſuum perceptionibus atque experimentis ortum ducit.

Ut enim objecta externa motionesque ab iis excitatæ circa ſenſus externos, ita ce-

cerebri veſtigia ſpirituumque animalium interna commotio ſe habent circa imaginationem: neque magis neceſſarium eſt, præſente ex. gr. corpore luminoſo oculiſque ab eodem commotis, ſequi illius ſenſum, quam præſente in cerebro hujuſce motionis veſtigio, loco corporis illuminati, ſpiritibusque ab eodem convenienter agitatis, vim etiam imaginandi excitari, ipſumque illud corpus, quod non eſt præſens, concipere, uti quotidiè id experiri licet in inſomniis, nec non vigilantium fortuitis imaginationibus, & delirantium imprimis ac melancholicorum phantaſiis. Quemadmodum etiam ex ſingulorum ſenſuum impreſſionibus, non luminis tantum, & colorum, & caloris aliarumque qualitatum elicimus perceptiones, verum interiori mentis agitatione varia judicia ac ratiocinationes iis ſuperſtruimus, multaque de rerum extra nos poſitarum figuris, magnitudine, ſitu, motu, ſubſtantia, mutationibus, effectis & viribus agendi cognoſcimus concludimusque, & res etiam abſentes ac inſenſibiles per ſua ſigna intelligimus: haud aliter imaginatio rerum abſentium ac ſenſationum præteritarum veſtigiis excitata, & interna ſæpe ac liberiori mentis & ſpirituum agitatione adjuta hæc omnia præſtat quam promptiſſimè. Qui-

bus ſi addamus quod imaginatio nunquam ſere ſit otioſa, ſed ut plurimum præſentia ſibi habeat aliqua objecta in quorum contemplatione ſe exerceat, vel ſi ad ea non attendat, quod quidlibet ex memoria depromere ac ſibi præſens ſiſtere, nec non ob ſummam ſpirituum agilitatem & veſtigiorum quæ vice objecti funguntur viciniam, celerrime de eo cogitare, ſimulque variè illud conferre cum aliis, nec non componere, dividere, ampliare aut contrahere, & hæc omnia denique memoriæ mandare ac firmiter imprimere poſſit; quis non videt quot & quanta hinc ſequantur humanæ cognitionis ſubſidia?

Et hæc tamen omnium hominum communia eſſe voluit optimus Deus; ad hæc non docti ſed facti, non inſtituti ſed à natura imbuti ſumus. Ipſi amentes non ſenſuum tantum, verum etiam memoriæ atque imaginationis aliquem habent uſum. Quotquot verò mentem ſanam in corpore ſano nacti fuerunt, non aliter quidem colorem, lumen, calorem ſimiliaque percipiunt, ſed rectius de rebus extra nos poſitis judicant, diſtinctius earum figuras, magnitudines, motus ſubſtantiamque concipiunt, mutationes, effecta & agendi vires curioſius perſcrutantur, & fœlicius plerumque res præteritas memoriæ mandant

dant & ubi opus fuerit ex ea promunt, ac celeriori denique certiorique utuntur ratiocinatione. Majus etiam ſciendi deſiderium inditum à natura habent, majoremque ex rerum novarum notia hauriunt voluptatem. Et quia plurimarum rerum indigi ſumus, dum fragile hoc corpus circumferimus, & vix quicquam rerum externarum occurrit, quod non vel ad vitæ conſervationem aliquid conferat, vel nocere aut prodeſſe poſſit; neceſſum fuit non animi tantum gratia nos captare rerum occurrentium notitiam, verum etiam ſtudio & labore eam quærere magnaque diligentia memoriæ mandare. Etenim corpus noſtrum non perpetuò in eodem ſtatu ſubſiſtit, verum ab internis externisque cauſis continuo mutatur conſumiturque. In aëre ſpiritum ducimus, cibo & potu indigemus ut ex infantibus evadamus viri, virilemque ætatem in vigore diu conſervemus, tandemque etiam ſenectâ fruamur quantum fieri poteſt vegeta ac immuni ab iis moleſtiis, quæ graviorem ipſam reddunt. Et quia hiſce auxiliis artam tectam ſervare valetudinem noſtram, neque rerum externarum injuriæ, neque fatalis corporis noſtri ad deteriora lapſus permittunt, præter noxios proprii corporis affectus actionumque ipſius vitia

vitia ac impedimenta, etiam remedia quædam ſeu auxilia notare debuimus, quibus vel imminens periculum præveniri & arceri, præſensque noxa removeri poſſit. Et mediocris horum omnium notitia ſufficeret nobis, ſi ea foret cœli clementia corporisque noſtri fortitudo, ut ſub dio ac nudi vivere poſſemus, ſique cuncta ad ea quæ diximus neceſſaria ſponte obvia nobis fierent, ac denique ſi pauca illa, quibus natura contenta eſſe poſſet, noſtris etiam deſideriis ita ſatisfacerent, ut non quæreremus tanto ſtudio earum rerum apparatum, quæ vel ſuperfluæ ſunt, vel ad voluptatem tantum atque mollitiem comparatæ. Fateor quidem eos mortalium, qui maximè barbari ſunt, parum ſollicitos eſſe de acquirenda talium rerum penitiori ampliorique notitia. Vivunt illi ferarum more, victumque in diem plerumque quæritant. Securè iis fruuntur, quæ vel natura vel raptus ſuppeditat. Cuncta diſcriminant externis illis formis, quas ab eunte ætate ſenſu obſervant. Quæ ipſos latent, non anxiè inquirunt, quia illa ſibi commoda vel neceſſaria eſſe poſſe non vident. Illi verò qui poſita barbarie in magnas coiëre ſocietates, vitamque ducunt tranquillam ac manſuetam, quia rerum, quas poſſident, proprietates & dominia accurate diſtinguunt,

guunt, ſinguli ſua ſorte contenti eſſe debent. Quæ ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria habent, non raptu, ſed arte acquirunt, & ſi fortunam experti fuerint beni gniorem, pacatè iis fruuntur quæ ex bonis propriis proveniunt. Atque in hac vitæ tranquillitate & otii abundantia magis circumſpecti & ad ea quæ quotidiè in vita occurrunt attenti eſſe ſolent homines. Ubi obſervant quippiam, quod uſum, vel commoditatem in vita allaturum ſperant, id non contemnunt; vel negligunt, verum diligenter ejus qualitates, formam, operationes, vires uſusque notant. Sicque inventa fuerunt veſtimenta, caſæ, ædificiaque quibus nos defendimus ab aëris injuria, variæque alimentorum ſpecies ac formæ una cum aëris, aquæ, ignis, tempeſtatum, & locorum quæ inhabitamus differentiis viribusque diligentius obſervatæ. Eodemque modo notatum etiam fuit, quid herbæ, quid mineralia, quid variæ animalium partes, quid denique innumerabilia illa corporum quæ nos circumſtant multitudo, efficiat in corporibus noſtris, quasve hæc omnia ſibi invicem inducant mutationes, ut eorum commoda proſequi, incommoda fugere poſſimus; quæ prima *Artis Medicæ initia* fuêre. Acceſſit noſtri etiam corporis curioſior contemplatio: & cer-

primum quidem externa ejus forma, ac ſtructura una cum operationibus, accidentibus, morbisque conſpicuis notata fuere, ſicque exculta fuit *Chirurgia*: deinde verò interior abditarum partium inſpectio in cadaverum animaliumque diſſectionibus fuit tentata, multaque admirabilia & ante incognita, circa partium figuras, magnitudines, nexus, colores, conſiſtentiam, vias & horum omnium denique uſus per *Anatomen* ſunt detecta. Cumque multis rebus ad vitam neceſſariis non ita integris prout occurrunt uti poſſimus, verum vel componendæ, vel dividendæ, vel aliter formandæ ſint ac ſtruendæ, non contenti dignotione earum varietatum, & virium, quas ipſa natura offert, arte naturam perficere, vel ſuperare laboravimus; quæ prima *Mechanices* artiumque, quas illiberales vocant, initia fuere. Ac denique neceſſum eſt mentem hominis, quæ tot *rerum utilium* notitia quotidie imbuitur, magis magisque affici plura cognoſcendi deſiderio, tandemque tantam ex rerum novarum cognitione haurire voluptatem, ut, quicquid novum vel incognitum occurrit, ob hoc unum noviſſe ac notare velit, quia ipſa ſibi pretium eſt cognitio. Atque hoc pacto non utilia tantum & commoda ad vitam, quæ jam recenſuimus, ſed quælibet etiam

etiam alia, quæ *rara* vel *admirabilia* nobis videntur, magna cum voluptate advertimus. Et prout quiſque vel otio abundat, vel ſciolus, curioſus atque admirabundus fuerit, tanto ulterius progreditur in hoc ultimo cognitionis genere, & tanto majori ſtudio ea quæ in cœlis, terra, aqua, meteoris, lapidibus, metallis, brutis animantibus & homine rara occurrunt, memoriæ mandat. Scilicet in ipſis rebus quæ cognoſcuntur invitamenta inſunt, quibus ad earum notitiam movemur. Fictas fabulas, è quibus nulla utilitas duci poteſt, cum voluptate legimus. Etiam pueri ne verberibus quidem à contemplandis rebus perquirendisque deterrentur: gaudent ſe novi aliquid addiſcere idemque aliis narrare geſtiunt; pupa, ludis ſimilibusque ſpectaculis in tantum tenentur, ut vel famem & ſitim ea propter perferant; imo ipſa nativitatis hora magna cum voluptate verſus lumina oculos flectimus, ſuavique riſu ſæpè teſtamur, quantum delectationis ex tot novarum rerum intuitu capiant mentes noſtræ.

Atque hæc tam utilis, tam neceſſaria ac jucunda multarum rerum cognitio, ea ipſa eſt quam omnibus hominibus communem fecimus. Hujus natales ducendæ ſunt ab ipſo mundi exordio; hæc ante

ſa-

ſapientiæ ſtudium ad aliquam perfectionem perducta, poſteaque à vulgo mortalium exculta fuit, adeoque etiamnum ab eo cognitionis genere, quod philoſophi proprium eſt, diſtingui debet. Et quanquam Europæi, aliæque magis cultæ nationes, ut humanitate & manſuetudine, ita eorum etiam quæ jam recenſuimus ſcientia alias gentes antecellant: incredibile tamen eſt ullos reperiri homines adeo brutos ac barbaros, quin eam harum notitiarum partem aſſequuti fuerint, qua & vitæ neceſſitatibus ſatisfacere, & animos etiam delectare nonnihil poſſint. Conſulite eos qui novi orbis barbariem, aut Septentrionis & Auſtri ſtupiditatem viderunt, an non homines illic vivunt ſenſibus ſuis juxta nobiſcum utentes, rerum colores, calores, frigora, ſapores, figuras, motus, magnitudines & ipſam denique ſubſtantiam recte diſtinguentes; multos etiam rerum effectus viresque à quibus illi procedunt notantes, & ſi non literas ſermonem ſaltem quem didicerunt intelligentes? Et an non aliqua eorum quæ hoc pacto cognoſcunt memoriæ trahunt, & ubi opus fuerit imaginatione recognoſcunt, nec non ex notitia una in aliam ducuntur? annon arte naturæ vires ſuperare, machinas extruere, & valetudinis aliquam

ra-

rationem habere ſolent? Et quidni ea etiam ſcire deſiderent, quæ præter ſcientiam nullam in vita adferunt utilitatem? quid obſtat quo minus præter quotidiana, & ubivis obvia ſenſuum experimenta, ea etiam obſervent, quæ admiranda ſunt ac rara nobiſque magnam partem incognita?

Enimvero quantacunque etiam videatur vulgaris hujuſce notitiæ amplitudo, fieri tamen non poteſt, quin multis *erroribus, tenebris*, ac *præjudiciis* ſit obnoxia; vel, ſi quid recte perceptum, penituſque exploratum in ipſa reperiatur, id tam parum eſt tamque *anguſtis limitibus circumſcriptum*, ut ſuavitate ſua provocet quidem & augeat ſciendi deſiderium, ſed nullo modo extinguat. Diſtinctè quidem imaginamur quantitatem illam geometricam ſeu extenſionem, quæ omnium corporum communis eſt, & ſine ulla ſenſibili forma conſideratur: partibus autem hujuſce quantitatis quaſlibet magnitudines, figuras, ſitus, motus locales, motibusq; iſtis quaſlibet aſſignamus durationes. Et prout motus cum motibus, figuras cũ figuris, magnitudines magnitudinibus variè componimus, hinc innumeræ exurgunt horum ad ſe invicem habitudines proportionesque. Et hæc quidem ſic in genere ſpectata nulli non nota

eſſe

eſſe poſſunt: Geometræ autem & mechanici, omnesque illi qui imaginationem rationemque ſuam horum contemplationi aſſueſcunt, multa etiam particularia de figuris, motibus, & numero præcipue ac magnitudine, quæ puræ matheſeos objecta vocantur, attendendo ac meditando percipiunt. Verè etiam jam ab ineunte ætate concluſum à nobis fuit, hæc omnia generatim ſaltem ſpectata in rebus corporeis, quas ſenſu percipimus, reperiri: &, ſi ſatis propinqua & magna fuerint aliqua corpora, talem ſæpè figuram, magnitudinemque revera habent, qualem ſenſu in iis percipimus.

Sed obſecro vos, Hum. Aud. ut conſiderare mecum dignemini, quàm multa deficiant in particulari iſta magnitudinum, figurarum, motuum ac diſtantiarum notitia; quam obſcuræ ſint qualitatum ſenſibilium perceptiones; & quam nulla ſit intimæ ſubſtantiæ una cum viribus ſuis atque potentiis per corporeos ſenſus cognitio? Annon in vobiſmetipſis & aliis ſæpius obſervaſtis, non ita in parvis aut longe diſſitis corporibus, quam quidem in magnis & propinquis poſſe dignoſci cujus ſint *figuræ*, aut *magnitudinis*, quantumque vel à nobis vel ab aliis *diſtent*? Quotusquiſque ex vulgo lunam non putat ſtellarum

rum

rum omnium eſſe maximam? & revera eſt minima: & quid ſcimus annon eadem fallacia contingat in pluribus? & unde certi fiemus ſolem ſua luce & magnitudine tantum ſuperare ſtellas fixas, quam quidem nobis apparet ex viſus indicio? & quid ni ſtellæ illæ fixæ revera non habeant omnes illas primæ, ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæque magnitudinis differentias, quas oculis exhibent, ſed eæ, quæ videntur minimæ, cur aliis non poſſint eſſe æquales, aut majores, omneſque inſtar ſolium propria luce fulgere, ac tam parvæ tamen debileſque videri ob immenſam à nobis diſtantiam? Vulgus ex viſus indicio planetis omnibus, ut & lunæ nativam attribuit lucem, quam tamen nullam habent, cum corpora ſint prorſus opaca, terræ noſtræ ſimilia, montibus vallibusque diſtincta, omneq; lumen, quo conſpicui nobis fiunt, à ſole mutuantia. Quam abſurdè oculi judicant de planetarũ erroribus, putant eos circa terram fieri, multiſq; regreſſibus, accelerationibus, retardationibusque, apogæis & perigæis eſſe irregulares, qui tamen omnes uno ſimplici & ordinatiſſimo circa ſolem abſolvuntur motu. Notum eſt, quot ſeculis ante detectum novum orbem terram eſſe planam nulloſq; habere antipodas creditum fuerit, atque tam pertinaciter

ter ex ſenſuum præjudiciis aſſertum, ut & ineptum, & ridiculum & fabuloſum eſſe putaverint contrarium aſſerere. Et ut alii ſenſuum errores, quibus per omnem ætatem aſſueſcimus, ita hic etiam non imperitæ tantum plebis, ſed doctiorum etiam animos occupavit. Cumque rationibus ſtabiliri non poſſet terram nullos habere antipodas, vi ac conſequentiis ex Theologia petitis actum fuit, dictumque quod antipodibus inductis in terrarum orbem alius etiam induceretur Chriſtus. Sic Virgilius Epiſcopus Salæburgenſis, qui pro concione huic errori contradixerat, à Bonifacio Epiſcopo Moguntino crimine impietatis accuſatus, literisque à Zacharia pontifice impetratis damnatus Sacerdotioque dejectus fuit. Tanta videlicet præjudiciorum vis eſt, tamque arridet nobis imperfecta illa ac in multis erronea ſenſuum cognitio, quam de rebus extra nos poſitis à pueritia coacervavimus, ut illi, qui ſanctiſſimi veritatis cuſtodes eſſe debebent inter homines, tam turpiter lapſi hic fuerint. Et dato quod rerum viſibilium figuras, magnitudines, motus, ſitum atque diſtantiam recte percipiamus, uti id fieri ſæpè fatemur: quid dicendum de tot myriadibus corporum minutiſſimorum, quibus pulvis, vapor, fumus, aqua, oleum,

vi-

vinum, ſanguis, lac, ignis, aër, cœlum, ſol, omniaque fluida conſtant? & annon arbor, lapis, caro, os, ferrum, magnes, ſal, nitrum, aliaque innumera corpora ſtabilia ex tam parvis in ortu ſuo coaluerunt partibus, ut earum magnitudines, figuræ, nexus & intervalla nullo ſenſuum acumine dignoſci queant? annon multa ſubtiliora corpuſcula craſſiorum intervalla replent ac permeant? annon ex humano corpore aliiſque inſenſilis exſpirat materia? deſcribite nobis, quotquot tantum tribuitis ſenſibus veſtris, horum omnium numerum, magnitudines, figuras, motus, vicinitatem ac intervalla.

Quantum verò ad *lumen*, *colorem*, *odorem*, *ſapores ſimiliaque propria ſingulorum ſenſuum objecta*. ea quidem valde clarè percipere nobis videmur, ſed propius noſtras de iis perceptiones inſpicienti manifeſtum fit, eas intimam veramque qualitatum iſtarum naturam nullo modo detegere. Hoc enim ſi ita ſe haberet, & infans, & demens intelligerent in quo conſiſtat tot ſaporum, colorum, odorum, ſonorumque, quos ſapiene ſæpe admiratur, varietas: & ſi verum ſit, quod ab infantia nobis perſuaſimus, bruta animantia iiſdem nobiſcum gaudere ſenſuum perceptionibus, annon canis majorem odorum notitiam ha-

habet ſuo domino? an accipiter, an aquila non rectius percipit, quid lumen, & color ſint in re viſibili, quam philoſophus hoc unquam percipere poteſt? Philoſophi occultas vocant eas qualitates quarum quidem aliqua effecta vel operationes videmus, intimam vero naturam ſenſu non attingimus: taleſque ſunt apud ipſos vires magnetis, pæoniæ, rhabarbari & pleræque naturales agendi potentiæ, quas idcirco ſenſui non obvias eſſe docent. Sed ô boni, quæ quæſo eſt manifeſta illa notitia quam de qualitate, quæ afficit ſenſum, evidentiorem habet vulgus quam de vi magnetica? annon uti ignem calefacere, & comburere, acetum attenuare ac incidere, aquam humectare, annon ita, inquam, magnetem ferrum ad ſe allicere, pæoniam comitialem morbum curare, & rhabarbarum purgare, ſenſuum experimento conſtat? Et ſi quæram in quo conſiſtat vis illa incidendi in aceto, humectandi in aqua, comburendi in igne, aliudne reſpondetur ex communi hominum notitia quæ ex ſenſibus hauritur, quam hanc eſſe & ignis, & aceti, & aquæ proprietatem ſeu qualitatem, ut opera iſta præſtare poſſint? Quod cum de vi magnetica omnique alia occulta qualitate, cujus effecta ſenſu percipimus, dici etiam poſſit, quid cauſæ eſt

quod

quod magis manifeſtæ nobis videantur vires ignis quam magnetis? Nil juvat enim quod uti ignis facultas caloris ita pleræque aliæ, quæ manifeſtæ dicuntur, ſuo indigitentur nomine, vis autem magnetis, pæoniæ ſimilesque nomine careant; *non enim*, uti Fernelius lib. 2. de Abditis rerum cauſis cap. 17. ſapienter hic reſpondet, *ex nominum ſed ex rerum ſcientia ducenda eſt cognitio.* Et quanquam ignis ſuo calore & lumine non ſolum in rebus extra nos poſitis operetur, verum etiam paſſionem aliquam imprimere ſoleat ſenſui, nihilo hinc manifeſtior evadit caloris & luminis natura. Deſcende in te ipſum quisquis hac de re dubitas, & vide an tam manifeſta tibi ſit harum qualitatum, quam quidem cubi, vel trianguli, vel extenſionis natura. Hærebis quidem prima vice, eo quod per omnem vitam ex judicio infantiæ tibi perſuaſeris, id omne, quod exhibetur ſenſui, tale eſſe in rebus extra nos poſitis, quale repræſentatur in ſenſus perceptione: ſed ſi examines, ſi attendas, quidnam ſit quod iſte ſenſus ex. gr. ſoni, vel caloris, vel coloris, tanquam in corpore ſonoro, calido & colorato tam aperte tibi oſtendere videtur, facile advertes, te quidem poſſe concludere aliquam in corporibus iſtis eſſe qualitatē perceptiones iſtas in

ſenſu excitanſem, ſed quæ propria ſit hujuſce qualitatis natura, id ſenſus non tam aperit quam abſcondit. Quis enim de continui ſolutione cogitat ubi ſentit dolorem? Quis in ventriculo percipit eam nervoſarum partium vellicationem & punctionem, à qua excitatur ſenſus famis? quis tremulum aëris motum ſibi imaginatur, ubi audit ſonum? Certè nulla inter haſce ſenſuum perceptiones & corporis noſtri rerumve externarum qualitates, quas ſignificant, reperitur ſimilitudo. Et unde quæſo conſtabit reliquorum etiam ſenſuum, ut & qualitatum quas percipiunt non parem eſſe rationem? Et quis tamen ex vulgo ad iſta attendit? quis non ſenſuum ſuorum perceptiones veras & expreſſas rerum ſenſibilium imagines eſſe putat?

Sed ut liberaliùs vobiscum agam quotquot nimiũ tribuitis vulgi & ſenſuum notitiæ, largiemur inpræſentiarum, præter externas corporum figuras, magnitudines ac motus, etiam colores, calores, ſapores reliquasque patibiles à philoſophis dictas qualitates rectè percipi à ſenſibus veſtris; quid verò diceris de intima ac propria cujusque corporis *ſubſtantia* ac *formæ?* Annon ſua etiam penetralia intimosque receſſus habet natura? annon ut in ædificiis

ho-

hominum, ita etiam in corporibus ab ipſo Deo creatis plus artificii ac pulchritudinis in interioribus latet, quam in extima ſuperficie ac primo aditu? annon igitur interiorum illarum partium, quæ ſenſus fugiunt, ſuæ ſunt figuræ, magnitudines & nexus? annon hæ etiam propriis ſibi motibus moveri poſſunt,&c, ubi nectuntur inter ſeſe, annon intervalla ac interſtitia aliqua ex figurarum irregularitate inter ipſas remanent? Hæc ſi nota vobis non fuerint, uti revera non ſunt, quid aliud erit externas iſtas formas noviſſe, quam vitrum lambere cum vulpe & pultem non attingere? Et ſane miſerior eſt hac in parte hominum quam vulpis conditio: vulpes enim pultem quidem non attingit, quamdiu vitreo vaſi eſt incluſa, ſed eam tamen per pellucidam ejuſdem vaſis ſubſtantiam foras intuetur, ſicque memor dulcedinis quam pabulo ſuo ineſſe novit, non tam vitrum lambere, quam perfringere,adeoque ipſa frui pulte unicum ejus deſiderium eſt. At verò cortex ille externorum accidentium, cui rerum corporearum medulla maximæque naturæ delitiæ includuntur, non ulli ſenſui eſt pervius, neque ut vulpi pultem ita nobis naturæ medullam prius deguſtaſſe contigit, verùm primæ ætatis cogitationes totæ occupatæ fuerunt in

externo tantum cortice lambendo. Hiſce adde quod non omni ſapore & ſucco deſtitutus ſit naturæ cortex, uti vas vitreum, ſed nonnihil grati & non omninò inutilis ſucci hauriri inde ſolet. Imo omnes illæ ſenſuum perceptiones, quibus in lambendo utimur, neſcio quas in ſe continent illecebras, quibus dici non poteſt quantum afficiantur & delectentur humanæ mentes. Hæ nos avocant ab intimis naturæ penetralibus, hæ efficiunt ut non cum vulpe ad ipſam naturæ pultem penetrare, ſed perpetuò ejus corticem lambere velimus; & ut pueri lactis ſaccharique dulcedine pellecti ſolidiores cibos non quærunt ſed faſtidiunt ſæpe, haud aliter humanus animus ita capi ſolet prima illa dulcedine quam ineunte ætate in ſenſuum perceptionibus experitur, ut poſteà ſolidioris contemplationis pabulum nunquam ſæpe deſideret. Tantumque poteſt continua illa aliquot annorum conſuetudo non niſi extima naturæ corporeis ſenſibus delibandi, ut non eorum tantum, quæ ſub externis rerum ſenſibilium formis latent, penitus obliviſcamur, ſed paulatim etiam nobis perſuadeamus, nil quicquam in rerum natura exiſtere aut intelligi à nobis poſſe, niſi quod ſenſibilibus ejuſmodi aut corporeis ſaltem formis prædituum ſit. Ita

omne

omne ſpatium, in quo nihil occurrit quod moveat ſenſum, omni etiam ſubſtantia vacuum ac merum nihil eſſe putatur;& longe minus ſubſtantiæ creditur eſſe in aëre & fumo, quam in auro aliove ſolido & gravi corpore: & generatim ea omnia, quæ magis afficiunt ſenſus, etiam majora, vel præſtantiora & fortiora eſſe judicamus; quæ minus, contra. Et quod mireris, tantum potuit hæc primæ ætatis ſenſuumque noſtrorum inconſiderantia, ut multi etiam philoſophi communem rerum corporearum materiam, præter quam nihil in ipſis ſubſtantiale intelligi poteſt, pro ſubſtantia haberi noluerint, ſed modo ens in potentia, modo non ens, modo puram vocaverint potentiam. Et quanquam hæc materia non tantum diviſibilis, ſed reipſa etiam diviſa ſit in innumeras particulas, quæ omnem ſenſum fugiunt, quotusquiſque tamen de iis cogitat? Flamma ex ſolo fumo, omnisque ignis ex ea tantum conſtare putatur materia, qua ali ipſum videmus. Neſcit ſenſus quod ſapiens antiquitas docuit & Ariſtoteles etiam admiſit, quod nempe materia quædam valde ſubtilis & agilis omnia corpora permeet & unumquodque pro ſua aptitudine moveat, ſicque multorum operum, quæ vulgus admira-

 tur,

tur, præcipua ſit cauſa. Ubi corpus aliquod expanditur & majus fit, nihil ipſi accedere, ubi ad minorem contrahitur quantitatem, nihil ipſi decedere putamus, quoties id oculis corporeis non ſit conſpicuum; & quicquid in auras abit ſenſumque omnem effugit, id ex rerum etiam natura abiiſſe ac prorſus evanuiſſe nobis perſuademus. Et ut dicam uno verbo, multa præſtantiſſima efficaciſſimaque mundi corpora, multæ naturæ vires & operationes ſcitu digniſſimæ, multæ corporum formæ ac proprietates ob hoc unum non conſiderantur, ſæpeque etiam negantur, quia nullum ſenſum ab iis affici experimur. Eandemque ob cauſam tam rarò in ſe ipſas deſcendunt humanæ mentes: aut, ſi hoc quandoque tentent, magnam in cogitationibus tarditatem, in perceptionibus ſtuporem confuſionemque experiuntur, &, niſi vel divina gratia hoc impediat vel hominum traditiones aut ſalutaria philoſophiæ præcepta aliter doceant, ſeipſas vel tenue corpus, vel craſſi illius, quod oculis vident & manibus palpant, qualitatem ſeu perfectionem quandam eſſe autumant: Et, ne unquam à ſenſuum & imaginationis præſcripto deflectant, gloriam Dei immortalis in imaginem hominis, vel beſtiæ, alteriusve corporis transformant. Tandem-

demque advertentes, tam abſurdum imaginationis ac ſenſuum ſuorum idolum, non eſſe verum illum & perfectiſſimum rerum omnium Creatorem qui Deus dicitur, nec alium ab omni materia ac ſenſibili forma ſecretum apprehendere valentes, ejus exiſtentiam, in qua ipſimet vivunt ac ſubſiſtunt, vel in dubium vocant, vel prorſus abnegant.

Ex dictis facile liquet, quid de notitia *mutationum operationumque*, nec non *facultatum* ſeu *virium*, à quibus illæ pendent, ſit dicendum. Si enim mutatio ſecundum ſubſtantiam internamque formam contingat, ea certè à nemine intelligi poteſt qui formam illam ac ſubſtantiam non prius perſpectam habuerit. Et quis dicat quid ſit calefactio, refrigeratio, induratio ullave alia ſecundum ſenſibilem qualitatem mutatio, niſi qui & caloris, & frigoris, & duritiei, & reliquarum qualitatum naturas intellexerit? Videmus quidem arbores & animalia creſcere, ſed quam remotum eſt ab oculis corporeis vulgarique hominum notitia, quo pacto iſta accretio perficiatur? Sola ſecundum locum mutatio, quæ vocatur Motus, haud difficulter vulgo concipitur, &, ubi in ſatis magna corpora inciderit, corporeis etiam agnoſcitur oculis: ſed quis non capit motum adeo poſſe ac-

accelerari aut in tam minutis corpuſculis reſidere, ut nullus ſenſus aſſequi eum poſſit? Et verum quidem eſt, omnem motum & mutationem aliquam vim & potentiam, à qua proficiſcantur, arguere; ſed quis ſenſus certos nos faciet, an in eo quod mutatur vel movetur, an in alio reſideat iſta vis? Planetarum errores, gravium deſcenſus, levium adſcenſus, magnetis directionem ad polos mundi, ferri cum magnete conjunctionem, animalium inceſſus quotidie videmus; cordis, ventriculi, muſculorum ſimiliumque corporis noſtri partium opera & functiones ſæpe notamus, cauſas autem horum omnium, ſi ex ſenſuum indicio diſcere velimus, eas non alias eſſe putabimus, quam hæc ipſa craſſa corpora, quæ oculis videmus & manibus palpamus, quandoquidem nihil præter ipſa ad exequenda hujusmodi opera concurrere videmus: atq; hoc pacto & in planetis, & in magnete, & in lapidibus, & in muſculis, & in ventriculo ſimilibuſque craſſis & otioſis ſua natura corporibus, neſcio quas naturales & ad opera iſta ſufficientes potentias effingemus, viamque præcludemus intellectui veras talium operationum cauſas alibi extra hæc corpora indagandi. Si verò quandoque conſtet cui corpori vis & agendi po-

potentia competat, intelligi inſuper debet, quæ & qualis ſit vis iſta ſeu in quo conſiſtat. Et hoc quidem ex parte intelligitur in potentiis mechanicis, quatenus illæ ab iſtiuſmodi corporum magnitudinibus, figuris, nexu ſituque dependent, quæ oculis conſpici poſſunt: at verò naturæ opera tam ſubtili perficiuntur artificio, ut nullus corporeus ſenſus aſſequi illud poſſit. Et novit tamen imperitiſſimus quiſque, igni vim quandam ineſſe, qua multa corpora comburuntur, diſsipantur, liquefiunt, concoquuntur, indurantur; & quis neſcit, vino, pani aliiſque alimentis ineſſe aliquam potentiam vires noſtras inſtaurandi & alendi? innumeræ herbarum facultates, cœli, aëris, anni tempeſtatum, ventorum, aquarumque potentiæ ipſis barbaris & infimæ plebi innotuerunt: ſed an quiſquam eorum intimas harum potentiarum naturas intelligit aut intelligere ſtudet?

Liquet etiam, quantum tribui debeat ultimo humanæ cognitionis ſubſidio, quod ex *ſermone* & *literis* petitur. Si enim literæ vocum, & voces humanarum cogitationum & conceptuum ſigna ſunt, apertum eſt, non aliam ex librorum lectione & vivis ſermonibus hauriri notitiã, quàm quæ comprehenſa primum fuerat in loquentis

& ſcribentis animo. Si igitur evidens, ſi ſolida, ſi profunda, ſi ab errore, ſi à tenebris, ſi à præjudiciis vacua ſit ſcientia ore prolata aut ſcripto conſignata, fieri etiam non poteſt, quin is, qui ſermonem literasque illas novit, multo hinc evadat ſapientior. At ſi res obviæ & leves, ſi errores, ſi tenebræ, ſi præjudicia & conjecturæ voce aut ſcripto communicentur, quid aliud inde exſpectes quam confirmationem & incrementum, tenuis illius ac ſuperficialis, nec non obſcuræ, præcipitis, conjecturalis & magnam partem erroneæ cognitionis, quam omnium hominum communem eſſe oſtendimus?

Liquet denique ex his omnibus, quæ de communi mortalium notitia breviter dicta fuerunt, quodnam *philoſophi circa naturæ contemplationem officium* eſſe debeat. Scilicet non circa cruſtas & prima rerum involucra hærere, ſed interiora ſcrutari abditasque eruere debet cauſas: & cum vulgus in proximis obviisque cauſis ſubſiſtat, philoſophus earum ſeriem nexumq; tamdiu debet perſequi, donec ad eam pervenerit quæ omnium prima eſt & potiſſima. Vulgus non caloris, non frigoris, non humidi, non ſicci, non duri, non mollis, non fluidi, non acidi, non ſalſi, non odoris, non ſoni, non lucis, non colorum, non ponderis,

ris, non coctionis, non nutritionis, non vitæ ullas quærit cauſas; ſed hæc aliaque ſimilia tanquam vulgaria & ubivis obvia contemnit & negligit: Philſophi verò prima cura in hoc uno poſita eſſe debet, ut ante omnia eorum, quæ ita obvia ſunt, ſcientiam ſibi paret, quò poſtea, hiſce bene perſpectis, ad eorum etiam, quæ magis abſtruſa videntur, indagationem pergere, tandemque ad intimos naturæ receſſus penetrare poſſit. Vulgus naturæ opere admirando, philoſophus eadem per veras cauſas intelligendo & quantum poteſt admirationem tollendo ſe oblectat: vulgus valde exultat, ubi rarum quippiam, quod nec auditum nec viſum nec alio ſenſu notatum ſibi antea fuerat, detegit: philoſophus non tam raritate ac novitate, quàm utilitate & cognitionis evidentia metitur rerum ſcientiam. Vulgus non aliam effectuum cauſam dare ſolet, quam hanc eſſe rerum naturam, taleſque iis inditas eſſe potentias, ut opera quæ vident præſtari ab iis poſſint; philoſophus inquirit quibus de cauſis agendi potentiæ rebus inſint, quæque ſit intima earundem natura. Vulgus externas tantum rerum differentias formaſque obſervat; philoſophus ad interiora deſcendere, minutiſſimarum partium ſtructuram, nexum & intervalla aperire,

rire, latentes motus notare, & totum denique naturæ artificium una cum ſuis cauſis retegere debet.

Magna hæc ſunt, generoſiſſimi juvenes, & ſoli Deo penitus perſpecta. Sed non noviſtis vires veſtras, ſi nihil horum ſciri à vobis poſſe putatis. Pium quidem eſt, naturæ propriæ infirmitatem agnoſcere, ſed imprudentia eſt, id omne quod factum à te non fuit hactenus, nunquam fieri poſſe aſſeverare. Imo ſumma ſuperbia & invidia eſt, ſuæ cognitionis infirmitatem in naturæ ac ſcientiarum calumniam & aliorum omnium deſperationem vertere. Hinc pertinax illa Scepticorum dubitatio, qua nihil tanquam ſatis perſpectum exploratumque aſſerere auſi, ab omnibus aſſenſionem cohibent. Hinc ſuperba Academicorum acatalepſia, quæ humanum genus ad ſempiternas tenebras damnavit, omnemque evertit ſcientiam, clamans fallaces eſſe ſenſus, infirma judicia, res ipſas inexplicabilibus difficultatibus obductas, ita ut aut nhil ſit verum, aut, ſi quid eſt, id certè à nobis animo cerni & comprehendi nequeat.

Nobis autem vobiſque omnibus longe alia mens eſſe debet Ornatiſſ. juvenes. Scimus rationem illam veſtram, quam abſque ſapientiæ præceptis cum vulgo morta-

talium communem habetis, ex multa fide, ex multo etiam caſu & conjecturis, nec non ex puerilibus quas prima ætate temere recepiſtis notionibus ac præjudiciis farraginem quandam eſſe & congeriem, adeòque non poſſe non multis modis eſſe obtenebratam, impeditam atq; diſtortam. Scimus ſenſuum veſtrorum perceptiones ad intima rerum non pertingere, & ea etiam, quæ in ſuperficie reperiuntur, imperfecte dignoſcere: ſcimus inconſiderata illa eorundem ſenſuum judicia, quibus ab ineunte ætate uſi fuiſtis abſque ſufficienti examine, multis fallaciis erroribusque eſſe obnoxia. Sed, ſi hac matura ætate quam degitis, ſi hiſce ſenſibus quibus nimium tribui non debere jam noviſtis, ſi mente repurgata, ſi judicio circumſpecto, ſi ratione ſevera ſolidæque ſapientiæ præceptis confirmata, ſi denique intellectu virium ſuarum conſcio atque ex corporeorum ſenſuum anguſtiis aſſurgente, vos ad naturæ contemplationem applicetis, creditisne aliquam diſtantiam, aut materiæ ſubtilitatem, aut externorum accidentium corticem arcere vos poſſe à rebus perſpiciendis? Fiat periculum, audentes fortuna juvat. Si non omnem, multam ſaltem ex naturæ puteo eruetis veritatem, multos ante actæ vitæ erro-

errores detegetis, multas diſcutietis tenebras. Utinam omnes Magni Alexandri animos haberetis & non minores propriæ mentis debellaretis hoſtes, quam ille Aſiæ domuit populos, & ut ille multorum regnorum, ita vos totius univerſi ac naturæ ſpoliis reverti poſſetis ab expeditione veſtra. Non magna militum manu, non multis opibus & commeatu opus vobis eſt, ſed animi conſtantia & fortitudine, ſed mente purâ, quam ut morigeram præſentemque in ſtudiis veſtris habeatis, non niſi à vobismetipſis dependet. Non effœta & inertia jam vivitis ſecula, ſed eâ potius, quibus ſcientiam multiplicatum iri, ab eo, qui falli nequit, prædictum fuit. Hæc noſtra tempora vera mundi ſenectus ſunt: & vos juvenes pygmæorum inſtar antiquitatis humeris inſiſtitis. Quid ni ergo tam longe in hoc univerſum proſpicere, & cum Democrito, Platone, Ariſtotele ſimilibusque Græciæ heroibus ſupra vulgus ſapere, intima rerum corporearum penetralia ſubire, atque ita vos veluti dominos ac poſſeſſores naturæ efficere laboratis? Me quod attinet, polliceor vobis ex animo & addico operam meam, quæ vobis ſtudiisque veſtris non privatim tantum, ut factum fuit hactenus, ſed publicè etiam militabit. In quo quidem labore egomet mihi

mihi ipſi delectationem aliquam & alacritatem certo promitto, utpote quam in propaganda & detegenda veritate expertus jam ſæpius fuerim. Veſtra autem Ornatiſſ. juv. erga me benevolentia, & prona ad audiendum aſſiduitas, ut perpetuò conatibus noſtris reſpondeant, mihique & vobis continuò adſpiret divina benignitas, à Deo Opt. Max. datore omnis boni & patre luminum ex intimis præcordiis precor.

JOAN.

JOHANNIS ALBERTI BANNI

DISSERTATIO EPISTOLICA

DE

MUSICÆ NATURA,

Origine, progreſſu, & denique ſtudio bene inſtituendo

AD

Incomparabilem Virum

PETRUM SCRIVERIUM

Polyhiſtora.

I.

IAM à multis retro annis, Vir Clariſſime, inter nos ſermo ſubinde fuit de Muſica, arte planè divinâ, cui me addictum non ignorabas. Et cum de Poëſi ſermo, cujus Laureâ doctorum virorum calculo & votis inter cæteros excellis, (ut de aliis eruditiſſimi ingenii tui dotibus nihil dicam) aliquoties diſcurſum conſiderationemque Numeri Poëtici variâ ſyllabarum quantitate conſtantis, ingeſſiſſet; tandem Θεῖόν τι Poëſin continere, ad tractandas explicandasque res, mira narrationis aptitudine, vocabulorum ſe-

ſelectu, ſermonis proprietate, nervoſa orationis connexione, juſta ſyllabarum quantitate, elegantiſſimo modulationis fluxu, pulcherrimoque ſingulorum ordine concludebatur. Tum de Lyrico modulamine frequens mentio erat, cujus tantas laudes veterum ſcriptorum monumenta celebrant, ut jam paſſim doctiſſimis viris perſuaſum ſit, Muſicam Poëticæ, vel potiùs Poëticam Muſicæ facultati ſubalternam eſſe. Argumentum verò aſſertionis ipſa Numeri ratio ſuggerebat.

II. Et de numero quidem tum ediſſerebam paucula, ſed quæſtionis propoſitæ difficultatem ſine mora abſolventia. Nimirum Poëticum numerum in ſola ſyllabarum quantitate, quæ ex vocalium ac conſonantium literarum qualitate ac mixtione oritur, conſiſtere: Muſicum verò numerum, ſonituum tempora ac intervallorum durationes metiri dicebam; quibus verborum, ex arte eloquentiæ pondus ac vim habentium juſta pronunciatio, ad movendos animi affectus, planiſſimè abſolvitur. Suum cuique arti ineſſe enthuſiaſmum; non quidem ſcriptorum auctoritate, ſed ex ipſis rei principiis probabam. Et cum hoc argumentum latius eſſem proſecutus; quid de Auctoribus Muſicis, & tradita ab illis

illis diſciplina ſentiendum eſſet, quærebatur. Verùm rem detrectabam velut cum odio conjunctam, qua doctorum virorum invidiam ſubire ſine cauſſa verebar. Sine cauſſa, dixi; nam Muſices apud plerosq; tã exigua eſt notitia, ut apud ipſos Profeſſores, hæc duo quibus illius ſcientia conſtat, rariſſimè inveniantur conjuncta, theoria ſcilicet & praxis. Unde rem ut in principiis ſcientiæ, vel elementis artis continetur, utque ex illis educitur, Profeſſores illius non tractant: ſed ex alterius defectu in graviſſimos errores impingunt. Cum autem docti viri, veterum monumenta evolventes, utriusque rei notitiâ ſæpiſſime deſtituantur; quid quæſo præter Grammaticas obſervationes, aut Hiſtoriarum commenta, acri tamen narratione, ac cenſurâ, hominum animis infigunt? quibus ſi quis ex transverſo contradicat, an invidiæ arrogantiæque notam prima fronte effugere poſſit, vide. Utique ea hominum, rerum, temporumque conditio perpetua eſt, ut obſequium amicum, veritas odium pariat.

III. Cum autem hoc anno ſub finem æſtatis, cum experriſſimo viro D. Gregorio Plaſſio, Medico excellentiſſimo, in ſub urbanum prædium tuum, ampliſſimum amœniſſimumque excurriſſemus; ubi ex

na-

natura loci Muſarum ſedes, otii opportunitas, ſtudiorumque deliciæ ſunt; quod ſanè eleganter *VVoelvvijck* lingua vernaculâ (Latinè *Curæ-fugium* liceat dicere) indigitaſti: poſt doctiſſimas rariſſimasque tuas in Horatium, Juvenalem, Perſiumque auditas expenſasque animadverſiones, quibus loca obſcuriſſima ac corruptiſſima primogeniæ ſinceritati ac veritati reſtitueras; iterum iterumque propoſitus de Muſica ſermo eſt; & quam olim de Muſicæ ſcriptoribus, ac artis explicatione ſententiam ſubticueram, promere & eloqui urgebat. Tum neſcio quo inſtinctu, auſuque, incepi dicere, & ſummis amicis meis, apud quos licere exiſtimabam, aſſeverare, me viginti annorum ſpatio huic diſciplinæ ſingulari amore mancipatum, ſucciſivis horis, à ſeriis ſtudiis deflectentem, operam dediſſe, ſcientiamque & artem proprio marte nulloque Magiſtro adorſum, magno labore, continuaque diligentia, varioque artificum colloquio, Theoriâ ad artem deductâ, didiciſſe. Quoties mihi volumina Ariſtotelis, Juſtiniani Imperatoris, ac Thomæ Aquinatis, quibus tum operam dabam, è manibus ſeponere, Boëthium, aliosque convenire, amor Muſicæ imperavit: Difficultas verò & intricata veterum narratio, ſæpiſſime iterum Muſica volumi-

mina, tanquam re deſperatâ, manibus meis excuſſit. Et tandem adhuc amor, oblite- rato tædio, rem facilem reddidit. Poëtæ vox me frequentiſſimè animabat,

—Amor omnia vincit

Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Audeo dicere, poſt longam indaginem, me in variis Provinciis ac Regionibus commorantem, pauciſſimos, imò neminem inveniſſe, qui difficultates Muſicæ mihi expedire potuerit, niſi ſola illa diuturna, laborioſa, indefeſſa ac conſtans diligentia. Nimirum vim motricem quærebam ſcientiâ, experientiâque, cognitam habere; quâ Pythagoras, Timotheus Mileſius, aliique paradoxa effeciſſe narrantur. Ex ſingulis tamen aliquid audivi. Scopæ diſſolutæ erant, ſimul difficulter conjungendæ: Rem tentavi, aggreſſus hoc modo: Veterum ſententias ſcrutatus ſum; Theoremata ac demonſtrationes praxi applicui, cum non ſuccederet res, practicos conveni; eorum opiniones, & exercitationes expiſcatus ſum, ſæpiſſime ipſis ſuorum, quas ignorabant, rationes factorum ex tempore dedi. Et cum mihi ipſi non ſatisfeciſſem, inſtrumentis rem tentavi, ipſemet praxin exercendo, componendo: profeci. Libellos varios de re inveſtigata conſcripſi, mutavi, auxi, correxi. Toties res in-

inventa ſub manu mutabatur. Plurimorum Inſtrumentorum rationes, ac fabricas inveſtigavi. Quarum Theoremata ac Elementa, cum artificibus proponerem, non intelligebant: Mirabantur tamen & libenter iſta audiebant. Mechanici non liberales erant, habebant formulas ſibi à magiſtris ac præceptoribus præſcriptás, quarum veſtigiis inhærebant: & bene; nam ſine filo Theſeus Labyrinthum non evaſiſſet. Alius tamen alio magis induſtrius, & manuaria operâ expeditior erat. Feſtinabam lentè, videbamque me proficere, licet ut plurimum deſperarem, donec propoſuiſſem immori huic ſtudio. Laborem enim eventus ſolabatur, & ex myſterio Pythagoricæ literæ affulgebat.

Promiſſa ô! *Feſſis requies in vertice ſummo*;

Nam *Qui* (Ennii verba ſunt)

Vicit Olympia, mox ſenio confectus quieſcit.

I V. Cum verò mihi jam ex diuturnâ excercitatione aliqualem Muſicæ notitiam pepererim, non libens de ea paſſim verba facio. Horreo enim moleſtas hominum contentiones, quæ ut plurimum (ingenioſæ quantumvis) de lana caprina ſunt; & ne ungue latius quidem rem promovent. Maximè in votis foret eâ quam ac-

qui-

quiſivi Muſices notitiâ, ſecretus tranquilluſque vivere,& amicorum, quibus rei hujus arcana ſubinde ex occaſione communico, ſocietate, ſcenam meam abſolvere. Sed nimium inſtas, Vir clariſſime, de Republ. Chriſtianæ bono mecum expoſtulans, aliiſque ſeveris argumentis me premens; quaſi numini morem non gerens, bonis invideam. Acquieſcam igitur tuis expoſtulationibus; ſed unum præfari oportet; priuſquam manum operi admoveam. Omnes omnino *μουσοφίλους* etiam atque etiam oratos obſecratoſque volo, ut dictionis meæ, audaciamne dicam, an temeritatem, neceſſitatemve! aquâ mente interpretentur: negligentiamque, aut potius inſcitiam ſua benignitate, ac doctrinâ ſuppleant. Itaque ad rem venio.

V. Homines ſuapte naturâ cantabant, antequam induſtria experientiæ rudimenta in ſcientiam artemque congeſſiſſet. Nihil igitur mirum erit, ſi longâ ſeculorum temporumque ſerie Muſica ſub incude fuerit. Quæ qualiter ad perfectionem venerit, antiquitas nobis non ediſſerit. Nimiam enim hujus obſcuritatem S. pagina ſilentio fecit: difficultatem verò varia, & toto penè cœlo diſtantia, ſcriptorum dogmata pepererunt. Ciceroni tamen hac in re auſcultandum, qui libro primo de Oratore

tore mihi adſtipulatur. *Omnia fere*,inquit, *quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt,ut in Muſicis Numeri, & Voces, & Modi. In omnibus* enim *ferè ante ſpei rudimentum, quam rei experimentum fuit*, ut Appulejus air. Penes primos igitur artis,non jam dico Inventores, ſed Scriptores,*Arbitrium* erat,*& jus & norma loquendi*. Inde factum eſt,ut poſterioris ævi ſcriptores priorum ſententias potiùs retulerint, quam expenderint.

Muſica initio anguſta erat: apud Græcos quatuor Elementis, ſeu Chordis, primum uſitata, donec aliquis alius, inventis aliquid addens,

Expreſſit numeris ſeptem diſcrimina vocum.

Conſonantiæ tres erant ſimplices, διὰ τεασάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν. Ex harum mixtione ac replicatione tres aliæ ortæ ſunt. Simplicium moleſtior inveſtigatio fuit. Cum tranſiret Pythagoras caſu fabrilem officinam, ex malleorum ictibus, variâ proportione juſti ponderis differentibus,auſcultaſſe eas primus,& inveſtigaſſe dicitur. Explorando ſingulorum pondera, quæ his numeris continebantur 12. 9. 8. 6. formas notavit, in quibus ſolæ multiplex ac ſeſquialtera, proportiones continentur. Dupla quidẽ 12. ad 6. Diapaſon ſeu octavam; ſeſquialtera ſcilicet 9.& 6. Diapente;

te; ſeſquitertia 4. ad 3 Diateſſaron; conſonantias: ac ſeſquioctavo 9. 8. tonum diſſonantem à reliquis determinavit. His Elementis veteres cantilenas ſuas, adhibitâ numeri, ac temporis varietate, inſtruebant. Diſſimili planè, ac alieno à nobis ritu. Et, quod imaginor, nuſquam verò legi, unum generale erat concentus axioma.

Conſonantiam placere auribus, diſſonantiam intolerabilem eſſe, niſi conſonantiæ antecedentis vel ſubſequentis dulcedine, juſtaque earum duratione temperata corrigeretur.

VI. Tum, ut credo, nullæ erant Compoſitionis regulæ, ſed inveſtigatâ conſonantiarum naturâ artifices (id mihi, jam ſcribenti, poſt longum examen incidit) Cantilenas ex illis pro ſuo libitu aptabant. Et licet conſonantia non æqualium ac diſſimilium vocum concordia, à Nicomacho definita fuerit: tamen paucitas earum, nullum ex immediata harum conſequentia faſtidium admiſiſſe videtur. Et ſufficiebat modulatio, ſi conſonantiis conſtaret. Quamvis enim mas & femina, viri ac pueri, naturaliter Diapaſon modulentur; ideoque id artis præcepto doceri non fuerit neceſſe: tamen varietas aliarum, cum diapaſon miſcendarum, conſonantiarum artem requirebat, cum ſuapte natura id ho-

homines præſtare non poſſent. Poſterioribus ſeculis inventio plurium conſonantium, quæ ſuper partienti proportione generantur, artem ipſam certis regulis ac præceptis, Muſicam à confuſione vendicantibus inſtructam volunt. Quid igitur de Muſica veteres ſuis libris tradiderunt? Dicam ingenuè, nil præter harum conſonantiarum naturam, hoc eſt, proportionum, è quibus naſcuntur ſingulæ, formas. Et quia unum intervallum, ſuo ambitu continet alterum: ita unius, ad alterius proportionem eſſe principium vel elementum, demonſtrare conati ſint. Toni partes *Apotomen* ac *Lemma*, Elementum toni *comma* eſſe ſtatuerunt: primum ſcilicet, qui auribus diſtinctè percipi poteſt, ſonum: In hoc enim omnium intervallorum quantitas reſolvitur. *Tropos* etiam, licet nimium controversâ narrationis doctrinâ, & tria modulaminis genera, ſcilicet *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Harmonicum*, ſuis libris deſcripſerunt.

Omnes Græci atque Latini uſque ad annum Chriſti Iͻ c. ſeu ſeptimi ſeculi initium, (nullum excipio) in hoc unico argumento fuerunt, & vix aliud quippiam in tradenda Muſica præſtiterunt. Audi ſingulorum ordines. Pythagoras, Ariſtoxenus, Nicomachus, Philolaus, Alypius,

Ptolemæus, ex profeſſo Muſicam tractarunt. Alii ex occaſione propoſiti argumenti eandem attigerunt ſine methodo. Item inter Latinos Vitruvius, in gratiam Architecturæ, ex Ariſtoxeni ſcriptis; Macrobius, ratione narrationis in ſomnio Scipionis allegatæ; & Appulejus, ex occaſione argumenti in ſuam propoſitionem ingeſti de Muſica ſcripſerunt. At Boëthius, Martianus Capella, & Venerabilis Beda, ex profeſſo ſcientiam Muſicæ, demonſtrativo, ut vocant, ritu tradiderunt.

VII. Ex his pauci omnino ſcopum Muſicæ attigere. Euclides ſolus inter Græcos doctiori, breviori, clariori, veriorique ratione ac methodo Muſicam tradidit. Cujus hic ſyllabus eſt in Paragraphos digeſtus: *Sonus, Intervallum, Genus, Conſtitutio, Tonus, Mutatio, Melopœia.*

Inter Latinos, è veteribus præcipui ſunt Boëthius & Beda. Boëthius primum accuratus veterum interpres, eorundem ſententias collegit, examinavit, diſtinxit, correxit, & conciliavit. Inhæret tamen veterum veſtigiis, Charactares quoque ſonituum (quorum loco apud nos *notulæ* ſunt) tradidit. Deinde Beda, ducentis annis poſt Boëthium, duplici tractatu, Theoreticam & Practicam Muſicam ſcripſit. Doctiſſima rei explicatio eſt; ſed veterum limites

non

non exceſſit. Notularum tamen figuras & claves, item ſcalam Muſicam, lineis ac ſpatiis conſtantem, tradidit ex uſu Eccleſiaſtico; quem ego à Gregorio Magno Papa introductum arbitror, cui cantûs reformatio, meliori ritu inducta, aſcribitur; ipſeque Cantus, ab ejus auctoritate, Gregorianus dictus eſt. Inde artis rudimenta probamus, quæ, temporis ſucceſſu hominumqne induſtriâ, perfectiora in lucem emanarunt.

Euclides, Martianus Capella, ac Beda conceptis verbis, de Melopœja ſcripſerunt, artemque Componendi tradiderunt. Primò quidem inventionem modulaminis, deinde Compoſitionem ejus Harmonicam ſuo more explicuerunt. Res ut antiquitate veneranda eſt, ita etiam memoriâ digniſſima. Difficilis tamen, anguſta, & minus concinna eſt, ſi cum artis noſtræ perfectione conferatur.

VIII. Ad ea uſque tempora imperfectior erat Muſica: nam anguſtius ſyſtema, pauciores conſonantias, minorem vocum concentum, difficilioremque modulationem habebat. Circa annum Chriſti cIↄ c. ſub decimi ſeculi finem, Guido Aretinus Monachus & Abbas Benedictinus. Muſicus excellentiſſimus, Veterum ſcriptis ſubtiliſſimè ruminatis, meliorem ac facilio-

liorem *Muſicæ Methodum* inſtituit, Syſtema amplificavit Ενηεσηχόρδῳ. Huic poſteritas perfectionem *Muſices* debet: quam quidem omnino ipſe non abſolvit; viam tamen aliis aperuit. Ab eo enim tempore (quo verò ſeculo accurate dicere non poſſum) imperfectæ Conſonantiæ inventæ, ac præcepta ampliora componendi *Muſicam* tradita ſunt: unde ars ipſa plenior majeſtatis ac delectationis ad perfectionem nobiliorem deducta eſt. Hanc ſententiam, alibi mihi non lectam, nec auditam ab aliis, eo collegi argumento, quod amplitudo Syſtematis plures conſonantias requireret; & acutior ſonus additus à Guidone, imperfectas à veteribus rejectas (ob diſſonantiam gravioris ſoni, quo auſcultabantur) ſuapte natura proderet: Quarum uſus perfectis conſonantiis intermixtus, cum delectationem augeret, artis præcepta poſtulabat, quibus cum judicio omne punctum *Muſicæ* abſolveretur.

IX. Circa ſeculum decimum tertium, Franco Muſicus floruit. Poſt quem Joannes Tinctorius, Franchinus Gaffurius, & Jacobus Faber Stapulenſis fuere, decimo quarto ſeculo. Horum operâ ac ſcriptis *Muſica* Theorica & Practica mirificè ad perfectionem excrevit amplius. Ab illis re-

regulæ Compoſitionis, juxta ſeriem Syſtematis Guidonici præſcriptæ, diuturnâque conſuetudine obſervatæ, ad nos pervenerunt.

Tandem Joſephus Zarlinus Clodienſis, Theoriâ ac Praxi inſtructiſſimus, (ut alios inferioris notæ præteream) doctiſſimis inſtitutionibus, demonſtrationibus ac ſupplementis, linguâ Italicâ editis (apud Venetos, anno 1580) Muſicam præ cæteris felicius tradidit & abſolvit. Prolixior nonnihil eſt, ſed eruditione compenſat faſtidium; ex quo verior Muſicæ eruditio haurienda. Ejus Compendium in Tabulas redegit Joannes Maria Artuſius Bononienſis. Italico etiam idiomate: quibus breviter, clarè & perſpicuè rem ſtudioſis proponit. Scripſerunt & alii; qui an Zarlinum æquent, neſcio: ſaltem non ſuperant. Id rectè cenſuit Muſarum delicium, vir clariſſimus, Martinus Hortenſius, Mathematicus excellentiſſimus, & (quod glorior) amicus meus, in accuratiſſima de ſtudio Matheſeos inſtituendo Diſſertatione ad V. Clariſ. Marcum Zuerium Boxhornium, pridem editâ. Unus ergo inſtar omnium erit, ſine quo nec veterum ſententiæ expediri poterunt, nec perfecta hujus diſciplinæ notitia facile obtinebitur. Ad perfectionem ta-

tamen Muſicæ modernæ non accedit.

X. Principia vero ſeu elementa, quibus Muſica conſtat, ad ſex capita revocari poſſunt. Primum eſt Syſtematis maximi ſeu univerſalis conſtitutio. Alterum in generibus cantus explicandis verſatur. Tertium modorum numerum atque naturam examinat. Quartum modulamenti rationem docebit. Quintum præcepta componendi tradet. Sextum artem cantandi profitebitur. Hæc capita ſummam Muſicæ complectuntur, ab omnibus ſcriptoribus latiſſimè explicatam. De ſingulis pauca commemorabo.

XI. Syſtema omnium intervallorum à Guidone quidem habemus, ſed accuratam illius demonſtrationem ex uno Zarlino, Novam verò conſtitutionem collocatis inter ſingulos Tonos hemitoniis requiro, ut abſoluta ſit, & efficax ad movendum Muſica.

XII. Genera modulaminis tria ſunt, *Diatonicum*, *Chromaticum* & *Harmonicum*. Primum à natura natum, excellentiſſimum eſt: duo poſteriora ab arte inventa, exigui momenti ſunt; & temporis ſucceſſu à quibusdam etiam proſcripta, ab aliis neglecta, perierunt. Chromatici aliqualis uſus eſt, & energiam habet, ſi Diatonico miſceatur, ut in Syſtemate obiter inſinua-

vi; cujus uſus nunc floret, præcipuè apud Italos.

XIII. Modi (quos Tropos alii, ego Circulos Harmoniæ voco) veluti nervi corporis ſunt, quorum ductibus Muſica energiam habet. De Tropis, ſeu Modis, etiam Glareanus ſcripſit, non ex fundamento ſcientiæ, ſed potius ex Muſicorum praxi; nec Zarlino comparandus venit.

XIV. Modulamentum, Idea ac περιέχοντοι Muſicæ eſt, cui concentus vocum aptandus. In hujus inventione ac conſtitutione tota res Muſica verſatur; eò quod ſonitus verborum ac ſyllabarum quantitati, ſignificationi, & ſenſui aptandus ſit; ut energiam habeat Muſica, Rhetorisque munus ſubeat, docendo, delectando, & movendo. Hujus ſupina apud multos eſt ignorantia: cujus doctrinam hactenus nemo rectè explicuit; forte nec intellexit quisquam.

XV. Compoſitio partium, ſeu vocum, diverſo ſonitu concentum reddit. Ejus præcipua ratio eſt in aptandis diſſonis inter conſona intervallis. Hujus vulgares leges extant; myſteria pleroſque latent; eo quod diſſonorum naturam ac vim motricem paſſim ignorent. De quibus rectè monuit Hieronymus Freſcobaldus, non temerè judicandum, etſi communibus &

tritis adverſentur artis canonibus; ſed conſulendam auditus ac rationis, trutinam; cujus ope Paradoxum aliquod demonſtrabit experientia.

XVI. Ars cantandi, eſt lectio ſeu pronunciatio modulaminis ſingularum vocum, ex ſignis ſonituum notulis deſcriptorum facta. Hanc claram, diſtinctam, fluidam vocis amœnitate, & concinnam verborum ac ſonituum recitatione eſſe oportet, ut Oratoris effectum ſortiatur. Vox ipſa, juſtæ lectionis fundamentum eſt; diductio verò ornamentum. Illa à natura venit, hæc ab artis præceptis ac uſu; quibus genuinus, propriusque vocalium ac conſonantium ſonitus; pectore, faucibus, palato, lingua, dentibus, labiisque proferendus, articulandusque, acquiritur. *Methodus* hujus artis à nemine hactenus rectè explicata eſt, niſi à quibuſdam Italis, & per exempla quidem tantum declarata. Muſica alia vocalis, alia inſtrumentalis: utriusque differentia, ac propria natura eſt. De quibus nunc non agam. ne excreſcat ſermo noſter. Ipſe ego hominem deſidero, qui *Mu*ſicam exactè eo, quem breviter attigi, ritu ac modo tradat.

XVII. Sed ut periodum hujus Compendii claudam, ingenuè dico & religioſè aſſevero, *Mu*ſicam hanc noſtram Græco-

rum

rum illam, & priſcorum Latinorum alteram, infinitis paraſangis ſuâ perfectione, & efficacia exceſſuram. Et ut de Græcis obiter aliquid dicam, tanquam aniles fabulas & ſtultorum commenta, pleraque mihi ſuſpecta ſunt, quæ tam ſplendidè narrantur. *M*iror etiam à viris doctis paſſim credi; & ſcriptis propagari. Id ex *M*uſicæ ignorantiâ oritur. Unum è cæteris exemplum adducam, & quidem hoc quod de Pythagora inventore vulgò narratur. Is Phrygio modo, qui incitativus perhibetur veteribus, commotos raptosque in laſciviam adoleſcentes, & petulanti furore percitos, SPONDEO ſuccinente, compeſcuiſſe fertur, & mentis ſerenitati reſtituiſſe. Idem in Alexandro *M*agno fertur præſtitiſſe Timotheus Mileſius. Obvia paſſim narratio eſt. Hoc argumento vis Muſica à Modi proprietate apud omnes aſſeritur. Dorius, inquiunt, gravis ac ſententioſus, caſtusque dicitur. Conſentio. Phrygius iracundus, bellicoſus, pugnax, ac furioſus perhibetur. Diſſentio, cur? dicam. Dorii Elementa in ſonitibus ac intervallis chordarum D. F. *a*. *d*. conſtituta ſunt, ex recentiorum calculo; è veterum ſcriptis diducto: quas chordas, *λίχανος ὑπάτων*, *παρυπάτη μέσων*, *μέση παρανήτη διεζευγμένων*, Græci indi-

gitant. Omnes ferè hactenus unanimiter idem dixerunt, paucis exceptis. Nam in Modorum nomenclatura apud Autores ea diverſitas eſt, ut fabuloſæ videantur Hiſtoriæ. Inde eorum natura, ac effectus æquè dubius ac fabuloſus eſt, ſaltem ex Hiſtorica relatione. In iſtis intervallis modeſta attentio primum generatur à Hemiditono D. F. (ſyllabis *re, fa*, exprimendo) poſtea ab F. ad *a*. Ditonus gravitatem inducit (ſyllabæ cantabiles, *fa*, *la*, ſunt.) poſtea ab a. ad *d*. Diateſſaron eſt, ſeu Quarta; medio intervallo, habens ſemitonium majus quód ipſius duritiem temperat ſententioſo quodam ductu. Et hunc eſſe Dorium Modum, Boëthius ſatis disertè indicat, cum è ſpeciebus Diapaſon, ſeu Octavæ, modos (ut res poſtulat) educens, à Plagalibus incipiens, ad Authentos progrediendo primo loco Hypodorium ponit, à Chorda Proslambanomenos (quam Guido A. *re* vocat) Diapaſon complentem. Deinde tonum adſcendens in Hypate Hypaton; (♮ *mi* nos dicimus) Hypophrygii conſtitutionem definit: tum ſemitonio acumen Syſtematis intendens in Chorda Parhypate (quam C. *fa-ut* appellamus) Diapaſon complendo, Hypolydius ponitur. Horum Authenti ſeu principales,

les, tono acutioribus Chordis ſunt. Dorius itaque in Lichanos Hypaton ſeu D. *ſol re*, conſtituendus; Phrygius in Chorda Hypate meſon, ſeu E. *la-mi*; I. Lydius verò Semitonio acutius Syſtema habet in Parhypate meſon, hoc eſt, F. *fa-ut* collocatur. Dorius itaque eo modo, quo diximus, conſtitutus, gravis, ſententioſus, caſtusque erit; ejusmodi ſcilicet materiæ ac ſermoni congruens.

XVIII. Petrus Gregorius Tholoſanus lib. XII. Syntaxeos Artis mirabilis c. XVII. ex Pſello, Ariſtotele, Plutarcho, Boëthio, & Tyardeo ponit Hypodorium à C. *fa ut*, uſque in G. *ſol re-ut*, Hypophrygium ab eadem Chorda C. *fa-ut*, uſque in A. *la mi-re*; contradicente Boëthio, eo quod ſinguli Modi unius Toni vel Semitonii gradu acutiorem conſtitutionem habeant. Ideoque malè ponitur Dorius à C. *ſol fa-ut* in *aa. la-mi-re*, quæ eſt à Parhypate Hypaton in Neton meſon; Phrygius verò ab F. *fa-ut* in dd. *la ſol*, quæ eſt à Parhypate Meſon, ad Paraneton Diezeugmenon. Fateor quidem Cantum Diatoninicum, quem natura docuit, initium ſumere apud literam ſeu Elementum C. adeoque primùm ordine naturali Modum inde auſpicandum: ſed hoc nihil ad gentilitiam Modulaminis proprietatem facit,

quâ uſi fuerunt Dores aut Phryges. abſurditas itaque iſtius aſſertionis etiam alio argumento evincitur. Nam *Modi* Plagii Diateſſaron debent eſſe inferiores ac graviores ſuis Authentis, ut habet Axioma. Si itaque, teſte Boëthio, Hypodorius in A. *re*, chordam graviſſima habuit, Hypophrygius verò in ♮ *mi*, ut mox oſtendimus; uterque Authentus Diateſſaron ſeu Quarta altior eſſe debet. Dorius ſcilicet in D. Phrygius verò in E. quæ ex Hypate *Meſon* collocandus eſt. Accedit & alia ratio, quod Modus à C. *ſol fa ut*, uſque in aa. *la-mi-re*, Diapaſon non compleat; quod ipſa natura modi requirit. Tandem quoque in illo Syſtemate, vel ea conſtitutione intervallorum, laſciva, amatoria, placida, hilariſque potius materia rerum reponenda eſt; ut ſuo tempore demonſtraſtrabo. Dorius igitur ille *Modus* eſſe non poteſt. Similiter ab F. *Fa-ut*, in dd. *la-ſol*, melius ſuccederet iracundia ac furor, ſed defectui Hemiditoni, qui blandus eſt. Diapaſon non impletur; unde major violentiæ ratio eſt. Ex autoritate itaque Boëthii, qui conſtitutionem Dorii in D. Phrygii in E. recenſet, ut luculenter oſtendimus, cæteri erroris convincuntur.

XIX. Inde jam ad hiſtoriam de Pytha-

thagora redeamus, & quàm ſuſpecta fidei ſit, dicamus. Phrygio *Modo* incitatos juvenes ad petulantem furorem, Spondeo ſedatos dicunt. Naturali ratione quis primus, ſecundus, tertiusque *Modus* ſit, itemque ejus efficacia, compertum eſt. Sed quis ſit ille *Modus*, quo uſi ſunt Dores aut Phryges, ex Scriptorum authoritate ſolummodo dignoſcitur. Inter Scriptores, & *Muſicos*, Boëthius ex veteribus Græcis aſſerit, Hypophrygium in Hypate Hypaton chordâ graviſſimâ contineri complendo Diapaſon. Unde certiſſimè conſtat, hujus Authentum Phrygium, Diateſſaron ſeu Quarta acutiorem, loco proprio collocandum, ſcilicet in Chorda Hypate *Meſon*, quæ nobis E appellatur. Hujus circulus in Chordis E. G. ♮ & C. ex locis ſemitoniorum blandius eſt, non furens; & quidem intervallo majus ſemitonium conficit. Secundo Hemiditonus in G utrumque intervallum ex ſua natura blandum ac modeſtum eſt: Poſtera uſque ad ♮ ditonus eſt, qui à præcedentibus attemperatus eſt; ubi terminatur Diapente, ſeu Quinta; prima ſcilicet & nobiliſſima Diapaſon pars. Ad complendam verò Diateſſaron, quæ altera pars eſt, ſtatim ſequitur ſemitonium

majus

majus à ♀ ad C. itidem ſuave; inde Ditonus à ſemitonio præcedente temperatus eſt uſque ad E. ubi circulus completur. Quis jam non videt ex ſpeciebus ſeu intervallis, Phrygium iracundum ac incitativum non eſſe; & juvenes eodem in furiam iramque rapi non potuiſſe? Deinde ſolo Modi circulo, proprietate, ac phraſi, animi affectus moveri non poſſunt: quemadmodum nec nervis corporis vis poteſt fieri, niſi animæ vivificantis adſit influxus: ita enim & hic Modulamenti ſpiritu opus eſt.

XX. At SPONDEO petulantiæ temperamentum induxit Pythagoras. Hoc dicunt Scriptores, ut omnem Muſicæ vim modo ineſſe probent. SPONDEUS profectò Muſicæ Modus aut circulus non eſt, ſpecies Diapaſon non continet: quam bellè igitur ad rem loquuntur Scriptores? SPONDEUS Moduli tarditatem ſignificat ac majeſtatem: quemadmodum pes poëticus duabus longis ſyllabis conſtans. SPONDEUS dictus, nomen uſumque à ſacrificio, libatione, ſodalitate, induciis ac fœderibus, quæ Græco vocabulo σπονδὴ ſignificantur, accepiſſe notum eſt. In his enim actionibus ipſa ratio ritusque gravitatem ſententiarum, pondus dictio-

nis,

nis, & majeſtatem quandam requirebat, Ideoque longis ſyllabarum ductibus ponderoſa vocabula Poëſis adhibebat. Inde *Spondaicum Carmen*; cujus etiam varia eſt gravitas ex verborum majeſtate, vel pondere ſyllabarum. Exempli gratia:

Conturbabantur Conſtantinopolitani.

Hic verſus habet duplicationem conſonantium, reiterationem primarum vocalium *a.* & *o*; quibus pondus explicatur verborum. Non item eſt in hoc verſu, qui levior videtur, Virgilii:

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Vel in iſto Ovidii:

Nituntur longo veſtigia ponere clivo.

Adde quod Poëtica cenſura, Spondaicorum Verſuum proprietatem, in duobus ultimis pedibus conſtituens, delectum habeat eleg:n'iæ, ſingulos ſingulis verſibus præferens, etiam ejuſdem Auctoris.

Virgilius:

Cara Deûm ſoboles, magnum Iovis incrementum.

Idem:

Cum Patribus Populoque, Penatibus & magnis Diis,

Hi autem verſus inter Spondaicos primo loco habentur, eleganriſſimique cenſentur. Sunt alii ejuſdem Autoris, quos minoris æſtimant.

Vir-

Virgilius:

Saxa per & ſcopulos & depreſſa convalles.

Idem:

Aut leves ocreas lento ducunt argento:

Hos Poëtæ tanti non habent, eo quod non ſint tam fluidi, ut priores. Et tamen plus ponderis ac molis frequentioribus ſpondeis afferunt; magis ad animos temperandos valent. Hic etiam in Muſica Spondaicus modulaminis, varius eſſe poteſt ex modulamento, & cuivis Modo applicari, licet omnibus non æquè conveniat.

At Dactylici carminis volubilitas diverſum ab hoc impetum mentis excitat. Ennii verſus eſt etiam proprio vocabulo bellicoſus:

Et tuba terribili ſonitu Taratantara dixit.

Alius item:

At tuba terribilem ſonitum procul excitat horrida,
Sidera pallida diffugiunt face territat luminis.

In his omnibus verſibus, Hexametri Carminis genus eſt; & tamen tanta ex numero variegatio oritur.

Magnum argumentum hinc ſumo, ut doctis Viris Poëſin Muſicam perſuadeam; quæ Muſici Modulamenti numeris prius certo ordine excogitatis, pedes metricos

accommodet: certi carminis lege omnino neglecta. Res elegantiſſima eſt, licet paradoxa, alibi fuſiùs enarranda. Quod autem de varietate carminis Hexametri, jam diximus; idem de Muſicæ Modis dicendum, quod illis Modulamenti varia ratio adſcribi poſſit, unde moveantur affectus. Cùm ergo Spondeus Modulamenti ratione, hoc eſt, motus numeri ac temporis variegatione conſtet, cuivis Harmoniæ *Modo*, tam Myxolydio & Hypodorio, imo tam Lydio, quam Dorio applicari poterit.

XXI. *Spondeum* itaque *ſuccinere*, nihil aliud eſt, quàm gravi ac ſententioſo modulamine alicujus aures afficere & mentem temperare; quocunque Modo fiat, ſive Lydio, ſive Dorio: licet natura Modi Dorii ob dictas à nobis rationes magis gravitati ſententiarum propria ſit, quàm Lydio, qui acutioribus Chordis & per Ditonos ac Tonos Majores procedit: unde major vehementia illi ineſt.

XXII. Modulamento itaque variis ſonituum ductibus variegato adſcribendum eſt, quod de Spondaico ritu carminis narratur; non itidem Modo. Nam ſine ulla Modi periodo ſemper modulamentum efficax eſt: licet magis perſtringat, dum certis limitibus à confuſione vindicatum, proprietatem dictionis animat.

mi-

mirum itaque in modum explicandæ ſunt iſtæ Hiſtoriæ; vel utrovis modo mendaces æſtimandæ: ſcilicet errore rei & vocabulorum, vel impropriâ ac interdum Hyperbolicâ narratione: quisquis tandem erraverit, Boëthius, an alii.

XXIII. De Ionico Modo quàm futilis etiam Hiſtoria eſt? Qui primùm Auſterus fuit, deinde Laſcivus: gens enim illa mores mutaverat, cùm voluptati ſe dediſſet; inde varietas, ut eſt apud Athenæum. Et tali commento nobis Jonici Modi naturam enarrant Authores, ut fidem habeamus. *Euge tuum & belle!*

Ut nunc, ita tunc plurimi Authores Hiſtorias cudebant, nec ad incudem revocabant. Legiſſe uſpiam: ſat erat, ut volumen compleretur. Nulla rerum, cauſſarum ac circumſtantiarum ratione habitâ, narratio procedebat, hoc eſt, nullo ordine, diſtinctione, interpretatione, explicatione, conciliatione (quæ omnia ipſa rerum ſeries luculenter ſuggerere poterat) habitis.

Apophthegma lepidiſſimum de Chiapino Vitellio, ſtrenuo illo milite Italo, refertur. Cùm effigiem ſuam à pictore quodam delineandam poſtulaſſet, artifici, quomodo faciem conſtitutam vellet, poſcenti: Pinge me, inquit, hominem formoſum: (deformis erat, & horribilis vultu)

poſt

poſt medium ſeculum, obliteratâ mei memoriâ, omnes è manu artificis meam pulchritudinem admirantes, in veritatem effigiei vel jurabunt. Qualis verò ipſe fuerit, ex Epitaphio liquet:

O Deus omnipotens craſſi miſere Vitelli.
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovē:
Corpus in Italia eſt: tenet inteſtina Brabātus:
Aſt animam nemo. Cur? quia non habuit.

Miles ſcilicet, ut homines, ita & Numen habebat. Infelix!

Lapſu temporis invaluit eodem modo partim accurata rerum Hiſtoria, quæ nunc paſſim pro vero divenditur. Accedit, quod Scriptores ferè rerum, quas narrabant, nec ſcientiam, nec experientiam habebant: fruſtra ſanè eaſdem explicandas ſuſcepturi, aut narratas ad incudem revocaturi.

Euge! omnes, omnes, bene! miræ eritis res,
ait Perſius.

XXIV. Centum talia occurrunt in Muſica veterum, præcipuè Græca, quæ hominum ingenia mirè torquent; & diſciplinæ utriusque rationem non explicant, ſed potiùs involvunt. Ipſa imperfectio ſatis arguit difficultatem, quam paulatim longo artis uſu, hominùmque induſtria ſublatam videmus. nec unquam magis expedita reddetur hujus ſcientiæ, artisque methodus, quàm ſolida rei ex ipſis Principiis

piis Elementiſque diductione, quæ experientia & optimorum Authorum lectione inclareſcet. Unum Zarlinum præ cæteris commendavi; non quòd aliorum ſcripta nullius momenti ſint; cum multa præclara eruditaque dogmata contineant: ſed unum Zarlinum coryphæum dixi. Cum enim Muſica ab Authoribus deſcripta, in pleriſque defectum patiatur, magno ſtudio, induſtria, ac lectione varia ſupplendum; unum aliquem commendare nequeo, ex quo hauriant ſtudioſi (pauci etiam totam *Muſicam* Theoricam ac Practicam ſimul intellexerunt & excuſſerunt) præter Zarlinum. Is, inquam, præ cæteris doctius feliciusque, & propemodum ſolus rem exſecutus meo judicio videtur. Ordinariæ Praxi deſervire præcipuè poteſt Zarlini Compendium à Johanne Maria Artuſio Bononienſi, optimâ methodo doctiſſimè confectum. Horum Authorum lectio, additis ſex Capitulis, breviter à nobis ſupra explicatis, ad Muſicæ Theorim & Praxin ſtudioſos manu ducet.

XXV. Cæterùm ut ingenuè fatear, requiro adhuc ampliorem Muſicæ tractationem, quæ plurimis novis inventionibus ac regulis, Artis perfectioni deſervientibus, conſtet, qua *Numeri* & *Voces*, & *Modi*, (quorum in principio ex Cicerone me-

meminimus) clarius, profundius, & accuratius explicentur, ut Muſica Oratoris officium ſubeat, finemque illius, docendo, delectando, & movendo conſequatur. Hujus aliquem ideam breviter quidem ſex Capitibus contructam oſtendi. Cujus ampliorem tractationem brevi ac facillima Methodo antehac tentavi, & ſi Deo placuerit, eandem feliciter abſolvere conabor, amicorum uſui imprimis, & bono publico.

Te viciſſim, Vir Clariſſime, obteſtor, ac modeſtè adhortor, ut præclara illa præſtantiſſimi ingenii tui monumenta, perennem gloriam memoriamque habitura, quæ impenſe omnes deſiderant, & tanto quidem magis, quia ſalivam moviſti, amicis ac Reipublicæ Literariæ diutius invidere nolis. Vale, meum & civium tuorum Decus. Harlemi, Kal. Oct. ∞ IↃ c xxxvI.

REGU-

REGULÆ VITÆ.

Sapientis, harmonicæ, tranquillæ, actuoſa, negotiis obruta, liberaliter otioſa, peregrinantis denique.

I. Regulæ Vitæ Sapientis.

SApere, proprium eſt Hominis, qui Sapientis Dei imago eſt. Tu ergò ſi ſapis, imò ut ſapias

1. *Quidquid agis, & unquam ages, proſpice Finem: & ad finem diſpice Media: datiſque mediis utendi diſce Modos accuratos, ne unâ cum mediis tuis fruſtra ſis;* uti plerumque fit, ut ſufficienter à divinâ bonitate ſubminiſtrata media humanâ ſtoliditate pereant, ſineque uſu ſint. Tria illa in quacunq; reſciveris, omnia ejus ſciveris.

2. *Fines tamen Rerum, Media, Modoſq; memento ſcire Te debere non ad otioſa ſpectacula, ſed ad uſum.* Habere alioquin aliquid, & poſſidere, & intelligere, ſi non utaris, vanum eſt.

Ergò *Quidquid bonum eſſe intelligis, ad illud veluti ſcopum tuum collima.*

Quicquid ad aſſequendum ſcopum tuum con-

conferre vides, id prehende, tene, urge.

Quidquid urges, ne fruſtra urgeas, ſummâ circumſpectione cave.

Ita nullo non voto potieris tuo: niſi forſan alicubi nolit Deus, obiceſque Tibi inſuperabiles opponat. Sed tùm in promptu eſt ſolatium, te non culpâ tuâ bonô illô carere, ſed quia Deo ſic viſum patientiam exercere tuam, ob cauſas ſibi, ſi non tibi, notas.

3. *Et quia vita tua omnium Actionum tuarum univerſus complexus eſt, hanc ante omnia particularia ſic tibi diſpone, ut finem ejus ob oculos habeas perpetuò, & ad illum viis omnibus contentas* indeſinenter.

Quis autem ſit Vitæ noſtræ finis, ad quem collimare ſapientia ſit, docet Deus ipſe, Deut. 32. v. 29. *Vtinam ſaperent, & intelligerent, & providerent noviſſima ſua:* Ecce ſapientia ultima, hoc eſt ſumma eſt, ultimos providere fines! *Quid autem eſt ultimùm niſi æternitas? Vltimum enim eſt, ultra quod nihil datur.* Atqui ultra omnia quæ hîc in Mundo ſunt, ſemper aliquid ulterius datur, A nativitate venitur in Vitam; inde itur in Mortem; hinc ad Reſurrectionem: demum incipit Vita interminabilis, ex quâ nullus patebit exitus, & per conſequens, ultra quam nihil datur. Ergò *Æternitas ipſa noviſſimum illud noſtrum*

ſtrum eſt: ultra quod nihil reſtat. Ergò hanc ab initio ſtatim providere; ergò ad hanc omnia intermedia diſponere, Vera ſapientia eſt. Ergò qui intermedia tantùm curant, ultimorum obliviſcuntur, deſipiunt, & quidem noxiè deſipiunt, quia media ſine fine apprehendunt: utque æternâ beatitudine excidant, & in æternam calamitatem prolabantur, efficiunt.

Memento igitur.

1. Vitæ Tuæ ſcopum eſſe, ad Æternitatem præparari. (Hoc niſi provideris, Vitam perdideris. Atque tum non naſci præſtiterit.

2. Ad Æternitatem tamen quia non venitur niſi per Mortem: totâ Vitâ præparabis te ad Mortem. (Ut bona tibi ſit, te non abſorbeat, ſed ad Æternitatem tantùm intromittat)

3. Ad Mortem autem bonam quia non pervenitur niſi per Vitam bonam; totâ Vitâ hoc ages, ut benè vivas, hoc eſt ſanctè, ad voluntatem ejus qui Vitæ Mortiſque arbiter Bonis Vitam, Malis mortem deſtinavit.

4. Et quia ad Vitam bonam non pervenitur niſi per adſuefactionem bonam (malis adſuefactus mutare Mores, ut Ætiops pellem, non poteſt, Jer. 13. 23. quia Conſuetudo abit in naturam:) totâ Vitâ hoc

ages

ages, ut quicquid malum eſt, aut mali ſpeciem habet (1. Theſſ. 5. 22.) id adverſaris: rurſum autem: quæcunque pudica quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogites (Phil. 4, 8.)

5. Et quia ſequi bona, fugere mala nemo poteſt, niſi qui quid verè bonum & malum ſit, intelligit (quia ignoti boni nulla cupido, ignorati mali nullus horror) torâ Vita hoc agendum erit, ut Te non conformes huic ſeculo, ſed reformeris in novitate ſenſûs Tui: utque probes, quæ ſit Voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta (Rom. 12. 2.)

6. Et quia cogitationes mortalium ſunt timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ: (Sap. 9. 14.) totâ Vitâ hoc Tibi agendum erit, ut cum timore & tremore opereris ſalutem Tuam (Phil. 2. 12.) non ſolùm peccata horrens, ne admittas; ſed & ipſa tua bona facta, ne aut opinione tantùm bona ſint, hypocriſi admiſtâ, aut te in Phariſaicam tui complacentiam præcipitent. Nullam itaque præter in miſericordia Dei, & merito Chriſti, defixam anchoram cogitabis, eô demum ſcutô ſecurus futurus, ſi reſignatâ omni voluntate propriâ, omnique Tui & omnium Creaturarum fiduciâ ſepo-

ſtrâ, Deo uni de Te hîc & in æternum diſponendi tradas arbitrium.

Breviter. Vive, dum vivis, tanquam moriturus: ut moriaris, dum morieris, tanquam victurus. Væ enim illis qui ad ad mortem reſurgent. Tu ſi reſurgere voles ad Vitam, videndum tibi ne moriaris in Morte. Si in *M*orte mori non vis, hebetandi tibi ſunt ante mortem Mortis ſtimuli: qui ſunt Peccata (1. Cor. 15. 16.) Morientur autem ante te peccata, ſi operam dederis ut vivat in Te Chriſtus (Gal. 2. 20.) Chriſtus enim quia Vitæ fons eſt, ſcaturiet in te in vitam æternam: Morsque Tibi non erit mors, ut nec Illi fuit, ſed tranſitus ad Vitam immortalem.

Hæc eſt Sapientia vera, ſubordinatio Finium & Mediorum gradata, à primis ad ultima uſque: obſervatioque eorum accurata, ne aberres à gradibus, & incidas in præcipitia. Deus Te regat.

II. Regulæ Vitæ harmonicæ.

OMnis Harmoniæ fons, Deus, harmonicè, fecit omnia: inprimis Hominem, imaginem ſuam, ſi modò irrationabilibus noſtris factis ipſimet harmoniam ne turbemus, in oculis & auribus Dei, Angelorum, Hominùmque ſapienter nos intuentium. Ergò ne turbes Tu, hæc ages.

1. *Sem-*

1. *Semper Priora priùs, Potiora potiùs*; *Seria ſeriò*; *Pulchra pulchrè*; *Amica amicè*; *Divina divine*; *Humana humaniter* &c. *penſa, age, tracta*. Aliâs confundes Te, & res.

2. *Theoria Tua cum Praxi individui ſibi ſemper ſint comites*. Quicquid boni ſcis, fac; & quidquid boni facis, an benè facias, & cur, cogita. Ut ne ſimilis fias vel Phariſeis, qui *Dicunt & non faciunt* (Mat. 23. 3.) vel Samaritanis, qui *adorant & neſciunt quid*. (Joh. 4. 22.)

3. *Interna Tua conformia ſint externis*. Nempe ut quod videri vis, ſis etiam verè: abominationi aliâs futurus Deo. Cujus opera quia ſunt Veritas (Pſal. 111. v. 6.) etiam in nobis Veritatem diligit (Pſ. 51. 7.) hypocriſin odit. Væ Vobis hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, (*Matth*. 23.)

4. Tandem, Coram Hominibus quoque *Cogitationes, Verba, Factáque Tua, parallelè incedant*. Cor nunquam diſſideat Ori, nec Os Manui, Vir duplici corde monſtrum eſt, &c.

III. Regulæ Vitæ tranquillæ.

SVmmum in Vita bonum, eſt Animus tranquillus ac ſerenus, ab anxietudinum pro-

cellis liber. Hunc beatum portum ut teneas, ſequentia obſerva.

1. *Quidquid Mentem, aut Conſcientiam turbare poſſit, prævenire labora, ne cùm talibus rebus, quicquam participes.* Poſſunt autem turbare *Mentem*, *Negotiorum multitudo*, aut *alienitas*: quibus ſiquis ſe implicat, ſpinas inveniet certò, tametſi aliquando roſæ videantur. Ergò ut tranquillus ſis, cave eſſe πολυπράγμων, ardelio: quæ Tua ſunt, tacitè age, aliena relinque; in Tuis etiam non nimis ſcrupuloſe curioſus, & de quibusvis minutiis anxius. Fac ea, quæ ſalutem Tuam, & Tuorum, primariò ſpectant, reliqua committe Deo, cui cura eſt de nobis.

Conſcientia verò turbatur admiſſis peccatis: cùm Anima ſibi male conſcia oculos Dei & hominum erubeſcit, pœnamque promeritam trepidat. Ergò ſi Conſcientiam vis tranquillam: ne habeat quod Tibi objiciat effice: hoc eſt peccata nulla nunquam ſciens volens admitte. Atque ſi vitare peccata vis, vita occaſiones: cujusmodi ſunt prava ſodalitia, loca ſuſpecta, &c. Imprudens eſt, qui ubi alium cecidiſſe vidit, eodem perrexit tamen. At nos quotidie homines inter occaſiones labi, & perire, videmus, & non cavebimus tamen?

2. *Si quando in Occaſiones (cujuscunque*

Pec-

Peccati) incidis, obfirma animum, ut non ſuccumbas, ſed victor abeas. Pugnâ igitur opus: & ad pugnam pro Conſcientia ſervanda illæſa, Virtutis armis. Aut igitur Te eripe fugâ (ſusque deque habito quid prava ſodalitia de Te judicatura ſint) aut perſta immotus, Apoſtolicum illud cogitans; *Ego mundo crucifixus ſum, & Mundus mihi.* Et quia non fruſtra dictum eſt, *Occaſiones neminem malum faciunt, ſed qualis quis ſit oſtendunt* (nempe Igni admota Arena non ardet, Stupa ardet;) cogita in tentationem delatus: *Si malis conſenſero, malum me eſſe, & fuiſſe hypocritam oſtendero; Ergò in propoſito Virtutis retinendæ perſeverabo, nec me dimoveri patiar.* Memento autem, tutiorem in tentationibus carnis ſemper eſſe Fugam, quàm Pugnam: ſapienterque feciſſe Joſephum, qui, cùm non ſufficeret rationabilis honeſti propoſiti defenſio, fugâ ſe eripere, quàm diſputare, maluit. Turpius ejicitur (& periculoſiùs) quàm non admittitur hoſtis.

3. *Si quando pugnandum eſt adverſus Vitia, nec omninò Conſcientiæ vulnera effugis, recollige Te mox, ſatanæque in Te nidificare incipienti, illicò diſjice nidum.* Hoc eſt, ſub initia peccati mox pœnitentiam age, antequam Peccati exſpiret horror, mortiferum dulceſcat venenum, morique incipiat

Conſcientia. Qui ſciens volens Peccato aſſueſcit, manus & pedes præbet diabolo conſtringendos Conſuetudinis malæ vinculis, ut ſe liberare pòſt non poſſit, tametſi velit (2 Tim.2.25.26.) Æternæ itaque legis inſtar Tibi ſit illud:

Principiis obſta Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluère moras.

A Conſcientiæ peccato turbatæ procellis non datur refugium, niſi ad Pœnitentiæ portum: faciliùs, ſi non longè fueris progreſſus, difficiliùs, & cum abſorptionis periculo, ſi longiùs fueris abreptus. Nunquam ergò propter Pœnitentiæ ſpem peccaveris: incertus, an eam agere poſſis. Sponte enim peccantes deſeri ſolent à ſpiritu Dei: quô ad pœnitentiam duce ſi deſtituuntur, pœnitentiam non inveniunt (Heb.12.17.) Sed & hoc cogita: *per ſe meliùs eſſe, Vas non inquinari quam elui; Meliusque te non vulnerari, quàm curari; Meliùs hoſtem Regni viſceribus excludere, quam intromiſſum & omnia vaſtantem expellere velle &c. quia & facilius & tutius.*

4. In ſumma, quia Mundus hic inquietudinum mare eſt, inque tumultu rerum hîc vivimus, ut quàm potes ſecurus ſis (ſi non omninò tranquillus) hæc age.

1) *Plus Deo quàm Hominibus converſare.* (*Illa ſit intima delicia Tua*)

2) *Plus*

2) *Plus Tibi quam Aliis attende.* Tua ut agas, non alienâ: Tuique curam ipſe potiùs habeas, quàm aliis committas; & denique Te ipſo potiùs nitaris, quàm quocunque aliô. Aliis inquam niti (quod perquam Benè Nota) ne conſueſcas. Tua Tibi in negotiis Tuis induſtria; tua Recti propoſiti Conſcientia; Tua in Deum fiducia, anchora ſacra ſint.

3) *Plus Animo quàm Corpori ſemper Vaca.* Rectè Epictetus: *Ea quæ Corporis ſunt, facienda ſunt obiter*: Res animi demum fixâ curâ dignæ ſunt. Corpus enim à terra habemus, non pluris æſtimandum quam vaſa lutea merentur: Animus ex Deo eſt, Mundo igitur major, magni æſtimandus, purè ſervandus, illibatus Deo reſtituendus. Si Animam perdideris, redemptioni ejus mundus univerſus non ſufficiet. Ergò *Corpus ſerviat. Anima regnet:* cui ſi ſceptrum das, utque corpore liberè utatur præſtas, Rex eris actionum Tuarum, minuenturque Tibi infinitæ, à Corporis nimia cura venire ſolitæ moleſtiæ.

Hæ ſunt Tranquillitatis veræ viæ! quas ſi inſiſtis, non facilè Te quicquam turbabit Tuâ culpâ. Si quid verò ab aliena veniet malitia, aut ab immiſſione Dei (qui ſuos ſine probatione, qualiquali rarò eſſe permittit, quia eos Virtutum & patien-

tiæ exercitiis perfici novit) cedet in gaudii augmenta, eôque majorem mentis ſerenitatem. Felicem Te, ſi Te intra hos continueris cancellos!

IV. Regulæ Vitæ actuoſæ.

A*D negotia nati ſumus. Vota ergò Activa verè vita eſt: Otium vivi hominis ſepultura.* Quô excellentior Creatura quæque, eô actuoſior: ut exemplò Angelorum, Solis, Cœlorumque, qui in perpetuo ſunt motu patet. Sicut & Fontes, ſemper Aquas ſcaturientes; & Flumina, huc illuc eas humanos in uſus deferentia. Contra, quô quid torpidius: eô inutilius: ut Lapis, Lutum, &c. Tu ergò ut ne ſis Lapis, Terræ inutile pondus, ſed actuoſus Sol, ſemper lucens; vel Angelus, ſemper hominibus Dei loco miniſtrans &c. dabis operam. Quid autem hîc obſervandum?

1. *Quidquid à Te fieri debere vides, & ad id media, mediorumque prudentem uſum, non ignoras, id aggredi aude.* Melius eſt bonis auſis excidere (quod aliquando contingit) quàm occaſiones bona quæque multiplicandi negligere.

2. *Quidquid per Te ipſum expedire potes, alios nunquam expecta.* Tuæ ſcilicet plus fidens induſtriæ, quàm alterius. Sæpiùs etiam evenit, ut antequam alteri rem enarra-

raveris, ille autem perceperit, deliberaverit, ſeſe accinxerit, Tu ipſe rem expediveris. Ergò rectâ potius, ſine ambagibus.

✝ 3. *Quidquid expedire potes hodie, in craſtinum ne differ.* Nocuit enim ſemper differre paratis: Vox corvina (cras, cras) manifeſta eſt negotiorum ruina.

4. *Cuicui prodeſſe potes prodeſſe gaude etiamſi Mundo univerſo.* Jam enim dictum eſt, excellentium narurarum id eſſe proprium, miniſtrare, & prodeſſe. Ergò ſi potes imitare Deum, qui miniſtrat omnibus: Aut Angelum: quàm plurimis. Torpere, & ſine uſu eſſe, inter abominanda repone.

5. *Nulla dies ſine linea.* Vides quam ſe celeriter movet mundi machina, dùm nos lentè agimus. Ergo Tu ne ſis lentus in negociis: quanquàm nec præcipitem eſſe volo. Delibera quid actu opus: Sed rem deliberatam ocyùs aggredere, ne Tibi unquam fruſtra Sol iſte luceat. Omne tempus nobis impenſum, poſtulabitur quomodo ſit expenſum.

V. Regulæ Vitæ negotiis densè obrutæ.

Actuoſos interdum negotiis obrui contingit: propter id tamen Vitæ actuoſitas deferenda non eſt. Dantur enim compendia, quibus moleſtiæ levari poſ-

ſunt. Quod ut ſcias, hæc obſerva.

1. *Tempori pone pretium, ne ejus quicquam inutiliter effluere patiaris.* Ita tibi longè ampliùs patebunt agendi ſpatia, quàm alteri; qui occaſiones captivare neſcit.

2. *Cui multa agenda ſunt, illi paucis loquendum eſt.* Activè & paſſivè intellige: hoc eſt & ipſe pauca loquere, cùm loquendum eſt, & alter ut ſe brevi expediat quum loqui vult, poſtula. Sapientum ſermo brevis eſt, nugari citra neceſſitatem, Inertiæ proprium eſt.

3. *Quidquid aliorum auxiliò expediri poteſt celeriùs, adhibere illos ne intermitte: Ita negotia procedent celeriùs.* Plus manuum, plus operis: modò ſervetur ordo, ne Te, aut ſe invicem, cooperarii illi tui impediant, aut turbent.

4. *Vt tamen ad operas alacrior ſis, remitte quandoque animum, aut occupationis genus muta.* Quod caret alternâ requie durabile non eſt. Arcus intenſus rumpitur.

VI. Regulæ Vitę liberaliter otioſæ.

A Laboribus vacare ſi contingit, non eſt neceſſe nihil agere, hoc eſt torpere, tempusque ſine uſu perdere. Nec proruere ad inutiles ludos, chartarum, aleæ &c. Aliquid agenduæ eſt quod recreat, tam men-

mentem quàm corpus. Quod fiet, deambulando, cum amicis confabulando, œconomica quædam tractando &c.

VII. Regulę Peregrinaturo obſervandę.

PEregrinationis video Tibi eſſe deſiderium, propoſitumque Tuis. Quid ergò ibi quoque attendendum Tibi ſit, pauxilia ſubjungam.

1. Ante omnia cogitabis, *Cur peregrinationis ſuſcipias laborem?* Nempe non ut novos videas Montes, Campos, Sylvas, Flumina, Maria, Homines aut beſtias &c. Talia enim domi videre potes. (Quô ſenſu rectè dictum eſt à quodam: *Qui unum vidit Hominem, unum Bovem, unum Montem, unam Sylvam, unam Vrbem &c. Mundum vidit: Mundus enim ex talibus conſtat.*) Sed ut videas, audias, alloquaris, Viros ſapientes & doctos, ex quorum converſatione ſapientiæ & virtutum capias augmentâ.

2. *Ad exteros itaque iturus; non ibis tanquam in alium Orbem (Mundus totus virò Sapienti patria eſt:) ſed tanquam ad Scholam quam communem Deus eſſe voluit*, ut alii aliis theatro ſimus, mutuoque aſpectu & affrictu nosmet invicem exerceamus, acuamusque.

3. Cogitabis, *quia extra Mundum ire non potes,*

potes, *Mundum Te reperturum ubique id eſt homines vanos, profanos, mali bonique mixturam.* Adverſus itaque ſcandalorum & corruptelarum venenata tela, pectus tuum circummunies, aſſumptô firmiſſimi propoſiti ſcutô, nihil attendendi, admirandi, adamandi, domumque reportandi, niſi per quod Tibi & Tuis, Patriæque aut Eccleſiæ, Virtutis & felicitatis acceſſio aliqua fieri poſſit.

4. *Ibis à conſpectu Parentum, terra patriaque, non ſicut Cain à facie Dei profugus, ad quærendum impietati licentiæque campum:* (Quocunque enim ibis, comitabuntur Te oculi Dei, & cum illis benedictio aut maledictio effundenda ſuper Te;) *ſed ut Tobias junior, ſatis facturus parentum voluntati, quæſiturusque apud exteros ubiubi depoſitorum Sapientiæ, bonorumque Exemplorum, theſauros.* Ergò intentione purâ, Animo, Corpore, Senſibusque omnibus caſtis. Ita demum tibi aderit qui Te comitetur, ducat & reducat, Angelus Domini.

In ſumma: *Vbiubi fueris,*
Vive Deo, qui eſt dator Vitæ Tuæ:
Vive Conſcientiæ, quæ eſt vita Vitæ tuæ:
Vive Famæ, quæ eſt vita poſt Vitam Tuam.

Itaque tibi adſit Spiritus Chriſti, ut hæc omnia tam rectè percipias & obſer-

res,

ves, atque ego animæ Tuæ ſalutem, omnemque rebus Tuis proſperitatem, & perpetuum Domûs Veſtræ in Eccleſia & Patria, per Te etiam ad poſteritatem tranſmittendum, ſplendorem, animitùs opto.

Tui amantiſſimus

Die quâ à me diſcedis 9. Iunii. Anno 1645.

Comenius.

Regulæ quædam generaliores, artem concionandi aliquatenus delineantes.

I.

Exordium quoad ejus fieri poterit, ſit breve, ſit perſpicuum, ſit vocibus ac phraſibus propriis non figuratis conſtans, ac introducens concionatorem rectà in ipſum textum.

II.

Sumatur autem vel à maximâ aliquâ generaliori, vel à ſententia aliqua gravi, vel à proverbio minimè trito & vulgari, vel à textus cum præcedentibus connexione, vel etiam à loco parallelo, vel ſimili, aut contrario.

III.

Concionator applicaturus exordium ad ipſum contextum, eâdem operâ, ſi id ullâ ratione effectum dari queat, monſtret ſcopum textus, ac demonſtret per ea quæ præcedunt & ſequuntur, hoc eſt per occaſionem textus illius connexionem & cohærentiam & ſimilia.

IV.

Ad hunc ſcopum concionator, in praxi harum regularum hic deſcriptarum tam præcedentium quam ſequentium non tan

Regulæ quædam generaliores, artem concionandi aliquatenus delineantes.

I.

EXordium quoad ejus fieri poterit, ſit breve, ſit perſpicuum, ſit vocibus ac phraſibus propriis non figuratis conſtans, ac introducens concionatorem rectà in ipſum textum.

II.

Sumatur autem vel à maximâ aliquâ generaliori, vel à ſententia aliqua gravi, vel à proverbio minimè trito & vulgari, vel à textus cum præcedentibus connexione, vel etiam à loco parallelo, vel ſimili, aut contrario.

III.

Concionator applicaturus exordium ad ipſum contextum, eâdem operâ, ſi id ullâ ratione effectum dari queat, monſtret ſcopum textus, ac demonſtret per ea quæ præcedunt & ſequuntur, hoc eſt per occaſionem textus illius connexionem & cohærentiam & ſimilia.

IV.

Ad hunc ſcopum concionator, in praxi harum regularum hic deſcriptarum tam præcedentium quam ſequentium non tan

tum perpetuo reſpiciat, ſed & omnia quæ dicturus eſt, ſtudioſè & evidenter referat; ita quidem ut quilibet etiam non doctus quaſi manu palpare poſſit, illum in ſingulis quæ proponit, ad iſtum ſcopum collimare. Quod ni fecerit, omnem perdet operam, aut ſaltem magnoperè utilem non præſtabit. Eſt enim hæc omnium harum regularum præcipua & quaſi magiſtra ac directrix: Quinetiam anima & vita, ſine quâ reliquæ regulæ nihil ſunt, velut res mortua & inanis. Ideoque etiam ſingulis hiſce regulis eſt applicanda, & in illis ſingulis ſubintelligenda. Exempli gratia: ſi ſcopus alicujus textus ſit conſolari, ea omnia quæ dicentur, ad conſolationem dirigantur; ſi ſcopus ſit conſolari contra mortem, ejuſque metum, ſingulæ tum res, tum penè etiam verba tendere debebunt non ad conſolationem in genere contra miſeriam hujus vitæ (:hoc enim frigidum foret:) ſed ad conſolationem in ſpecie contra horrorem mortis.

V.

Dividat concionator textum vel in certas partes, vel materias textu contentas in certa capita. Quod ſi textus vel non ita commodam patiatur diviſionem, indicabit concionator populo per modum propoſitionis, quâ de re textus agat, & rem

rem totam quæ textu continetur ſummatim ac paucis nudisque verbis comprehenſam clarè proponet cum promiſſione, ſe de ea brevibus & dilucide tractaturum.

VI.

In tractatione porrò ſingularum textus vel partium vel capitum, ad conſiderationem phraſiologias ſeſe ante omnia accingat concionator; Et ibi quidem non examinabit ſemper ſcrupuloſè & minutatim ſingula verba, ſeparatim ſumpta, hoc enim, (:in phraſiologia præſertim facili:)ridiculum & inſulſum foret, ſed ſeparatim conſiderabit ea verba quæ neceſſariò ſeparatim ſunt accipienda. E contrà conjunctim conſiderabit ea quæ conjunctim conſiderari poſſunt, imò aliquando etiam debent. Interdum enim ſingulæ voces, interdum integræ phraſes & ſententiæ, quandoque etiam totus verſus ſimul & uno tenore exponi poſſunt: quinimo duo vel tres quatuorve verſus non raro in unam ſententiam conjunguntur: uti in textibus hiſtoricis videre eſt.

VII.

Quod ſi vel in vocibus, vel in phraſibus & ſententiis totis difficultas aliqua quoad ſenſum verbalem & grammaticum

occurrat, ea amoveatur, ambiguitas commonſtretur, & per diſtinctionem tollatur; obſcuritas indicatâ ſignificatione auferatur, & ſenſus quis ſit aperiatur, idque quantum fieri poterit clarè & dilucidè. Ubi utilè quin etiam neceſſarium fuerit ſtilum conſuetum ſcripturæ habere quàm familiariſſimè cognitum.

VIII.

Phraſiologiâ tribus ſi fieri poſſit verbis expoſitâ & abſolutâ (:neque enim hic diu inſiſtendum, niſi ingens ſit difficultas, & magnum momentum ſit in verbis poſitum:) ſtatim ad res ipſas ſub vocabulis latentes, & iis comprehenſas ſeſe convertat concionator: Quippe ſine rerum tractatione, concio tota nullius pretii fuerit, aut ſaltem perexigui, quantumvis verba ac voces excellenter fuerint explicata.

IX.

Quinimo ſi verba & voces per ſe ſint claræ & intellectu faciles (:ubi tamen judicio magno opus eſt, ne pro facili obtrudatur populo præſertim quod in ſe eſt difficile:) omiſſa prolixâ & verboſa illa verborum explicatione, quæ difficultates in vocibus captare, & obſcuritates in dictionibus venari ſolet, (ut habeat quod oſtentet) continuo materias ſive res ipſas modo dictas aggrediatur concionator;

tor;

tor; neque enim extra neceſsitatem grammaticum, ſed ſemper & ubique eccleſiaſtem eſſe oportet.

X.

Jam verò in materiarum examine inventioni primum ſtudebit concionator, & hoc aget ut in ſingulas textus ſive partes, ſive capita, quam plurimas in promptu habeat meditationes, & varios ac diverſos animi conceptus, non quidem in cerebro ſuo natos, ſed è ſacra ſcripturâ petitos, eosque ſpontè ex textu fluentes, & quaſi naturâ ſuâ ad ſcopum textus tendentes.

XI.

Primus autem modus conquirendi & inveniendi varia meditata in eo eſt, ut quælibet ſive partes, ſive capita textus reducantur ad ſuum generale ſive totale, à quo deinde progreſſus fiat ad ſpecialiora & particulariora, indeque deſcendatur ad ipſa quæque individua, ſi negotium ita poſtulaverit.

XII.

Alter modus inveniendi, qui etiam priorem in ſeſe includit in eo verſetur, ut res ipſa deducatur per omnes locos logicos inventionis: ut puta per rei cauſas, effectà, ſubjecta, adjuncta, oppoſita, contraria, ſimilia, comparata, teſtimonia &c.

XIII.

Ubi jam concionator adinvenerit diverſas conſiderationes, cum prudentia illas applicabit ad partes ſive capita textus, eaſque proponet non omnes neque ſingulas, ſed illas tantum quæ maximè ad rem facient. Ubi utile imo neceſſarium fuerit ſpectare quid in contextus partibus ſive capitibus in ordine ad ſcopum ſit ſubſtantiale vel eſſentiale, quid in illis iiſdem in ordine ad eundem ſcopum ſit accidentale & circumſtantiale, ut ex animi meditatis & inventis ea ſeligantur, ad præſens negotium applicentur & populo proponantur quæ eſſentialia & ſubſtantialia fuerint. Quæ autem accidentalia & circumſtantialia eſſe comperientur, obiter tantum, & in quantum ad eſſentialium & ſubſtantialium explicationem facient, amplioris & clarioris dilucidationis ergò interſpergantur. Subſtātiale vero & eſſentiale hoc loco intelligatur, vel quod ſcopum ipſum in ſe includit & ambitu ſuo comprehendit, vel directè ad ſcopum pertinet, hoc eſt, ſine quo ſcopus per ſe neque haberi, neque intelligi poteſt. Accidentale verò & circumſtantiale, quod cum ſcopum in ſeſe non complectatur, tamen ad illum aliqualem habet reſpectum & relationem, & illius explicationi

amplio-

ampliorem lucem & claritatem infert.

XIV.

Cæterum in propoſitione inventorum & meditatorum ſtudiosè cavebit concionator; ne illa invicem miſceat & confundat, ſed accuratè ab inuicem diſtinguat, & diſtinctè propoſita enuntiet.

XV.

Curabit quoque ſedulo ne multa ac varia inventa in una parte & capite contextus accumulando, inſenſibiliter in ea incidat, quæ in ſequentibus partibus & capitibus ipſi fuerint dicenda, atque hac ratione vel tautologus eſſe cogatur, repetendo quæ jam antea dixit; vel ſaltem omnem in ſequentibus concionandi materiam ſibi præripiat, & cum initio fertilis fuerit, tandem ſub finem ſterilis eſſe inveniatur, aut etiam uni det parti, quod alteri competit.

XVI.

Tandem etiam operam dabit, ut quæ animi meditata populo proponere velit, ea diducat & pertractet. Quæ tractatio vel explicationem habet, vel probationem dicendorum, ſæpè utramque. Imò verò rarò ſola explicatio adhibetur cui non probatio ſit admixta, & contrà.

XVII.

Media inſervientia tum explicationi,

tum probationi eorum quæ meditata habemus, & populo proponenda ducimus, ſunt 1º. Teſtimonia ſcripturæ. 2º. Rationes ex locis inventionis deductæ. 3º. Exempla. 4º. Comparationes, ſimilia &c.

XVIII.

Teſtimonia iſta & rationes in materia fidei & doctrinæ deſumantur ex ſacris literis, & haberi poſſunt ex locis catecheticis & communibus; in iis quæ ad mores, & vitam ſpectant petuntur ab honeſto, utili, jucundo & contrariis &c. Et ſæpè iſtæ rationes magnam partem nobis ſuggeruntur ab ipſis verbis contextus, modò ea accuratè & penſiculatè ponderentur.

XIX.

Porrò non eſt neceſſe ut omnia iſta & ſingula media ſive explicationis ſive probationis ubivis adhibeantur, ſed interdum imo ſæpè aliqua tantum eorum adhiberi ſufficit, ut puta vel ſola teſtimonia ſcripturæ; vel ſolas rationes, vel ſola exempla.

XX.

Quod ſi vel propter verba textus, vel propter aliquem alium locum ſcripturæ ſpecie textui contrarium, vel propter adverſarios aliquos controverſiam moventes, vel etiam propter populum, apud quem agimus, & cujus indoles ac ingenium nobis nota eſſe debent, oriatur aut

dubium

dubium aut difficultas aliqua (:cujus rei accurata habenda erit ratio:) prudenter illa ſive dubia, ſive difficultates erunt tunc movenda, tum etiam quælibet ſuo loco ſolide diluenda, refutanda. Dico ſuo quelibet loco, quia hic certus locus rei aſſignari non poteſt, ſed ubicunque tale vel dubium vel difficultas occurrerit, ibi paſſim & ſparſim per totam concionem erunt ſolvenda.

XXI.

Ubi ſingulæ partes vel capita textus fuerint pertractata, accedet ad applicationem concionator, quam tamen applicationem inſtituere poterit, vel poſt ſingulas partes & capita, vel poſt totam contextus tractationem abſolutam; Atque ibi primum eas doctrinas conſiderabit quæ religionem & fidem ſpectant; Secundò refutabit errores contrarios, ſi qui ſint, moneat auditores ut ſedulo ab iis caveant; Tertio ſumet ex iis quæ tractavit occaſionem conſolandi, corrigendi, reprehendendi, conquerendi de negligentiâ hominum, eorumque improbitate, malitiâ &c. omniaque quæ hic denuo proponet, iterum explicabit, novis teſtimoniis, rationibus, exemplis, &c.

XXII.

Cæterum hic notandum in moralibus quoque occurrere errores & opiniones carnis contrarias judicio ſpiritus, quæ non minus

minus diligenter quam errores in doctrinâ ac fide refutari debent; errorum in doctrina delectus ſit prudens, nec facilè obſoletos populo refutandos ſibi eligat, præſertim coram populo novitatis avido: In deciſione caſuum conſcientiæ cor movere ſatagat, interim ſibi caveat in jus Dei involare, condemnando ſcilicet eum, quem Deus in verbo ſuo non condemnavit, aut abſolvendo eum, quem Deus non abſolvit.

XXIII.

Ultimo vero loco poterit concionator concluſionis vice inſtituere brevem à ſe dictorum recapitulationem, quam proponet, diducet, & abſolvet cum quantâ fieri poterit delectatione, & motu ſpirituali; dico ſpirituali, omnis enim hic affectatio & oſtentatio, ſicut à tota concione, ita & à ſingulis ejus partibus abeſſe debet.

XXIV.

Hiſce & ſimilibus præceptiunculis, neq; præcisè adſtringunt ſeſe, neque adſtringi debent concionatores actu miniſterium exercentes, qui ſua quilibet arbitraria methodo ſicuti uti poſſunt, ita etiam debent: in methodo quisque ſua ſibi proponere debet Eccleſiæ cui præeſt ædificationem. Habet enim hic locum non ſola libertas prophetandi, ſed & aliæ innumeræ cauſæ paſtoribus exercitatis probè notæ.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Google

Digitized by Google

Digitized by Google